

In EVANGELIUM JOHANNIS & ACTA APOSTOLORUM Commentarius,

JOHANNIS CANUTI LENÆI.



UPSALIÆ,

Imprimebat ESCHILLUS MATTHIÆ,
ANNO M DC XL.



AD

SERENISSIMAM POTENTISSIMAMQVE PRINCIPEM AC DOMINAM,

Dn. CHRISTINAM, AUGUSTAM

Svecorum, Gothorum, Vandalorum Reginam electam, ac Principem hæreditariam; Magni Ducatus Finlandiæ, Ducem Estoniæ & Careliæ, Dominam Ingriæ: cui gratiam & pacem à Domino Deo precatur.

Quod



Uod Sereniſſimam Majeſtatem veſtram, Regina clementiſſima, in principio parvi operis compellare auſim, facit celſitudinis veſtræ favor, & adverſus tenuitatem meam declarata benevolentia, quem benigno alloquio ſæpius dignata eſt; unde & ipſe percepi eam eſſe M.ti Væ. Latij ſermonis notitiam, ut lecta intelligere atq; dijudicare poſſit. Accedit M.tis veſtræ erga Academiam, & hanc ſocietatem noſtram, ſtudium laudabile, conſervandi rem literariam in donatione & privilegijs acquiſitis, augendo inſuper, honoribus ac medijs idoneis, quibus non M.ti Væ ſolum, ſed & Reip. patriæq; univerſæ uſui & ornamento eſſe poſſit. Senſit enim jamdudum Eccleſia & Reſp. fructum haud exiguum, opinor, erectæ in hunc uſum Academiæ, qui ſe in omnes Reip. partes latè diffundit; nec parum etiam hoc ingeniorum cultu promovetur religio ac pietatis ſtudium: quibus ſingulis adaucti Regni incolæ, contendunt cultiſſimis populis humanitate pares effici, obſcuritatis nebulas fugare, & ignorantiæ tenebras publicæ utilitati noxias avertere. Contulit huic

rei haud parum celſitudinis veſtræ parens, felicis recordationis, Gusavus Magnus, Magni animi princeps; non ſibi, ſed patriæ natus, cujus in eandem, adeoq; in univerſam Chriſti Eccleſiam merita, præſtat non attingere, quam debitis laudibus non efferre. Academiæ huic ſane, multis retro annis deſolatæ, nova fundamenta ſubijecit, eamq; luce qua nunc radiat, corruſcare fecit: belli tempore, difficili Reip. ſtatu, cum circumquaq; armis ac tumultu bellico omnia perſtreperent, flagrante erga literarum ſtudia, & præclare affecto animo. Quocunq; iret, Hiſtoricos, alioſq; probatos ſcriptores ſecum tulit, quorum lectione horis ſuccifivis ſe oblectaret, matutinis præcipuè: habuit ad manus, data occaſione compilatorem, qui quæ erant in autoribus inſigniora explicaret, ac legenda exhiberet. Memini cum in auditorio â ſeptima matutina uſq; duodecimam, horis quinq; continuis reſidens, Academicos, diſcurſus auſcultando ſe oblectaret; quæ Regiæ Majeſtatis propenſio & auguſta præſentia, ſicut literarum honori haud parum profuit, ita accenſo majore alacritate pij principis animo, Academia hæc paulo poſt, privilegijs & bonis plurimis aucta fuit & exornata. Quin etiam, cum aliquando per occaſionem nonnulla eorum, quæ

ju-

juventuti Academicæ publice propoſita fu runt in ſpexiſſet, juſſit ut in uſum etiam aliorũ publicarentur; ita fore ratus, ut qui librorũ premuntur inopia, neceſſaria ſupellectile juventur, exemplo incitentur alij, Academia inclareſcat; & ſumptuum in hos uſus collocatorum fructus uberior appareat. Spondet non defuturum ſe conatibus eorum, qui in uſum publicum utilem ingenij fœtum proferunt; ad Divini nominis gloriam, fidei Chriſtianæ incrementum, utq́ honeſtatis & virtutum ſtudia vigeant in Republica. Non fuit vana, qualis eſt multorum, clementiſſimi Regis promiſſio, cuius efficaciam nimirum poſt fata defuncti, etiamnum indies ſentit Academica ſocietas, quæ gratulabunda Deo omnipotenti, rerum humanarum moderatori gratias agit; qui paternarũ virtutũ æmulam ſobolem ſuccreſcere facit, ſolatiũ patriæ afflictæ. Hæc eſt nobis, non occaſio ſolum, ſed ſcribendi neceſſitas potius, ne miretur aliquis, tractari à nobis ea, quæ ab alijs, ijsq́; præſtantibus in Eccleſia viris magnâ ſunt diligentia tractata, nuper & ante dena ſecula. Et ut ſunt qui putent temerarios, inſolentes, aut ſane inutiles aut ſuperfluos hujusmodi tractatꝰ; quaſi plus ſapere velit ignava poſteritas, quæ patrum laboribus ſuffulta incedit, utpote propiorum ad Chriſti & Apoſtolorum ætatem, qui ſenſum Sp. ſancti me-

lius perſpectum habuerunt: & vel dicendũ eſt, talia prius ab his ſufficienter eſſe pertractata, & ſic inutile foret eadem recolere, fortaſſe genio impari. Vel ſi exiſtimet quis, ſe eosdem dexteritate majore, aut tractandi modo commodiore ſuperare poſſe; vix fidem faciet, mirantibus omnibus ſolertiam, qua excellit antiquitas, quæ admiratio ſcripta veterum ab interitu, per tot ætates ad nos uſq; transmiſit. Provenit opinio talis vel ex ignavia, quæ labores omnes poſt terga reijcit, nec exemplo vetuſtatis, nec veritatis cura tangitur; nec ſuæ nec inſequentis ætatis utilitate afficitur: velut Epicurus, qui ſummi Dei beatitudinem in otio & quiete repoſuit, miſerum fore reputans, ſi ullius rei curam ageret. Sive cum quis alto ſupercilio, laboris alieni cenſuram ad ſe pertinere autumat, quidvis probandi aut improbandi.

Talibus hæc pauca in præſenti reponimus: Primo, Patrum antiquorum labores & monumenta literis expreſſa, decenti cum gratiarum actione ac reverentia recipimus, dona Divina, & Sp. ſancti gratiam in illis agnoſcentes: & quæ illi utiliter in Eccleſia præſtiterunt, adverſus hæreſes, & ad Chriſtiani populi informationem, magnam fidelibus utilitatem ſemper attuliſſe confitemur. Sin ulla in parte à ſcripturis canonicis diſcedunt, ſi quod non

eſt

est canonicum afferunt, dico cum Augustino, ubi de Cypriani autoritate agit; *Ego*, inquit, *hujus Epistolæ autoritate non teneor, quia literas Cypriani non ut canonicas habeo, sed eas ex canonicis considero, & quod in eis Divinarum scripturarum autoritati congruit, cum laude ejus accipio, quod autem non congruit, cum pace ejus respuo.* Et; *quia canonicum non est quod recitas, ea libertate ad quam nos vocavit Dominus, ejus viri cujus laudem consequi non valeo, cujus multis literis mea scripta non comparo, cujus ingenium diligo, cujus ore delector, cujus charitatem miror, cujus martyrium veneror, hoc quod aliter sapuit, non accipio.* Et Paulo post: *Ita hoc Cypriani* (de rebaptizandis hæreticis) *non accipio, quamvis inferior incomparabiliter Cypriano: sicut illud Apostoli Petri, quod gentes Judaizare cogebat nec accipio, nec facio, quamvis inferior incomparabiliter Petro.* Contra Cresconium, lib. 2. Cap. 32. Accedit quod nondum exortis hæresibus incautius patres interdum loquuntur: sicut de Chrysostomo idem, cont. Julianũ, l. 1. cap. 2. *vobis* (pelagianis) *nondum litigantibus, securius loquebatur.* Deinde cum novæ subinde oriuntur hæreses, necesse erit ea scripturarum loca, quæ ad confutationem erroris plurimum faciunt, adversus eosdem dirigere, majoreq; cum diligentia pertractare. Accommodandæ sunt insuper scripturarum admonitiones, ad mores præsen-

ſentis ſeculi, quibus fideles informantur, taxantur vitia, caventur ſcandala, adhibentur conſolationes adverſus ingruentia mala, quæ juxta varietatem temporum, alia ex alijs naſcuntur, & fere ſingulis gentibus ſua ſunt propria. Adde vaticinia de rebus futuris, quæ ſuo modo intellexit antiquitas, ſuo modo accipiunt hæretici, nos aliter, prout videmus ea factis eſſe completa, noſtra ætate; ut priſca ætas quæ eventum non vidit, non potuerit verum oraculorum ſenſum aſſequi. Exemplo ſit vaticinium de Antichriſto, de quo vaticinatus eſt Daniel, Paulus, Petrus, Iohannes in Epiſtola, & Apocalyſi: hunc plures ex patribus, Jrenæum ſequuti, putant fore Judæum, ex tribu Dan, Regnantem Jeroſolymis. Nos à Luthero informati, putamus eſſe Romanum Pontificem: ex vaticinio Pauli Apoſtoli. 2. Theſs. 2. Itaq; ſi quid aliter ſapimus quam patrum ætas, *& hoc nobis Deus revelavit.* Phil. 3: 15. *Unctionem enim habemus à Deo, quæ docet nos de omnibus.* 1. Joh. 2: 27. Spiritum quem dedit Dominus fidelibus, *& manebit nobiſcum in æternum.* Joh. 14: 16. Per hanc Sp. ſancti gratiam, etiam præſens eccleſia ſcripturas intelligit, & de doctrina judicat, & probat Spiritus. 1. Joh. 4: 1. *Et hoc oro*, ait Paulus. *ut caritas veſtra magis magisq́; abundet in ſcientia, & in omni cognitione; ut probetis potiora, ut ſitis ſinceri & ſine offenſa in diem Chriſti.* Phil. 1: 9. Itaque ta-

talento quisq; suo negociari tenetur, ad ædificationem corporis Christi, quod est Ecclesia. Nec sufficit unius opera, sæpe enim vel hæresis exoritur aut error invalescit, ut necesse sit concurrere plures, velut ad restingvendum incendium; etiam adversus invalescentes morum pravitates, aliave mala, lædentia societatem fidelium. Neq; vero uniusmodi sunt ingenia legentium, alij prolixis delectantur, alij brevioribus, alij alium considerandi modum desiderant, orationis etiam filium diversum; quod placet uni, displicet alteri, domesticos scriptores aliqui præferunt, externos alij, prout est animorum in singulis qualitas aut indoles. Unde fit ut uno interprete minime contenti, plures consulimus, ut quæ non reperiuntur in uno, quæramus in alijs. Aliarum sane disciplinarum splendor tunc maxime perspicitur, cum à multis elaborantur. Scriptura autẽ sacra gurges est, & mare amplissimũ Divinæ scientiæ, cujus profunditatẽ & imẽnsa spacia metiri nequit humana industria; nunquam enim inventus est, qui textus sacros ita tractaverit, ut exhaustis omnibus, nihil reliquum fecerit alijs. Unus est Spiritus, verum est, sed donorum insigis varietas, prout id explicat Apostolus 1. Cor. 12. Et sicut syderum orbiumq; cœlestium motus, quanta-

cunq; diligentia & observatione notaverint per varia secula priores; manet tamen aliquid observandum posteris, manebitq; usque in finem; ut sit in quo miretur omnis mundi ætas, opificis sapientiam infinitam; quid mirum si in Divinarum scripturarũ mysterijs aliquid reliquum sit, quo se exerceat & intellectum acuat humana curiositas. Beatus Apostolus Paulus, postquam juxta datam sibi sapientiam, salutis humanæ negocium considerasset: vocationis conversionis, electionis, justificationis; defectionis à fide, reprobationis; in admirationis exclamationem erumpens, sermonem claudit, & cum stupore miratur *altitudinem sapientiæ & scientiæ Divinæ, & quam sint incomprehensibilia judicia ejus, & quam impervestigabiles viæ ejus:* Rom. 11: 34 Miratur ante ipsum eadem Propheta Esa. cap. 40: 13. Et Sap. 9: 16. *vix intelligimus quæ super terram sunt, & quæ ante faciem: & quis itaq; comprehendet quæ in cœlis sunt? & quis consilium tuum cognoscet? Nisi tu dederis sapientiam, & Sp. sanctum tuum miseris ab excelsis.* Et quamvis aperuit nobis Dominus intellectum eorum, quæ necessaria sunt ad salutem: & sicut Iohannes ait; *Scimus quoniam filius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, &*

si-

ſimus in vero filio ejus; qui eſt verus Deus, & vita æterna, 1. *Ep.* 5: 20. Tamen multa eſſe in ſcripturis fateri cogimur, quæ ſenſum humanum ſuperant, & nobis difficilia fiunt, propter ſenſuum hebetudinem, & Divinæ lucis claritatem: quod & de Pauli ſcriptis fatetur Petrus, Ep. 2. cap. 3. Et Paulus qui in tertio cœlo, myſteria percepit, fatetur ἄῤῥητα eſſe ex his multa, quæ ſermone humano exprimi nequeunt. 2. Cor. 12: 4. Non eſt igitur quod laborem quiſquam cuiquam invideat: nunquam enim deerit etiam alijs materia, operari volentibus. Nos juſſa exequimur, & favente numine etiam in poſterum exequemur; ratio enim adminiſtratæ provinciæ reddenda eſt, ut habeant literarum fautores, quod pro nobis reſpondeant obtrectantibus ſtudia honeſta, & conſtituta in hunc finem collegia: maxime vero ſi quo modo prodeſſe valeamus his, qui fundamenta perſpicere cupiunt, quibus inſiſtit Chriſtiana fides. Quæ in hoc libro, ut juxta eum quem textus ſervat ordinem, nuda oculis legentium ſubijcerentur, id in primis operam dedi, quæ item initia, quos progreſſus habuerit Chriſtiana religio; hæc præterito proxime triennio juventuti Academicæ propoſita, nunc in veſtræ M.tis conſpectum,

gra-

grati animi indicium profero, studium offero; si ulla in re operâ meâ prodesse in posterum potero. Deo gratias agens, qui patriam hanc nostram hactenus, Divina custodia ab hostili irruptione servavit immunem, qui bellum quod extra patriam gerimus, à finibus nostris clementer avertit; qui successum largitus est. Eundem oro, ut funesto bello finem nobis optatum largiatur, M.tem vestram Ecclesiæ patriæq; diu servet incolumem, felix imperium tribuat, & æterna beatitudine letificet; per Christum Dominum nostrum, cui sit laus & gloria per omnia secula seculorum. Upsaliæ, anno salutis, 1640. die 12. Martij.

V.æ Mti Subjectissimus.

Johannes Canuti Lenæus,
Pastor & Professor
Upsaliensis.

Evangelium Johannis.



Ohannes Zebedæi filius frater Jacobi majoris, quem Herodes occidit, Actorum 12. consobrini seu fratres Christi dicti, quia Zebedæus frater Josephi erat, ut putat Lutherus, Tom. 5. vitt. Germ. in fine, De cognatione Christi. Sive quod mater Salmone, cognata fuerit Mariæ, matris Domini ut putat Nicephorus, Hippolytum sequutus, Portuensem Episcopum, qui dicit Salomen uxorem priorem Josephi & Johannem Baptistam consobrinos fuisse, duorum fratrùm liberos. Paulo aliter Theophylactus, qui Salomen facit Iosephi filiam, ex priore uxore defuncta. Ut ut sit, propinquitas certe effecit, ut majore cum confidentia à salvatore honores cæteris majores petierint. Matt. 20. Johannes ex piscatore Johannis Paptistæ auditor, mortuo Iohanne Christi discipulus factus est, Matt. 4. 19. Et cap. 10. in Apostolorum numerum ascitus. Christo percarus extitit, ad pectus ejus in cœna accubuit; cum clarificaretur in monte, cum Petro & Iacobo fratre interfuit, cum oraret Christus in horto, huic Matrem Christus moriens commendavit, huic post resurrectionem ut & cæteris Apostolis apparuit, & ad mare Tiberiadis. Joh. 21. De qui-

bus etiam ipſe in initio Evangelij ſui gloriatur, cap. 1: 14. Vidimus gloriam ejus &c. Et in initio Epiſtolæ. 1, Ep, c. 1.1. Morte naturali ſolus ex omnibus Chriſti Apoſtolis deceſſit, Euſeb. lib 3. cap. 28. vel. 31. pertigit usq; ad imperium Trajani, quod teſtatur Ireneus, lib. 3. c. 3. in fine; & ex Hieronimo colligitur qui dicit ipſũ vixiſte à paſſione Chriſti annis 68. Epheſi reſidens præfuit Eccleſijs Aſiæ, quod ex Epiſtolis ad præſides ſcriptis apparet, Apoc.2.&3.Sub Nerone Romã vocatum eſſe autor eſt Hieron. in Matth. Et referente Euſebio lib.3. 15. & 16. cum Domitianus, Neronis in crudelitate ſucceſſor, plurimos nobilium civium necaſſet, vel ſolum vertere coegiſſet; Johannem etiam in inſulam Pathmon relegavit. Hinc Domitiano mortuo Epheſum reverſus in ultima ſenecta Evangelium ſcripſit. Occaſionem Irenæus notat his verbis:*Hanc fidem* (ſcilicet unius Dei cratoris mundi,patris Domini Ieſu)*annuncians Iohannes Domini diſcipulus, volens per Evangelij annunciationem auferre eum qui a Cerintho inſeminatus erat hominibus errorem*, & multo prius ab his qui *dicuntur Nicolaitæ*: &c. lib 3. cap. 11. Scripſit itaq; ut veri Dei notitiam traderet, patris filij & Sp. ſancti; Cerinthum,Nicolaitas,Ebionitas, valentinianos refelleret; Et hac occaſione plurima Chriſtianæ fidei myſteria profert: ante omnia laborat Evangeliſta in hoc ſcripto ſæpius, ut oſtendat Chriſtum eſſe verum Dei filium, unigenitum, verum hominem, promiſſum meſſiam, ſalvatorem mundi, quomodo etiam totam hanc tractationem concludit; cap. 20. infine: *Hæc ſcripta ſunt*, ait, *ut credatis quia Ieſus eſt Chriſtus filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.*

Dividitur Evangelium Iohannis generali diſtributione in partes tres; Prima pars eſt, Propoſitio ſequentium ab initio

capi-

capitis primi, usq; ad versum 19. II. Pars, Narratio, cum intermissis pluribus confirmationis argumentis, per universam historiam sequentem. III. Pars, Conclusio. cap. 20: 30 & 21: 44.

C A P. I.

V. 1. Ἐν ἀρχῇ. In principio rerum omnium. Propositio, in qua 1. asserit æternitatem verbi. 2. ostendit eum esse omniũ rerum principium & caussam præexistentem. 3. caussam cognitionis Dei. 4 Caussam salutis hominum & reconciliationis cum Deo, per fidem. 5. Incarnatum & verum hominem factum, plenum gratia & veritate; quia & nos in ipso gratiam sumus consequuti cum veritatis cognitione. Hæc sunt quæ in sequentibus Evangelista probare intendit. Docuit Cerinthus supremũ Deum non creasse mundũ, sed virtutẽ quandam eo longe inferiorẽ, ipso nesciente; Iesum v. Iosephi esse filiũ, & in baptismo descendisse in ipsum, ex supremo Deo, Christum, in specie columbæ, cujus virtute miracula fecerit, & docuerit prius de Deo incognita: à quo postea discedens Christus impassibilis, Iesum passioni exposuit. Ieren. l.1. cap.25. Adversus hæc deliria, propositionem hanc, & sequentia Evangelista dirigit: ostendens verbum, hoc est, Iesum Dei filium fuisse in initio rerum creatarum, ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς. 1. Ioh. 1: 1. Sapientia patris dicitur Prov. 8: 22. *Possedit me in initio viarum suarum, ante opera sua. ab æterno.* Explicatur æternitas ejus per α & ω Apoc. 1: 8. ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, Et Exodi 3: 6, Qui est. & v. 14. Ero qui ero: æternitatem notans ubi non est initium neq; finis: sed omnia temporis momenta complectitur & excedit. λόγος, igitur, non significat verbum, quale est id quod ore hominum profertur, sed substantiale, Deo coæternum, est enim Deus:

ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ Ebr. 1: 3. Nō est v. essentia Divina nisi una: non est ergo creatura. 1. Quia, ante omnem creationē erat apud Deum, ante tempus, hoc est in æternitate, cum non esset principium, neq; finis. Ps. 2: 7. Apud Deum fuisse dicitur, quia propriam subsistentiā habet, quamvis sit Deus, unam cum Deo essentiam habens: de qua Ioh. 14. *Ego in Patre sum, & Pater in me.*

V. 3. *Πάντα* 2. omnes res creatæ, per ipsum factæ sunt, Ergo ipse non est creatura; rationem addit, quia nihil est usquam, quod factum est, nisi ab ipso. ps. 102: 26. *Opera manuum tuarū sunt coeli.* Et quæ fuerit vis hujus verbi, apparet ex prima creatione: Dixit & facta sunt. Gen. 1. Unde sic concludit; virt⁹ quæ ex nihilo fecit omnes res creatas, est æterna, infinita, Divina: Verbum patris id effecit: Ergo est Deus. Ideoq; huic verbo, etiam rerum creationem attribuit David. ps. 33. *Verbo Domini coeli firmati sunt*; &c. Quem loquendi modum imitatus est Iohannes. Sicut enim mentis Character est verbum, sic filius Dei profert nobis arcanam voluntatem Patris, de salute generis humani, ab æterno decretam, & reconditam à seculo. infra v. 18. Eph. 1: 3. Rom. 16: 26. Et potentia, sapientia, misericordia Patris lucet in filio: Pater loquitnr per filium. Ebr. 7. 1. miracula facit. Ioh, 14: 10.

V. 4. *Ἐν αὐτῷ ζωή.* 3. Ratio, qua probat Divinitatem verbi: quia per ipsum omnia consistunt; Est enim causa essendi fons & principium vitæ, quæ est res in creaturis præstantissima: sicut loquitur Paulus Act. 17: 25. *dat omnibus vitam & inspirationē & omnia*: & v. 28. *In ipso vivimus, movemur & sum⁹.* Maximè vero illustris est in omnibus visibilibus vita hominis, ratione & mente ornata, cui innata erat cognitio Dei:

qua

qua illuminata mens hominis, Deum rectè colere potuit.

V. 5. καὶ τὸ φῶς 4. Rat. à reparationis beneficio, qua post lapsum, hominem in peccato mortuum, ad lucem cognitionis Dei revocare voluit divina misericordia, per filium. Divinum hoc opus erat: neq; enim potuit creatura infinitæ Dei justitiæ satisfacere, Diabolum & mortem vincere, &c. Hæc Evangelista in sequentibus pluribus explicat. Cum verò Deus velit omnium hominum salutem, & filium, ideo miserit; quæritur cur non omnes salventur? Respondet, lux non est in causa, quæ æqualitèr lucet ubiq; sed cæcitas humanæ mentis, non recipientis radios lucis: sicut salvator dicit, infra ad Nicodemum, cap. 3: 19. Per tenebras enim Sp. sanctus mentis cæcitatem notat, infra v. 10. & cap. 3: 19. Eph. 2: 1. 4: 17. 5: 8. Et ratio humana, tenebris obscurata, lucem Evangelij non percipit, ex se, nisi à Deo per Sp. Sancti illuminationem, ad intelligendum disponatur. 2. cor. 3: 5. *Non quod sufficientes simus ex nobis*: &c.

V. 6. Ἐγένετο, 5. Ratio, à testimonio Iohannis; de cujus missione & officio brevem narrationem inserit. Missio erat Divina, Luc. 3: 2. ex prophetia Esa. c. 40. Et Malach. 3: 1. *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam:* explicante prophetiam Christo salvatore: Matt. 11: 14. & 17. 12. Officium; testificari de Christo, & parare viam Domino Christo, jam jam venturo, adeoq; præsenti: ut patet ex sequentibus. Finis, ut ommes crederent; vult igitur Deus omnium salutem.

V. 8. οὐκ ἦν. Occupatio; qua Iohanem cum Christo confert: non erat ipse principium & fons lucis; sed ipse à Christo illuminatus, testificabatur de luce, Christo scilicet Messia, qui omnes illuminat. 2. Tim. 2: 10. Dicitur lux vera,

quia eſt fons & principium, cognitionis de Deo, & conſilio Dei de ſalvandis hominibus inf. v. 18. Opponuntur huic luci tenebræ, hoc eſt ignorantia Dei, & myſteriorum fidei Chriſtianæ: item umbra & figuræ veteris teſtamenti, quibus hæc myſteria fuerunt involuta.

V. 10. ἐν τῷ. Miratur Sp. Sanctus averſionem & contumaciam impiorum: 1. quia in mundo cum hominibus fuit converſatus. 2. Mundi creatorem ſe eſſe declaravit, miraculis immutantibus naturam. 3. converſatus eſt apud ſuos, & in cognatione ſua, habente vaticinia & promiſſines ac teſtamentum: Rom. 9:4. nec tamen fuit agnitus aut receptus pro Meſſia; Iuxta illud Eſa. 53: 2. *Decor non erat neq; aſpectus, non deſiravimus eum.*

V. 11. ὐ παρέλαβον: non receperunt eum; voluntariam malitiam & averſionem notat hoc verbum, ſicut voluntariam ignorantiam, quod ipſum non cognoverunt, v. 10. conferatur explicatio Pauli, 1. cor. 2: 8.

V. 12. ὅσοι. Objectioni reſpondet, quæ experſſe ponitur infra. c. 7: 48. *Nunquid ex principibus aliquis credidit in ipſum.* Et cur non omnes eum receperunt? Et ex Iudæis tam pauci? Ad has objectiones diſtinctè reſpondebit in ſequentibus: nunc breviter. Deus propoſuit nobis Chriſtum ut per ſangvinem ſuum Deum nobis reconciliaret; cujus meritum fide accipiendum nobis exhibet, ſalutis medium; quod qui recipit, modo àDeo determinato,à peccatis liberatus hæres fiet æternæ ſalutis,& filius Dei vocabitur. Rom. 3: 22. & c. 4. 5: 1. 8: 14. Eph. 2. 5. Hæc eſt janua damnatis ad ſalutem aperta, poteſtas à Deo data,& per Chriſtum revelata; quam nulla noſtra induſtria invenire aut mereri potuimus. Credere oportet in nomine ejus, hoc eſt, Evangelio: reſpicit

cit etiam miſſionem Apoſtolorum. Luc. 24: 47. *Oportebat Chriſtum pati & reſurgere à mortuis, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, in omnes gentes.* Nam in nomine Chriſti prædicabant, miracula fecerunt, & baptizabant. Itaq; ſi omnes non credunt, ſalvantur tamen credentes; & incredulitas quorundam fidem Dei non evacuat, Rom. 3: 3.

V. 13. Οἳ οὐκ. Declaratio additur, unde verè dicantur, filij Dei: non quia carnali nativitate ex Patriarchis & Davide deſcendunt; ſicut declarat Apoſtolus, Rom. 4. & c. 9: 7. & dicuntur filij carnis. item, Galat. 4: 22. *Non ex voluntate carnis,* hoc eſt, modo quem humana & carnalis voluntas vel ratio ſibi præfigit: ſicut cum Iudæi per legis opera, ſalutem in propria juſtitia ponunt. Rom. 10: 2. Et, Gal. 3. *Neq; ex voluntate viri*; quod robur denotat & vires carnales, ut cum dicunt Scholaſtici hominem ex puris naturalibus poſſe diligere Deũ ſuper omnia, & ita ſalvari, per liberi arbitrij vires naturales; qui fuit error Pelagianorum. Sed qui ex Deo nati ſunt; id eſt, ſecundum promiſſionem, Rom. 9: 8. *Non qui filij carnis hi filij Dei; ſed qui filij ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine*: quod amplius declarat Apoſtolus, Gal. 4. Et Rom. 4. Et Chriſtus ſalvator infra c. 3. in colloqiuo cum Nicodemo. Sicut Iſac ſecundum promiſſionem factus eſt hæres terræ Canaan; ſic Iudæi, nõ ſecundum carnalem prærogativam, ſed ſecundum promiſſionem; *In ſermine tuo benedicentur,* non hi ſolum, *ſed omnes gentes.* &c. Qui ſperat in eum non confundetur. pſ. 118. & Eſa. 28, Media hujus nativitatis, quæ alias regeneratio dicitur, ſunt verbum & ſacramenta, per quæ Sp. Sanctus generat filios Dei, æternæ felicitatis hæredes. 1. Pet. 1: 23. *Renati non ex ſemine corruptibili*

ſe'

sed incorruptibili per verbum Dei vivi, permanentis in æternum. Et Ioh. *3.* *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu.* &c. Tit. *3*: 5. *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis ac renovationis* Sp. *Sancti.* Matt. 28. *Qui crediderit & baptizatus fuerit,* Et hi sunt filij, de quibus prædixit Sp. Sanctus, Ps. *45*: 17. *Nascentur tibi filij: constitues eos principes in universa terra.*

V. 14. καὶ ὁ λόγος. Verbum significat filium Dei æternũ, sicut supra ostensum est; caro humanam naturam, scripturis usitato loquendi modo; Gen. *6*: 12. *Omnis caro corruperat viam suam.* Ps. 136. *dat escam omni carni.* Et ps: *65*: 3. *Tu preces exaudis, ideo veniet ad te omnis caro.* Factum est, scilicet unione personali, assumpsione hominis in Deum: Heb. *2*: *16*. semen Abrahæ assumpsit. Ex distincta carnis & verbi appellatione, naturarum distinctio ostenditur; sine confusione. Et ne quis hic faciat duo subsistentia, subijcit Evangelista, Habitavit in nobis, seu in carne nostra: sicut Col. 2: *10*. *In ipso habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* Habitatio etiam hæc denotat conversationem cum hominibus; hoc est, exinanitionem, qua, licet assumptus in Divinam gloriam, tamen sustinuit humanam conditionem subire, seq; humanis infirmitatibus subijcere, & Deo patri obediens factus, etiam crucis supplicium pertulit. Phil. 2. Ne quis verò existimet Iesum fuisse à Christo derelictum, sicut Cerinthus docuit, aut separationem factam naturarum, cum potentiæ privatione: itaq; Divinæ sapientiæ & potentiæ radios interdũ exeruit, miraculis, doctrina admirabili, clarificatione in monte, item illustri resurrectione & victoria mortis & Diaboli, cum gloriosa ascensione in cœlum. quæ dicitur gloria quasi unigeniti: quæ filio Dei competit,

nec

nec eſt communis creaturis *Quaſi unigeniti* ſicut Phil. 2. *in forma Dei* & *eſſe æqualem Deo*, ut intelligatur hæc gloria eſſe Chriſto homini communis ex unione cum Deo. *Gratia* autem & veritas, reſpicit ſermonem gratiæ, quæ exibat ex ore ejus: Luc, 4: 22. quæ erat ſignificatio & exhibitio gratiæ Dei, deſtinatæ credentibus, cum promiſſionum veritate. inf. v. 16. Et hæc eſt 6. Ratio, (deſumpta ab officio chriſti, ut & ſequentes:) probans Chriſtum eſſe Meſſiam filium Dei; quia doctrina & miraculis ac prædictionibus talem ſe declaravit in carne, & in converſatione noſtra.

V. 15. Ἰωάννης. 7. Ratio: à teſtimonio Iohannis, teſtantis de æternitate Chriſti, qui cũ poſt Iohannem conceptus & natus erat, tamen dicitur ante ipſum fuiſſe, ſicut ante Abrahamum, infra cap. 8: 58. Et poſt eum etiam futurum duratione ſcilicet perpetua. Apoc. 1: 8. *Qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt, omnipotens.*

V. 16. καὶ ἐκ τοῦ, 8. Ratio, quia ipſe nobis eſt cauſa & principium gratiæ ac reconciliationis cum Deo; *Deus enim erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi.* 2. cor. 5: 19. Et ex gratia hac meriti ac reconciliationis, qua ipſe abundat, nos etiam participes facti, Deo reconciliati ſumus. Patet hæc gratia univerſalis; non in ſolos electos, ſed ſufficit in omnes homines, & abundat, ſicut pluribus demonſtrat Paulus Rom. 5: 15. Gratia igitur qua Chriſtus, patri dilectus eſt per naturam, cauſa eſt per quam & nos dilecti reddimur: Eph. 2: 5.

V. 17. ὅτι ὁ Νόμος. Amplificatio hujus doni gratiæ per Chriſtum, ex collatione cum Moſe, per quem Lex eſt data, quæ iram operatur, nec poteſt homines ſalvare; Gal. 3. Chriſtus verò nobis voluntatem patris revelavit, & gratiam promeruit, ita ut & nos per ipſum in eam gratiam, & jus filiorum ſimus adoptati. Rom 8.

V. 18. Θεὸν. Cerinthus dixit Deũ ſupremum nunquam apparviſſe, nec mundum creaſſe. Reſpondet Iohannes ſupra, patrem per filium creaſſe omnia, unam eſſe naturam Divinam patris cum filio,& ſic ex creatione & filij miſſione ſe manifeſtaſſe. Interim oculis corporeis nunquam eſſe viſum mortalibus, ſicut reſpondet Deus ipſe Moſi, Exo. 33: *habitat enim lucem inacceſſam*, ait Paulus, 1. Tim 6. Neq; conſilium Dei, de ſalute nobis deſtinata in Chriſto, hominibus fuit cognitum; Rom. 16: 25 col. 1: 26· ſed per filium nobis prolatum ex arcano conſilio Trinitatis.

V. 19. Καὶ αὕτη. Hactenus exordio propoſitionem & ſummam rerum probandarum, ſeu doctrinæ de Chriſto Iohannes expreſſit. Confirmatio ſequitur, qua gravibus argumentis probat Chriſtũ eſſe Meſſiam,Dei filium, in aſſumpta natura humana pro nobis paſſum: abſolvitur ea ſex partibus principalibus. In prima,teſtimonium Iohannis adducit; poſtea deſcribit quatvor diſcipulorum vocationem; cum miraculo facto in Cana Galilææ: & quæ in Iudæa geſta ſunt usq; ad finem cap tertij. II. Deſcribitur iter per Samariam in Galilæam: inde rurſus in Iudeam ad feſtum; cum miraculis utrobiq; factis, ac diſputatione cum Judæis. cap. 4. & 5. III. Miracula facta in Galilæa & diſputatio cum Judæis: iter quoq; in Judæam & contentio cum Phariſæis, & ut aperuerit oculos cæci. cap. 6. 7. 8. 9. & parte cap. Decimi. IV. Colloquium in Encænijs cum Phariſæis; abitus à Ieroſolyma: Lazarus excitatur à mortuis cap. 11. convivium in Bethania, & quartum Paſcha Ieroſolymis actum, cum cœna ultima, ubi & pedes diſcipulorum lavit. cap. 12. & 13. V. Concio exhortatoria & conſolatoria ad diſcipulos, capite 14. 15.& 16. cui ſubjungit preces ad Deum pro Eccleſia

cap.

cap. 17. VI. Paſſio, mors ac reſurrectio, cum apparitionibus varijs & colloquio cum diſcipulis. Et his membris maxima pars hujus Evangeli abſolvtur. Primum in hac parte eſt teſtimonium Iohannis, quo declarat initio, ſe non eſſe Meſſiam: deinde oſtendit ipſum nunc adeſſe in medio eorum. Sacerdotes & Levitæ homines erant magnæ dignitatis in gente Iudaica, ſacrorum ſcilicet atq; judiciorum antiſtites: unde patet majores his fuiſſe eos, à quibus hi erant miſſi: principes ſcilicet populi & Sacerdotum. Magna igitur erat Iohannis exiſtimatio in hac gente, cui tam ampla legatio mittitur: idq; partim ex nativitate miraculoſa, partim ex vita accurata, & ſevera exhortatione Luc. 3: 3. Quia etiam nunciavit præſentiam Meſſiæ; cujus adventus tanto magis expetebatur, quo gravius iugo Romanorum præmebantur, & noverunt ex prædictione Danielis adeſſe tempus venturi Chriſti liberatoris.

V. 19. Καὶ αὕτη. II. Pars capitis. Incipit hîc narratio cum argumentis confirmationis, paſſim Narrationi hiſtoricæ intermiſtis; quibus maxima pars hujus Evangelicæ hiſtoriæ abſolvitur. I. Ratio confirmationis qua probatur Chriſtum eſſe Meſſiam, à teſtimonio Iohannis, quod, ut confeſſor, Baptiſta non ſine periculo edidit. Legatio ampliſſima erat, ex Ieroſolymis, intellige, ex ſenatu ſupremo, ad quem ſpectabat religionis & ſacrorum inſpectio. Mittebantur viri præcipuæ dignitatis apud Iudæos, Sacerdotes, & Levitæ qui judicia exercebant, Deut. 17:9. Ex ſecta Phariſæorum, infr. v. 24. quæ habebatur tum temporis exactiſſima; ἀκριβεστάτη, act. 26: 5. Non potuerunt hæc Evangeliſtæ eſſe incognita, Ieroſolymis habitanti, cui etiam familiaritas cum Pontifice interceſſit, infra cap. 18: 15. Occaſio & cauſa lega-

tionis erat, quia prædicavit Iohannes exhortationem novam ad poenitentiam, & ritum novum baptiſmi introduxit, tanta cumſeveritate, ut pervenerit admonitio hæc ad omnes ordines,& penetraverit in corda omnium,ut refert Lucas Evangeliſta cap. 3. etiam ad ipſum Regem. Commovebatur tota Ieroſolyma & Iudæa, exibat ad Iohannem. Matt. 3. Plurimi etiam ex Phariſæis ac Sadducæis. Nec auſi fuerunt eum cohibere, propter miracula quæ circa nativitatem ejus contigerunt, ac vitæ doctrinæq; ſeveritatem: & quia à populo habebatur ut propheta. Matt. 14: 5. Suſpicio item erat, annon ipſe eſſet Chriſtus. Magna ſiquidem erat tum temporis expectatio venturi Chriſti, ex vaticinio Danielis, ad finem decurrente 70. hebdomadum numero: deſiderium auxit jugum Romanorum, cujus erant valde impatientes Iudæi, memoria recolentes vaticinium Patriarchæ de ſceptro Iuda. Gen. 49. Unde ſuſpicantur: ſi non ſit Meſſias, Eliam eum eſſe, præcurſorem; ex oraculo Mal. 4: 5. ad verbum intellecto; revocandum ſcilicet in vitam Eliam prophetam: ante adventum Meſſiæ. Quæ cum de ſe omnia Iohannes requiſitus negaſſet, urgent amplius, an ſit Propheta? Ex articulo Græco ὁ, Chryſoſtomus & alij putant quæri,an ſit ille propheta promiſſus Deut.18:15.Quæ promiſſio cum duplicem ſenſum habeat; prophetam denotans illum magnum, Meſſiam ſcilicet, fidelem in domo Dei ſicut Moſes, & ſupra Moſen. Heb. 3: 2. Et prophetam qualis fuit Elias,Eſaias,Ieremias & cæteri;de hoc poſteriore accipienda eſt Iudæorum quæſtio; nam de Chriſto quæſitum fuit antea. Laudat autem Baptiſtam Sp.Sanctus, quod ſine tergiverſatione, confeſſus ſit; & non negaverit, territus autoritate legatorum, & potentia eorum à quibus mitteban-

tebantur : verum clara responsione ostenderit quis sit & quod ejus officium.

V. 22. Εἶπον. Quia priora omnia de se negavit Baptista, itaq; propriam ejus de seipso sententiam exposcunt. Respondet verò se esse eum de quo vaticinatur Esa. cap. 40: 3. præcursorem Messiæ, qui parat viam Domino. Est igitur Elias iste de quo prædixit Malach. cujus idem foret officium; probatur ex explicatione Christi, Matt. 17: 12. Maluit verô Baptista acquiescere, in verbis Esaiæ quam illa Malachiæ adducere, ne in nominis Eliæ, ambiguitate errarent. Harum circumstantiarum diligens observatio mirifice amplificat testificationem Iohannis, cujus magna vis est ad certitudinem fidei nostræ, hunc Iesum verè esse Messiam.

V. 23. Ἔφη. verbis scripturæ respondet, nimium aut parum sibi non tribuit, ministrum se esse docet tantum, non Dominum: sicut Paulus de se 1. cor. 3: 5. ministri per quos credidistis. Docet baptista quod sit ministerium ejus in specie, sive ab aliorum ministerio diversum, videlicet, parare viam Domino, juxta prædictionem Sp. Sancti: Videlicet Messiæ præsenti.

25. Καὶ ἠρώτησαν. Cum Iohannes superius de se quæsita omnia negasset, Legati acri instantia Iohannem reprehendunt, qui novum baptizandi ritum inchoaverit, sine autoritate publica ministerij ordinarij: cum non habeat autoritatem extraordinariam Divinam, ut Christus, aut Propheta. Extat vaticinium de aquis mundantibus, Ezechielis 26: 25. Sed quia à Iohanne non adducitur, neq; à legatis, vix credendum est Iudæos potuisse ex his deducere ritum baptismi : sed urgent tantum vocationem, quam putant Iohannem non habere neq; ordinariam, neq; Divinam, ex

propria ejus confeſſione. Si enim haberet Divinam, propheta eſſet. Simili quæſtione etiam Chriſtum urgent, Luc. 20: 2. Reſpondet Iohanes ad Chriſtum ſe referens, cujus ſe miniſtrum profitetur, efficaciam verò baptiſmi à Chriſto eſſe, qui nunc præſens, verſatur in medio eorum.

V. 27. Ἀυτός. Æternitatem Chriſti deſcribit, qui licet poſt Iohannem conceptus & natus ſit, erat tamen ante ipſum; ſicut ante Abrahamum, inf. c 8: 58. etiam poſt ipſum duraturus in æternum; juxta verba Angeli, Luc. 1: 32. Deus eſt igitur. Cujus dignitatem & ſupereminentiam oſtendit Iohannes, ſuæ perſonæ inſigni ſubjectione, de quo tam magnifice ſentiunt legati.

V. 28. Ταῦτα. Ad majorem certitudinem etiam locum deſignat Evangeliſta, ubi hæc geſta ſunt. Bethabara trajectus erat, & via publica tranſeuntibus Iordanem, ubi etiam tranſijt Ioſva cum caſtris verſus Iericho Ioſ 3. Caſtrametatus in Gilgal. cap. 5. Quo locò etiam Chriſtus baptizatus eſt. Locus erat propter iter publicum & trajectum Iordanis, celebris, & hominibus frequens.

V. 29. Τῇ ἐπαύριον. Alia teſtificatio Iohannis poſtridie facta, coram diſcipulis & populo cupiente videre Meſſiam, quem prædicabat Iohannes: Ubi oportunè Chriſtus ſe exhibet. Legati verò ſpreta teſtificatione Iohannis, de Chriſto ulterius nil quærunt. Monſtrat autem Chriſtum venientem populo, Brevibus officium explicat, cauſamq; cur venerit in carnem. 1. eſt agnus, præfiguratus agno paſchali, & prædictus Eſa, 53: 7. 2. agnus Dei, hoc eſt à Deo ordinatus & propoſitus ad ſalutem hominum. 3. Officium, ſcilicet, tollere peccata mundi, & genus humanum Deo reconciliare: quod ſacrificia Levitica præſtare non potuerunt, Heb. 9. & 10: 1.

10: 1. Mundi vox, cum bonos pariter & malos complectatur intelligimus Christum passum esse pro omnibus.

V. 30. ὅυτ@. 4. Æternitatem, ejus describit, ut supra, v. 15. & 27.

V. 31. Καγώ 5. Ostendit ipsum antea facie sibi fuisse incognitum: suæ vero missionis causam esse, ut indicet Messiam, hominibus incognitum: & hic fuit finis prædicationis & baptismi Iohan̄is. Non enim baptizabat Iohannes in nomine suo, sed in fidem præsentis Messiæ; ut incredulos ad salvatorem Iesum converteret. Deinde non satis erat ad notificandum Messiam populo, si in spiritu eum noverit, & in ipsum crediderit: venit enim ut personæ salvatoris notictam præberet, etiam in individuo, idq; ex dispositione Divina; ut notus fieret mundo, ne errarent de persona; quia instinctu Diaboli plures ante ipsum pro messia se extulerunt, ad perturbandum salutis negocium: Act, 5: 36.

V. 32. Καὶ ἐμαρτύρησεν. 6. Non erat incerta, aut ex humana autoritate profecta hæc ejus notitia, sed cœlitus ad ipsum delata cœlesti apparitione, & voce Divina: cum cœlo aperto Sp. sanctus velut columba super ipso requiescens, personam monstraret. Matt. 3: 16.

V. 33. Καγὼ. Quia verò apparitiones ipsæ quoq; sæpè fallunt, propter stuporem & infirmitatem humanæ mentis, transfigurante se Diabolo in angelum lucis; ideoq; Baptistam Deus informavit, prædicando admirabilem hanc visionem, cum ipsum immediata vocatione ad baptizandum mitteret. Divina hæc revelatio fundamentum est infallibile, cui sine ulla hæsitatione fides Christiana initi & insistere potest. Baptizatus est Christus in frequentia hominum: Luc. 3: 21. *Factum est autem cum Baptizaretur omnis populus, &*

Iesu

Iesu baptizato & orante, apertum est cœlum: &c. Ut inspectantibus & audientibus pluribus, fides testificationis Iohannis roboraretur ne adversus ipsum testantem excipere possent increduli. Notandâ autem sunt verba Evangelistæ Lucæ, Sp. sanctum descendisse σωματικῷ εἴδει. assumpto vero scilicet corpore; alias enim Deus nec videri, nec descendere potuisset. Hic est qui baptizat in Sp. sancto; id est, dat virtutem baptismo, & dona spiritualia confert baptizatis, per elementa, per verbum & ministerium baptizantis: à quo etiam Iohannis baptisma virtutem sortitur. Ejus itaq; minister erat Iohannes. Quod verò antea superbis & imperiosis Pharisæis respondere non est dignatus, nunc respondet populo simplici & doctrinæ cupido: ostendens se Divinitus missum ad baptizandum, vocatione extraordinaria, Deumq; sibi apparuisse; Pharisæos autem ad prædictionem Esa: remittit.

V. 34. Καγώ. Ex dictis apparitionibus testificaonẽ suam infert Iohannes, Christum à se baptizatum esse filium Dei, à Patre missum ad salutem credentium.

V. 35. Τῇ ἐπαύριον, Tertia testificatio die sequente coram discipulis, ijsdem verbis sicut antea ad populum. sup. v. 29. sic omni studio officium Baptista exequitur, populum & discipulos informans & ad Christum adducens: & quidem non sine fructu. Pluribus verbis id fecisse Iohannẽ, patet ex suprioribus, & infra ait discipulos audivisse eum loquente: & cap. 3:27. sermo Iohanis ad discipulos discribitur.

V. 36. Καὶ ἐμβλέψας. III. Pars capitis fructum prædicationis Baptistæ designans, Discipuli enim à Iohanne persuasi, ad Christum se conferunt, quem pro filio Dei & Messia agnoscunt: Christo etiam datur occasio, plures discipulos

los vocandi. Nomen unius exprimitur v. 40. quis verò fuerit alter ex his duobus, non constat.

V. 38. Στραφεὶς: Christus daturus occasionem familiaritis & colloquij, ipsos prior alloquitur, de instituto quærens: illi verò de contubernio quærentes, ostendunt se ulterius aliquid cum magistro agere velle, quod in itinere & in plurium conspectu, minus commode fieri potuit: hominemq; adhuc ignotum pro Magistro recipiunt & agnoscunt, ex informatinoe Baptistæ. Benignitatem salvatoris experti, hospitiumq; una ingressi commorantur & communicant, studio laudabili, proficiendi in fide, qui ulteriore confirmatione stabiliti, alios erudiunt ac in societatem adsciscunt. Hora erat decima, hoc est, circa vesperam, juxta Hebræorum horologia, unde patet eos cum salvatore pernoctasse in hospitio.

V. 40. Ἦν Ἀνδρέας. Progreditur Evangelista, describens qua occasione vocatus sit Petrus: Andreas unus ex duobus discipulis Iohanis, ex colloquio & conversatione cum Christo, credit Christum esse Messiam, postea inventum Petrum ad eundem adducit, eiq; persuadet fidem eandem. Apparet ex his quam fuerit humile Ecclesiæ exordium, ab hominibus scilicet piscatoribus: non erant opes, non pompa, autoritas nulla, nec quicquam quod mundus probat aut miratur. Talem fore Messiam docet Esa. cap. 53: 14, talem esse cœtum vocatorum ostendit Paulus, 1. cor. 1; 26. *Respicite fratres vocationem vestram, &c.* Indicio hoc erit, similem fore statum Ecclesiæ in posterum, non in potentia terrena, ac externa pompa.

V. 41. Εὑρίσκει. Andreas invenit Petrum in Judæa, habentem patriam & habitationem in Galilæa: uxorem quoq;

& ſocrũ. Luc. 4: 38. Itaq; peregrino in loco converſatur, adductus fama Baptiſtæ prædicantis de pœnitentia, & indicãtis præſentiã Meſſiæ, cujus notitiæ cupidus, de doctrina Baptiſtæ cum fratre ſæpi⁹ comunicabat: frater verò Andreas, viſo & agnito Meſſia, fratri lætũ nuncium afferre geſtiens, de Meſſia præſente ei indicat; eumq; ad Chriſtum adducit, ut quoq; de perſona & officio meſſiæ ſimiliter informetur. Unde apparet veram in Andreá fuiſſe fidem, qui ipſe de acquiſita cognitione lætus, alijs bona eadem communicare geſtit, quale eſt credentium deſiderium, ut fama beneficiorum Divinorum ad plurimos deferatur.

V. 42. ἐμβλέψας. Petrus à Chriſto honorifice excipitur: primò ivtuetur ipſum, non ut homo, phyſiognomiam obſervans, ſed cor ipſum & interiora Petri, ſimplicitatem, & immotam conſtantiam in fide, petræ ſeu angulari lipidi inſiſtentem. De hoc lapide vaticinatur David. pſ. 118. Eſa. c. 28. Divina igitur virtute proſpiciens Petri conſtantiam, & perſeverantiam, in fide ac profeſſione Evangelij; à Petra ei nomen indidit, quo alludit etiam Petrus 1. Ep. c. 2: 5. Et ſalvator ipſe, Matt. 16: 18. Petrum itaq; à petra denominat, cui fides Petri & omnium fidelium innititur. Petra ea eſt Chriſtus, ſicut Paulus explicat 1. cor. 10: 4. in quem etiam patres ſperaverunt: Act. 15: 11. *Nec dicit tu es Petra, ſed tu es Petrus*, ait Auguſt. retractat: c. 21.

V: 43. *Τῇ ἐπαύριον. 3.* Philippi vocatio deſcribitur, quem non ſponte venientem, ut priores, ſed inventum vocat Chriſtus, ſibiq; comitem adjungit, in Galilæam iturus: communem habuit cum Petro & Andrea patriam, Bethſaida, in Galilæa, ad lacum Genezaret.

V. 45. *Εὑρίσκει.* 4. Nathanael à Philippo adducitur; dicit

cit Philippus Iesum Nazarenum Iosephi filium, qui putabatur, esse Messiam à Prophetis prædictum; unde apparet genuinam fuisse Philippi fidem. Nathanael haud ducit verisimile ex Galilæa posse ortum habere Messiam aut Prophetam; quæ erat Pontificum & Pharisæorum opinio, infra cap. 7. 41. & 52. sine dubio in vulgus sparsa. Contraria erat omnium sententia ex prophetia Micheæ c.5. Christum oriundum ex Bethlehem; Matt. 2: 6. itaq; Philippus ad experientiam provocat, haud dubius si Christum ipsum videat & audiat, crediturum Nathanaelem. Philippi sententiam Christus ipse comprobat, ac specimen exhibet Divinæ scientiæ, sicut ad Petrum, cui parentes nominat, hujus verò sicut illius ingenium notat, cum cricumstantia sermonis ad Philippum.

V. 48. *Λέγει.* Nathanael hanc Christi sapientiam miratus, rogat unde ipsum noverit? Ulterius itaq; à Christo confirmatur, qui ei per circumstantias vocationem Philippi explicat, sub ficu scilicet; ostendens se novisse ac vidisse absentem & ignotū de facie. Sic vidit Lazarum morientem inf. c. 10. *ipse enim sceibat quid esset in homine.* cap. 2: 25. Videns Nathanael in Christo Divinam hanc & admirabilem scientiam, in hanc confessionem erumpit, & fatetur Christum esse filium Dei; quod quia Pharisæi ignorant, Matt. 22: 42. certum est eum id habere ex informatione Philippi, qui idipsum sivè ex conversatione Petri & Andreæ, sive à Chirsto ipso didicit, sive omnes à Iohanne. Neq; enim caro tales cogitationes suppeditat, dicente Christo ad Petrum. Matt. 16: 17. Regem Israelis Christum appellat, ex communi errore de regno terreno, quam ignorantiam Christus in illis tolerat, (neq; enim simul omnia discere potuerunt) habet

namq; Evangelij doctrina sua initia & progressus, prout Deus cuiq; revelaverit. Phil.3: 15. Promittit autem Salvator revelationes verbi ac miraculorum ulteriores & majores.

V. 51. Καὶ λέγει. Nominatim eis pollicetur, complendam ipsis vivis & videntibus, Jacobi patriarchæ visionem, quæ describitur Gen. 28: 12. Quæ continet promissionem, de implenda benedictione patribus facta: ubi quædam est conjunctio cœlitum cum mortalibus, Dei cum hominibus, per scalam, hoc est, per filiũ hominis, qui aperta portâ cœli, iter præbet fidelibus in cœlũ, eosq; Deo conjungit. Si quis verborũ significationi insistere velit, & commigrationem querat Angelorum à Deo ad homines, eodem res recidit: nam mediante Christo ejusq; merito, Deus hominibus propitius factus; ministerio angelorum utitur, ad mutuam à Deo ad homines commigrationem & vice versa, ad revelationẽ Divinæ voluntatis ad Ecclesiæ defensionem, & ministerium fidelium; quod ministerium Angeli, hominibus placidi effecti, læti exequuutur. Alias quoq; discipuli viderunt cœlum apertum, Matt. 17. cum clarificaretur Christus. Stephanus, Act.7. Angelos quoq; ad sepulcrum Christi; in ascensione ad cælos: discipuli viderunt; & Act. 1. & Petrus Act. 12. Et hæc est reconciliatio *seu pacificatio eorũ quæ in cælis sunt & in terra*; cujus meminit Paulus col 1: 20. Eph. 1: 10. Sit itaq; Alterum confirmationis argumentum, vocatio quinq; discipulorum, in qua de rebus ignotis & absentibus Christus vaticinatur: quod argumentum tanti erat ponderis, ut fidem faceret Apostolis, Christum esse filium Dei, salvatorem promissum. Hoc argumento inducta credit Samaritana; Joh. 4: 29.

CAP

Prima pars hujus capitis nuptias describit, cum miraculo facto in Cana civitate Galilææ: quod in hac prima parte corfirmationis est argumentum in ordine tertium.

V. 1. Καὶ τῇ Tertia die, post adventum Christi in Galilæam. Nam si primam diem facimus cum vocaretur Petrus, secundam cum Philippum invenit; hanc vero tertiam: non potuit tam brevi tempore in Galilæam transire. Mater adest, ex Nazaret, suæ habitationis loco adveniens: quæ quia de vini defectu turbatur, & anxia opem filij implorat, colligitur eam ministerio suo cum cæteris curare, quæ ad convivij apparatum requirebantur; sive ob familiaritatem cum novis conjugibus, sive propinquitate intercedente, ideoq; vocatur Iesus filius, cum discipulis. Et infra v. 12. dicitur cum matre & fratribus descendisse à Cana Capernaum, itaq; cognati nuptijs interfuerunt. Ex his colligunt interpretes, Sponsum aut Sponsam fuisse ex cognatione Mariæ, consequenter etiam Christi. Simon etiam qui Matt. 10. inter Apostolos censetur, Cananæus erat, qui & frater Domini dicitur; Matt, 13: 55. Deficit vinum, auctis præter expectationem hospitibus, idq; in media festivitate & hilaritate nuptiali: Ut intelligamus in statu conjugali, non læta semper & jucunda occurrere, sed molesta plurima, acerba quoq; & periculosa, ex quibus liberati, discamus Deum in angustijs serio implorare, auxilium Divinum sperare ac intelligere, Deoq; gratias agere. Christi quoq; adventus Spiritualia bona plurima adfert, conjugalem festivitatem præsentia sua sanctificat, miraculo & vini munere exornat, statum hunc Sanctum, sibiq; curæ esse ostendit. Tristitiam tamen & solicitudinem de vini defectu secum ad nuptias adfert, qua pij conjuges tristantur, & nuptialis

III. Argum.

festivitas ac lætitia turbatur: ne quis existimet, Christi favorem ac præsentiam in felicitate mundana consistere.

V. 4. Λέγει. Matris petitionem velut importunam, paulo immitioribus verbis Christus reijcit; causa est, quod se Maria ingerat in officium Christi, restringens potestatem miracula faciendi, ad temporale commodum propinquorum, quam Deus ordinavit ad fidei confirmationem. Mulierem appellat, ut sciat in rebus officij nihil magis eum matri, quam cuivis mulieri debere: sic filijs zebedæi cognatis, non plus tribuit quam alijs fidelibus, cum matre intercedente carnalem prærogativam urgent, Matt. 20:26. *Nondum venit hora mea*: est altera pars responsionis, qua docet actiones spirituales fidem concernentes, non in hominum, sed Dei esse arbitrio: Sic *Spiritus ubi vult spirat*. infra c. 3: 9. *cui vult miseret ur*. Rom. 9: 19. Neq; verò semper est tempus miracula faciendi. Et Luc. 4: 23. *Quanta audivimus facta in Capernaum, fac. & hic in patria tua*. & v. 25. *Multæ viduæ erant in diebus Eliæ*, &c. Et Luc. 5: 17. *virtus domini erat ad sanandum*. Prævidens autem Sp. sanctus idololatriam eorum, qui ultimis his temporibus faciunt Mariam Reginam cœli, imperantem filio, cui Divinos honores tribuunt, & eam adorant: itaq; severa hac responsione non tam matrem ex simpliciate erantem, sed ultimi seculi hærericos idololatras, ab hominum adoratione deterret. *Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli servies*, Deut. 6: 13. *Ego Deus, gloriam meam alteri non dabo*. Esa. 42:8. Maria, quia petitionem filius non denegat simpliciter, sed ad tempus idoneum reijcit, cujus arbitrium sibi reservat: itaq;, quæ est veræ fidei natura, non cessat Maria, nec desperat, sed ministros hortatur, ut attenti expectent, quid sit facturus, & jussa exequantur.

tur. Sic mulier Cananæa,ad duram Christi responsionem orare non cessat, donec obtineat; cujus fidem salvator magnopere extollit: Matt. 15. Ut asuescant fideles, obstacula precum fidei robore superare. Hæsitatio autem facit ut orantes non exaudiamur: Jacob. 1:6. Syr c. 6: 10. Obtinet Maria quod postulat, quamvis magis respiciat in petitione sua honorem sponsi, quam Dei gloriam: quam infirmitatem in suis fidelibus Deus tolerat; & in discipulis, Mat. 18: 1. 20: 20. Act. 1: 6. Rgnum Christi accipientibus de regno terreno.

V. 6. ὕδριαι δέ. Hydriæ quẽ usum habuerint Evangelista indicat; positæ erãt, scilicet, in domo convivij, lapideæ erant, multæq; aquæ capaces,itaq; graves: consvetudo enim erat Judæorum, ex seniorum traditione, crebra ablutione manus, urceos, calices & vasa mundare, quod reprehendit salvator quasi superstitiosum, Mat. 23: 25. Marc. 7: 8. Matt. 15: 1. Luc. 11. Capiunt metretas binas aut ternas singulæ, plus minus scilicet, nec omnes æqualiter. Metreta, si Budæi computationem sequimur, congios decem continet: congius verò pondus librarum duodecim, metreta igitur appendit pondus librarum centum & viginti: ex quibus faciunt nonnulli tonnas nauticas hodiernas 6. vel. 7.

V. 8. Καὶ λέγει. Iubet Christus ministros haurire, scilicet ex impletis hydrijs, ac afferre Architriclino, ut distribuat in triclinia; qui miratus vini præstantiam, putat Sponsi dispositionem fuisse,ut id ad extremum servaretur, contra morem aliorum, qui meliora in principio apponut: addita hæc sunt ut intelligamus dona Dei esse in corrupta & perfecta. Naaman Syrus ex lepra sanatus redditur corpore sanus ut juvenis. 4. Reg. 5. 14. Triclinia à

tribus χλίναις, lectibus, dicta, ad morem orientalium, quem servabant olim etiam Romani; ubi circa latera cenaculi, stragula veste pavimentum domus tegebatur; pulvinaribus impositis; lectuli tres, ternis accumbentibus sternebantur, quarto latere vacuo, pro ministrantibus: quibus lectulis singuli collectis cruribus insidentes vescebantur, cibis in medio positis. Cum placuit, altero brachio in pulvinari reclinantes recubuerunt, unde dicuntur accumbere, recumbere, declinare, reclinare, inclinare, &c. à κλίνη lectus. Pro numero hospitũ plures mensæ hujusmodi, cum lectulis ternis ad singulas mensas instruebantur: quæ consvetudo omnibus Græcis, orientalibus ac Ægyptijs in usu est.

V. 11. Ταύτην Initium hoc fuisse miraculorum Christi, Evangelista ostendit; quod notandum est adversus eos, qui aporcrypha nonnulla ediderunt, de miraculis Christi factis in pueritia. Hoc Christi miraculum, discipulos in fide confirmat, qui fuit principalis finis miraculorum, sicut docetur, infra cap. 20: 31. Dicuntur enim credidisse in eum, qui loquendi modus etiam spem includit, hoc est, fiducia cordis ei adhærent, sperantes eum qui naturæ est dominus, etiam ipsis defensionem præstare posse, bonaq; spiritualia & temporalia conferre. De ebrietate, quod hoc loco ex verbis architriclini concludunt Ebrietatis patroni, locum non habet: neq; enim Christus præsentia sua & miraculo, vitio patrocinium præstat, Ebrietas enim per se vitium est, & ἀσωτία. Eph. 5: 18. Et prohibetur Rom. 13: 13. & Ebriosi regno Dei excluduntur, 1. cor. 6: 10: Et Gal. 5: 21. Et Christ⁹ ipse indicat plurimos in fine extremi seculi, propter hoc vieium, æterna salute excidere. Luc. 21. Admittitur verò compotatio ea, quæ necessitatem modicè excedens,

dens, in mediocritate se continens, bibit non ad insaniam, sed ad hilaritatem. Hoc est quod dicitur, cantic. 5. *bibite amici & inebriamini.* Et in sacris convivijs 2. Par. 30: 22. Qualia etiam Deus mandavit, Deut. 14: 26. 16; 11. Ioseph etiam inebriatus est cum fratribus. Gen. 43: 34. Quod si in timore Dei peragatur, ad hilaritatem, modo debito servato, sine repletione, talia convivia intelligimus esse permissa: quia verò modum tenere difficile est, præstat in defectu quam in excessu peccare, talibus rarius indulgere, & adventum Christi ad judicium, nobis semper ob oculos ponere.

V. 12. Μετὰ τοῦτο. II. Pars cap. describit iter Christi Ierosolymam, & quæ in festo ibidem acta sunt. Primo Capernaum descendit, aucto jam comitatu, Matris scilicet, & fratrum, qui miraculi admiratione excitati, sequuntur plura visuri: necdum fratres ejus crediderunt in eum. infr. c. 7: 5. Fratrum horum nomina recensentur, Matt. 13: 55. Nō quidem ex Maria geniti germani Christi, sed consobrini, Alphæi filij. Matt. 10: 3. Luc. 6: 15. Act. 1: 13. Distat capernaum à Cana quinque milliaribus, Christi inhabitatione nobilis, unde civitas ejus dicitur, Matt. 9: 1. in qua miracula plurima fecit, sita erat ad mare Tyberiadis, ubi Iordanis influit; in finibus zabulom & Nephthali, Matt. 4: 13. transitus hic erat in tribum Manassis, ubi erat decapolis. Petrus etiam habitavit Capernaum: Matt. 8: 14. Nihil hîc memorabile gestum est paucis hisce diebus, quod quidem Evangelista commemorat; non verò est dubium privatim eum informasse discipulos, ut constantes permanerent in fide, quos constituit, festo imminente, secum Ierosolymam perducere.

V. 14. Καὶ εὗρεν. Christus primum pascha post baptis-

mum

mum celebrat, ac ministerium publicum incipit: templum suum cum autoritate ingreditur, juxta vaticinium Mal. 3: 1. Templum & filios Levi à prophanatione repurgat: 1. vi & potestate Divina eijciens mercatores ac nummularios, cum mercibus templum prophanantibus nemine resistente; quod non tulisset magistratus templi, à quocunq; alio privato: cedere tamen hic coguntur potestati superiori, ejus qui vel solo nutu potuit resistentes prosternere. Deinde reprehendit Sacerdotum impium institutum, qui domũ Dei sacris destinatam, ad quæstum faciendũ dirigunt, suæq; avaritiæ servire cogunt. Instituta fuit hæc mercatura à Sacerdotibus, sub specie pulcra, ex mandato Divino scilicet, Deut. 14: 24. ubi permittitur procul habitantibus, vendere quæ sacrificaturi erant, & pro ea pecunia emere Ierosolymis necessaria ad sacrificium. Sacerdotum autem erat inspicere, ut immaculata & probata essent juxta legem: hoc prætextu hanc mercaturam ad se traduxerunt pontifices, ut maximè fructuosam, quæ tamen non incom̃ode potuit ab alijs exerceri loco alio, ne templũ pollueretur, Deo sacrũ. Prima hæc fuit templi repurgatio, quã postea iteravit, Matt. 21: 12. quam exequitur primo, vi externa, postea reprehensione, doctrina & miraculis. Probat verò Evangelista Iesũ id fecisse motu heroico, ex verbis Davidis, ps. 69: 11. An vero fama vocis Divinæ de cœlo factæ in baptismo Ierosolymam pervenerit vel miraculi in Galilæa facti, id Evangelista non exprimit, certum est autem notam fuisse illis testificationem baptistæ, ex responsione superius data, cap. 1: 26. Messiam nunc esse præsentem. Nec potuit omnibus ignota esse testificatio ad populum facta postridie, cum Christum ambulantem eis videndum

dum monſtrat, ibidem v. 29. Diſtabat enim Bethabara quatvor ſolum milliaribus à Ieroſolymā.

V. 18. Ἀπεκρίθησαν. Judæi videntes ejus zelum ac confidentiam, & quia dicit templum patris ſui, atq; ex ſupradictis indicijs, intelligunt Ieſum ſibi Meſſiæ nomen atq; honorem ſumere: ideòq; flagitant, ut ſigno edito oſtendat ſe eſſe eundem.

V. 19. Ἀπεκρίθη Jeſus videns petitionem eorum ex contemptu & malevolentia proficiſci; ſignum itaq; dat ſufficiens, de reſurrectione ſua, futura poſt mortem tertia die: quam reſponſionem intricatam illi non intelligentes, de templo Ieroſolymitano accipiunt ac inepte contra excipiunt. Diſcipuli verò Spiritu ſancto donati, poſt reſurrectionem Chriſti tandem juxta promiſſionem, Ioh. 16: 13. & 25. vaticinium intelligunt. Nec malè corpus Chriſti dicitur templum Dei, *in quo habitat omnis plenitudo Divinitatis*; col. 2: 10.

V. 23. ὡς δὲ. Quia verò Sp. ſanctus prædixit Meſſiam facturum miracula ſalutaria, Eſa. 35: 4. fidem facientia, ideò etiam Chriſtus ægrotos plures in conſpectu multitudinis ſanavit, in feſto, ex quibus confirmati ſimplices, crediderunt ſermoni ejus; prædicavit autem in nomine ſuo, oſtendens ſe eſſe Meſſiam, à Prophetis prædictum, & à Deo ordinatum, quem ſermonem miraculis editis confirmavit. Crediderunt non ſolum vulgares homines & infimi, ſed etiam ex præcipuis aliqui, inter quos Nicodemus; infra c. 3. Quæritur verò cum poſtea ſigna multa faceret; cur non item ad petitionem Judæorum, ſupra v. 18. qui tamen ex officio, velut legitimi veritatis exploratores, id requirere videbantur? Reſp. vidit Ieſus quæſtionem eò tendere

ut confundatur, non ut ex doctrina & miraculis fidem conciperent; quales fuerunt eorum quæstiones semper, insidiosæ & fallaces, & vel ex odio aut contemptu, sicut Matt. 12: 38. 22: 17. Joh. 6: 30. *Quod signum facis, ut videamus & credamus tibi?* Mat. 16: 1. Mar. 8: 11. petunt signum de cœlo. Fiebant autem signa, non ad voluntatem impiorum, sed volente Deo ad confirmationem credentium. Sic discipuli in Cana, viso miraculo crediderunt; sed si (in deserto ad voluntatem Diaboli) *ex lapidibus panes fecisset, num diabolus fuisset crediturus?* ait Augustinus, in Johan. sermone 41. Hic Divinæ sapientiæ visum non erat, in incredulos & contemptores miracula profundere, ludibrio habenda: ita salvator in gratiam Herodis miraculum non fecit. Luc. 23: 8.

V. 24. Αὐτὸς δὲ. Conclusionis loco in hoc capite, cautam Christi cum Judæis conversationem Evangelista describit, eorum scilicet, quos Evangelicæ doctrinæ inimicos esse sensit, licet fidem simulent: falli non potuit amicitiâ simulatâ, qui non judicat juxta sensum oculorum, sicut prædixit Esa. c. 11: 3. Sciebat enim cogitationes cordis, sicut infra delarabitur. Est itaq; in hac secunda parte cap.
IV. Arg. quartum argumentum confirmationis, ex Divina autoritate Christi in inimicos, scientia prædicendi futura, & cognoscendi cogitationes hominum, quod est solius Dei. 1. Sam. 16: 7. Jer. 17: 10. Matt. 9: 4. *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?*

C A P. III.

Prima pars hujus capitis, continet colloquium Christi cum Nicodemo, ideo notabile, quia continet summam Evan-

Evangelij, seu doctrinæ novi testamenti. Duobus membris hoc colloquium absolvitur; in primo, veram salutis viam causamq; & media declarat: postea causam condemnationis Salvator indicat. Ierosolymis colloquium hoc institutum esse ex circumstantijs liquet, sive festo jam absoluto; sive quod postea redierit Christus Ierosolymam, id Evangelista non exprimit.

V. 1. Ἦν δὲ. Nicodemus Pharisæus erat secta, conditione Princeps inter Judæos, quod etiam cap. 7: 50. Apostolus repetit. Erant autem tum temporis præcipui inter Iudæos pontifices, & Synedrij assessores, qui judicia exercuerunt, gubernationis etiam participes, lecti vel ex Sacerdotibus, vel ex posteritate Davidis; Signonius lib. 6. cap. 7. Quod nocte ad eum venerit, effecit metus cæterorum collegarum, ne officio dejectus Synagoga eijceretur: sicut infra, c. 12: 42. Evangelista declarat; verum quia discendi cupidus accedit, infirmitatem hanc salvator cum patientia tolerat. Suo & cæterorum nomine fatetur, miraculis eos esse convictos in corde nec negare posse, Christum à Deo missum esse Doctorem humani generis, exponentem voluntatem Divinam, & consilium de salute hominum; hanc enim fuisse qnæstionem & orationem Nicodemi, responsio Christi indicat; Messiam aperte fateri non audet, doctorē tamen insigniorem dicit, Patriachæ vaticinium respiciens, Gen. 49: 10. qua voce oblique Messiam indigitat, tempus quoq; adesse intelligit, nec putat tam insignem miraculorum virtutem in hominem cadere posse, nisi volente & cooperante Deo. Ex his colligit populus quoq; Christum esse Messiam; inf. c. 7. 31. *Christus cum venerit nunquid plura miracula faciet.* Et cæcus qui visum recepit, cap. 9.

Mulier Samaritaria, cap. 4: 29. Doctorem quoq; futurum Messiam agnovit. ibidem v. 25. & 29. Captat verò hoc modo benevolentiam Nicodemus, quia Christus seipsum eis non credidit sup. c: 2: 24. ut securè cum ipso de salutis & fidei negocijs conferret: syncere itaq; agit, non falaciter & insidiose; sicut Pharisæi, Matt. 22: 19.

V. 3. Ἀμὴν. Responsio Christi, qua docet, 1. hominem carnali propagatione genitum, non posse naturæ viribus regnum Dei videre; hoc est, fidem & Divinam vocationem percipere. 2. Ad regni Dei ingressum nova dispositione opus esse, per regeneratio nem, & ea generatio, à supernis venit, hoc enim vult vox ἄνωθεν: quæ in eadem significatione adhibetur infra, cap, 19: 11. Ubi Christus respondet Pilato: *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset ἄνωθεν, desuper*: quæ significatio huic Evangelistæ est familiaris. Quidam verò reddunt per *denuo*; sed prior explicatio magis quadrat ad sequentia, v. 5. scilicet oportere nos per Spiritum renasci, qui ex supernis venit; Act: 2: 2. unde etiam venit *superna vocatio*; & sapientia, Phil. 3: 14. Jac. 3. 17, & c. 1: 17. Hæc verba Christi vera esse, Nicodemus inepta exceptione ostendit, qui ea carnali sensu accepta, cum sit carnalis, non intelligit, nisi de generatione carnali, cum Christus de spirtuali loquatur. Sic homo sapiens & in dignitate ac eminentia constitutus, in gravissimo salutis negocio hallucinatur, & putat Christum impossibilia flagitare, contra naturæ ordinem.

V. 5. Ἀμὴν ἀμὴν. 2. Itaq; Salvator rem clarius eplicat, eumq; in cognitionem baptismi deducit; quod est in novo testamento sacramentum initiationis, per quod Sp. sanctus operatur regenerationem. Duplicem adhibet asseveratio-

tionem, Judæis usitatam in re gravi, certa & infallibili. vox Hebræa אמן veritatem ac certitudinem denotat, quæ duplicata validius asserit. Ostendit autem Baptismum omnino esse necessarium ad sanctificationem, ac renovationem mentis per Sp. sanctũ, qui sine jactura salutis omitti nequit. Matt. 28. Mar. 16: 16. Utq; regeneratio in momento fiat, renovatio tamen, quæ est fidei ac virtutum augmentatio, & veteris hominis abolitio, ad perfectionem tendens, de die in diem, hoc est, per totam vitam peragitur, 2. cor. 4: 16. Et phil. 1: 6. *Qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usq; in Diem Christi Iesu.* Unde regenerati informabantur primum, in fundamentis Christianæ fidei; postea ad altiora ferebantur: Heb. 6: 1. Quæ didicerunt, factis postea exprimere studuerunt. Iacob. 1: 21. ac per dilectionem operari, Gal. 5. Spiritu vivere, ac legem implere, carnem crucifigere; Et malignum vincere. 1. Joh. 2: 14. corroborari ac perfici. Eph. 1: 17. In omnem plenitudinem excrescere. Eph. 2. 20. 3: 19.

V. 6. Τὸ γεγεννημένον. Rationem addit: quia ex lapsu Adami posteri omnes in peccatis nati, & carnales effecti, non nisi carnalia sapiunt: *sapientia autem carnis mors est, prudentia autem Spiritus vita & pax*: sicut ea luculenter explicat Paulus Rom. 7. & 8: 5. 1. cor. 2. Gal. 5: 16.

V. 43. Μὴ θαυμάσῃς. Occupatio qua occurrit dubitationi Nicodemi, ne putet esse rem absurdam, Deoq; & naturæ impossibilem: docet naturali exemplo ventorum spirantium, multa esse in natura miranda, quorum rationem ignoret; Deo tamen & naturæ possibilia. Nobis neq; ventorum ratio cognita, neq; variandi impellendi aut efficiendi in nobis vis ulla: Sic carnalis homo; neq; efficere, nec

quic-

quicquam couferre poteſt ad ſui regenerationem, ſed neq; ſeipſum ad gratiam recipiendam diſponere, ac ne rationem quidem quomodo fiat capere aut intelligere poteſt: *Deus enim in nobis operatur velle & perficere.* Phili. 2: 13. ſicut illa ſuperius explicavit Evangeliſta: cap. 1: 13. Qui *non ex ſangvinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Et Rom. 9. *Non eſt volentis neq; currentis, ſed miſerentis Dei.* Non merita hîc valent, non carnalis peærogativa, non prævia diſpoſitio, ſed ſola gratia & miſericordia Dei, qui *cujus vult miſeretur,* ut ſit principium noſtræ ſalutis ex ſolo Deo. Nicodemus miratur novam hanc atq; inſuetam ſalutis rationem, qui putabat, cum Phariſæis, ſalutem contingere ex operibus. Quærit ulterius quæ ſit hæc nova ad ſalutem via, qui modus ?

V. 10 Ἀπεκρίθη. 3. Reſpondet Ieſus cum commotione & exprobratione inſcitiæ eorum, qui in dignitate poſiti, doctores omnium quæ ad legis & Prophetarum cognitionem ſpectant, ab omnibus habentur. Quorum afflictionem miſertus ſalvator, dicit eſſe oves ſine paſtore: Matt. 9: 36 quos ut duces cæcos execratur, Matt. 23. Et paulus, Rom. 2: 17. Qui cum operum juſtitiam carnaliter ſectentur, Dei juſtitia ignorant, populumq; ſimplicem decipiunt, Rom. 10: 3. Naturæ coruptionem non ſentiunt; de qua ſancti conqueruntur: Neq; attendunt modum quo Abraham, David & Prophetæ juſtificati ſunt, Rom. 4. Credidit Abraham Deo: &c. Duravit hæc contentio ab exordio mundi; inter Cain & Abel, Iſmaelē & Iſaac, Eſau & Jacob: ſicut & de prærogativa carnali. Sic Phariſæi clamabant, *ſemen Abraham,* infr. c. 8: 39 Luc. 3: 8. *Templum Domi ni,* Jer. 7: 4. Opera jactant: Luc. 18: 11. Matt. 13. 5. & 23. Et ex his

his salvari cupiunt. Matt. 19: 16. Quærit adolescens, quid facere debeat, ut mereatur regnũ cœlorum? Eadem est hodie papistarum quæstio de meritis operum; qui etiam concupiscentiam negant esse peccatum, putant hominem posse seipsum disponere ad coversionem, & naturæ viribus diligere Deum super omnia, & proximum sicut seipsum.

V. 11. ἀμὴν Iterum Christus cum asseveratione testatur rem non aliter se habere, seq; certa referre, quæ viderit, quæ sciat. In plurali loquitur: sive ad Baptistam respiciat, unà prædicantem pœnitentiam ac Baptismum; sive ad Prophetarum scripta secum concordantia: quale est illud Davidis ps. 51. *Ecce in peccatis conceptus sum.* *Et, munda me isopo.* Et, *cor mundum crea in me Deus, &c.* Et Jer. 31: 18. *converte me Domine & convertar.* verum haud inepte hic colligunt Cyrillus & qui ipsum sequuntur; Christum respicere personarum pluralitatem, & S. S.æ Trinitatis consiliũ, de modo quo homines damnatos propter peccata, salvare constituit. Sic alis in locis Christus in plurali loquitur. Joh. 14: 23. *veniemus ad eum & mansionem faciemus apud* eum. Novit filius, *quia vidit Patrem facientē.* Joh. 5: 19 Et Joh. 8: 18. *Ego testor de meipso, testatur & de me pater qui misit me*, cap. 10: 30. *Ego & pater unũ sumus.* Et v. 25: *Opera quæ facio in nomine patris mei, hæc testantur de me.* itaq; dicit, Joh. 16: 32. *Non sum solus, quia Pater mecũ est.* Reprehendit verò incredulitatem eorum, qui cum Divina hæc testimonia videant, quod fatetur Nicodemus, tamen non credant: accusat autem gentem Iudaicam, Pharisæos ac sacerdotes. Non itaq; pendet certitudo fidei à multitudine ac excellentia credentium, aut reijcientium prædicationem Evãngelij, 1. cor. 1: 26. *Respicite vocationem vestram fratres; quia non multi sapientes secundũ carnem*; &c.

V. 12. Εἶτα. 4. A minori ad majus procedendo, probat valde esse ineptos & incredulos Iudæos, in salutis mysterijs, quia terrenis intenti, in carnalem sensum omnia rapiunt. Ambigunt hic interpretes cur dicat salvator se de terrenis loqui, cum de spirituali regeneratione agat: sed simplicissima est explicatio Theophylacti; Christum loqui de Baptismi cæremonia, quæ externo ministerio verbi & terreno aquæ elemento peragitur, & tamen spiritualiter operatur; & super terram administratur, deducit autem Nicodemum ab his, ad sublimiora & cœlestia, de æternitate & super cœlesti generatione filij Dei, cujus ratio omnem intellectum finitum superat, sicut etiam incarnatio, & sessio ad dexteram Dei in gloria patris. Infr. cap. 6: 61. *Hoc vos scandalijzat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius?* Itaq; ut Nicodemum confirmet in sententia quam attulit sup. v. 2. eumq; amplius erudiat: Ostendit se non venisse doctorem, sicut cœteri Prophetæ, sed descendisse de cœlo, ex cœlesti gloria, hominem factum propter salutem hominum,& iterum ascensnrum in cœlum; & interim dum hæc fiunt, esse in cœlo, æterna, Divina ac incomeprahensibili duratione, quæ hic, per Divinarum proprietatum communicationem de filio hominis dicuntur. Ioh. 16: 28. *Exivi à patre & veni in mundum*: &c. Multipliciter olim erratum fuit de hoc descensu Chisti è cœlo,alijs dicentibusChristum è cælo attulisse humanam naturam; ut valentiniani, Irenæus, l. 5: c. 2. Et Apollinaris; referente Theophylacto. Alij verò Christum descendisse in Iesum demum post baptismum; quæ fuit opinio Cerinthi; Idem. l. 1. c. 25. Describit verò eleganter hunc descensum Christi Iren. l. 4: c. 77: *Venit ad nos, non quomodo ipse poterat, sed quomodo ipsum nos videre pote-*

poteramus. Ipse enim in sua inenarrabili gloria ad nos venire poterat: sed nos magnitudinem gloriæ ejus portare non poteramus. Et: *Lac nobis semet ipsum præstitit, quod erat secundum hominem ejus adventus.* Alij dicebant Christum in phatasmate solum apparuisse, & passum esse ejus loco Simonem. Ut Basilides. Idem l. 1. cap. 23. His absurditatibus admissis; non foret Christus semen Abrahæ, nec ex radice Iesse, nec Davidis filius. Sed nec recte dicitur Deus in sua natura & essentia ascendere vel descendere, cum sit ubiq; cœlumq; & terram impleat. Ier. 23: 24. Præclare Theophylactus: *Quia una hypostasis; hoc est, una persona Christus ex duabus naturis constituta, ideo omnia quæ sunt hominis, dicuntur de verbo: & iterum ea quæ sunt verbi attribuuntur homini. Sic & hoc loco quoq; filius dicitur descendere de cælo. Deinde, ne cum audieritis quod descendit de cælo putes quod non sit in cælo, dicit is qui est in cælo: Noli suspicari me propterea non esse illic, quia descendi, sed & hic adsum corporaliter, & illic sedeo cum patre ut Deus.* Descendit igitur Deus juxta Theophylactum, cum se nobis visendum præbet, & ad nos prodit, ipse immensus, incomprehensibilis; & homines mortales Divino aloquio dignatur: aut visibiliter virtutem suam exerit; sicut descendisse se dicit Deus, cum se Abrahamo videndum exhibet, & in impietatem Sodomitarum inquirens, cum eos igne cœlesti perdidit. Gen. 18: 21. Et cap. 11: 5. cum Babyloniorum linguam turbavit. Et cum Exo. 3: 8. descendit ut liberaret Israelitas ex servitute Ægyptiaca: Sic ascensio Christi in cœlum, non est sicut Enoc & Eliæ; sed est usurpatio Divinæ gloriæ ac plenariæ potestatis in omnes creaturas, sibi secundum humanam naturam attributæ, ex personali unione cum Deo; quam cum ab initio incarnationis universam tamen

non exeruit, donec in cœlum ascendens ad dexterum Dei consederit: sicut ea describit Paulus: Phil. 2. Divina sunt hæc & cœlestia eloquia, humano sensui haud pervia, sed sola fide comprehensibilia. Exinanitio igitur & descensus, carni propria, Divinæ naturæ attribuuntur in persona, per proprietatum communicationem: cum sit caro Dei propria, & sanguis Christi, *sanguis filij Dei.* 1. Ioh. 1.

V. 14. Καὶ καθώς. 5. Causam meritoriam assignat, quam Deus respiciens & ut precium pro peccatis acceptans, efficaciam tribuit verbo Evangelij & Baptismo, ad salutem credentium: pretium hoc seu lytron est passio & mors Christi; probat verò pati oportere messiam, ex ilustri figura veteris testamenti, qui describitur Nũ. 21: 8. Sicut enim serpens exaltatur & suspenditur in ligno, sic in crucem attolli oportet salvatorem, & mori pro delictis hominum. Et quemadmodum, serpertum morsibus læsi ac moribundi, viso serpente vitam recipiunt; sic morsu diaboli perditi, fide respicientes mortem Christi, reviviscunt, ac peccatorum remissione accepta salvantur. De hac exaltatione sua loquitur salvator inf. c. 8: 28. Et cap. 12: 32. *cum exaltatus fuero à terra, omnes traham ad me.* Quod cum de morte sua Christum loqui, facile intelligerent Iudæi, obijciunt Christum vivere in æternum: ibidem, v. 34. Hoc est *vexillum* de quo loquitur Esa. cap. 11: 10. Decuit nota esse Nicodemo doctori hæc tã illustria ex Mose & Prophetis, qualia sunt plurima etiam Davidis, clara vaticinia de Christo & passione ejus. Notandum est verò perire omnes, qui in Christum non credunt, cum nulla sit salutis consequendæ ratio alia, act. 4: 12. *Non est in alio aliquo salus.* Hac de causa damnantur Iudæi veteres in creduli, & hodierni omnes, alium Messiam

siam expectantes, denuo crucifigentes Christum, sicut explicat Apostolus, Heb. 6: 7. Et cap. 10: 29 Gentiles quoq; & Mahumetistæ, qui Christum non recipiunt.

V. 16: οὕτω γὰρ. 6. Fontem justificationis & salutis nostræ, seu principium & causam primam Nicodemo aperit, (προηγουμένη græce dicitur) Hæc est dilectio Dei Patris. Ioh. 4: 9. qui misertus calamitatem humani generis, pereuntis in peccatis, filium mediatorum constituit, ut mortis suæ pretio Deum iratum hominum generi reconciliaret. Quia verò hoc loco sedes est articuli de justificatione hominis, itaq; circumstantiæ diligenter sunt expendendæ. 1. Quando factum sit illud SS Trinitatis decretum de incarnatione filij: vz. *ante jacta fundamenta mundi*, Eph. 1: 3. Et 2. Tim. 1: 9. *ante tempora secularia.* Nulla tunc extiterunt nostra opera; neq; verò prævisio bonorum operum potuisset esse hujus decreti causa, sic enim nostra dilectio præcederet dilectionem Dei, ut causa movens, quod negat Iohannes 1. Ep. c. 4: 10. *non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos.* Et Caritas ex Deo est. *Et Deus caritas est.* ibidem v. 7. & 8. Et Paulus Rom. 5: 6. *Dilexit nos cum essemus infirmi*: & v. 8. *cum essemus peccatores.* & v. 10. *cum essemus inimici.* Commendat hoc caritatem Dei, hoc est, valde illustrem reddit consideratio status & miseriæ nostræ. Multam, πολλὴν, dicit hanc caritatem apostolus Eph. 2: 4. Est enim fons & origo omnis dilectionis. Nec datur exemplũ simile in natura, ubi pro inimico quis mori voluerit: cum *pro justo vix quisquam mori sustineat*; Rom. 5: 7. Primum itaq; locum tenet in negocio justificationis, dilectio & φιλανθρωπία Dei. Mundi voce accipit totum genus humanum in peccatis & damnatione constitutum: unde dicitur *mun-*

dus totus in maligno positus. 1. Joh. 5. 19. Rom. 3: 10. Non est justus quisquam: &c. 11. Causam meritoriam profert, quam Deus respiciens peccata remittit; passionem scilicet, & meritum filij: quia à Deo mediator constitutus, Rom. 3: 25. humanam naturam assumpsit, & mortem pro nobis sustinuit. Esa. 53: 4. Mirabile opus Divinitatis: non potuit reconciliari Deus homini per lapsum delinquenti, & violanti legem justitiæ æternam, nisi sola intercessione filij: fixa est enim sententia legis; *Qui peccaverit morietur.* Gen. 2: 17. Ezech 18: 4. Itaq; justitia Dei immutabilis, exposcit ad pœnam animam quæ peccavit: unde necesse fuit mediatorem esse hominem, ut mori posset, & in ipsũ transferrentur peccata totius mundi, juxta illud Esa. 53. *verè languores nostros ipse pertulit* &c. *factus pro nobis maledictum.* Gal 3. 13. Deum esse necesse fuit, ut posset mortem vincere, Diabolum quoq; & potestates infernales, ac homines morti obnoxios ex diaboli potestate eruere, infinitam Dei iram ferre, & vitam restituere. Itaq; *Deus filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum.* Rom: 8: 32 Et hæc est *ostensio justitiæ Divinæ*; quod verbum bis repetit Apostolus Rom. 3: 25. *ut sit ipse justus, & justificans eum qui est ex fide Iesu Christi:* ibidem. Diciturq; dedisse semet ipsum pretium redemptionis (ἀντίλυτρον) pro omnibus. 1. Tim. 2. 6. Et dicimur *empti pertio magno,* 1. cor. 6: 20. & c. 7: 23. *Non corruptibili auro aut argento: sed pretioso sangvine Christi, quasi agni mimmaculati.* 1 Pet. 1: 18. Qua una oblatione corporis sui, abstulit & exhausit peccata omniũ, & in ea nos sanctificavit: sicut pluribus demonstrat Apostolus, Heb. 9. & 10. Quod est etiam Divinæ misericordiæ argumentum insigne, & amos ineffabilis erga genus humanum. Non potuit idipsum perficere creatura finita

cui moles iræ & infinitæ justitiæ Divinæ foret intolerabilis; potuit autem Christus Dei filius, ac diabolum, inter viventia creata potentissimum, superare, cujus vim auxit sententia legis, ac Divinæ justitiæ rigor. Passio verò Christi prætium erat sufficiens partim ex virtute Divina, redemtionem perficere valentis, partim ex dignitate personæ; *Nam Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* 2. cor. 5: 19. Eratq; passio, mors & sanguis filij Dei, quam pertulit in unita sibi & assumpta carne: diciturq; *sangvis filij Dei*, 1. Joh. 1: 7. *Mors filij Dei.* Rom. 5: 10. *Filius Dei natus ex muliere, factus sub lege.* Gal. 4: 4. *Traditus pro nobis*: Rom. 8: 32. III. Finis erat, ut homines perditos ex diaboli faucibus & æterna damnatione eriperet; & salute æterna donaret. Traditus *est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* Rom. 4: 25. *ut liberati à peccato, servi autem facti Deo, habeatis fructum vestrum in sanctificationem; finem verò vitam æternam.* Rom 6: 22. Qui finis ulterius declaratur verbis sequētibus, v. 17. IIII. causa instrumentalis, ad singulos hæc beneficia Divina applicans, est fides. Meritum Christi sufficiens quidem est & adæquatum pretium, pro peccatis totius mundi: verum certa atq; à Deo definita est ratio, qua singulis applicatur; videlicet per fidem, qua in Christum credimus. Meritum enim Christi est, non nostrum per se & simpliciter: sic enim omnes homines salvarentur. Sed fit nostrum mediante fide, *nam credentibus imputatur ad justitiam.* Rom. 4: 5. Tale enim erat *propositum gratiæ Dei*: hoc est, sic decrevit Deus salvare homines. Et hoc est medium seu organon, quoad nos, faciens discrimen inter salvandos & damnandos. Non satis est historice credere rem sic esse gestā, Deumq; constituisse hoc modo salvare homines: nā *credūt hoc*

Diaboli, & contremiscunt. Jac. 2: 19. sed credere oportet singulos, meritũ hoc ad se spectare, fide viva, quæ per caritatẽ est efficax; Gal. 5: 6. & quæ conjunctam habet spem vitæ æternæ Rom. 8: 24. Et hæc fides certitudinem in nobis generat, Rom. 7. 38, *certus sum*: &c. et 2. cor. 4: 14. *Scientes, quoniam qui suscitavit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit, & constituet vobiscum.* Hæc est via recta ad salutem, à Deo ordinata, ac immotis scripturæ fundamentis munita; à qua qui deflectit, salute excidit. Non enim in nostra potestate consistit, modum salutis definire: sententia enim judicis est: *Qui non crediderit, condemnabitur.* Mar. 16: 16.

V. 17. οὐ γὰρ. Repetit & clarius explicat finem, cur venerit in mundum per antithesin: 1. Quia ex legis rigore terror affligit conscientias propter peccatum, itaq; docet se non venisse ut legis sententiam urgeat, ac juxta eam damnationem denunciet delinquentibus. 2. Officium vero suum docet id esse; scilicet, ut aperiat hominibus territis in conscientia, Evangelium, quo continetur consilium Dei de salvandis credentibus; quos morte sua constituit à damnatione legis liberare, ut salventur: idq; primo hoc adventu. Nam secundo adventu, judex existens, damnabit incredulos, secundum Evangelium prædicatum. Rom. 2: 16. & *secundum sermonem quem loquutus* est eis; sicut ipse ulterius explicat infra c. 12: 47.

V. 18. ὁ πιστεύων. Respicit nunc Christus ad tribunal judicij Divini, & decretum ultimæ sententiæ, quod quidem ultimum erit in exequutione, constitutũ verò & definitum erat ab æterno, non judicandos seu damnandos credentes, quamvis peccatores, (propter infirmitates naturales & inhærentem concupiscentiam, legis sententiæ obnoxios)

ξιος) qui rigori justitiæ obtendunt meritum Christi fide acceptum: *Non judicatur*, quod sic explicat inf. c. 5: 24. *In judicium non venit, sed transiet à morte in vitam.* Quam consolationem opponit salvator terrori conscientiæ, propter reliquias peccati in sanctis, & delicta admissa in vita.

Alterum membrum hujus primæ partis nunc sequitur, ostendens causam, cur omnes non salventur; quamvis media ad salutem destinata, à parte mediatoris sint universalia. Prima & principalis causa est incredulitas, quia non credunt verbo Evangelij, quod Christus prædicavit & ex decreto æterno mundo aperuit; nec gratiam Dei in mediatore oblatam acceptant. *Iam judicatus est*: quia æternum Dei decretum factum est, & est immutabile, salvari scilicet credentes, ac damnari incredulos. Deinde condemnationem exasperat & adauget, cum Deus pignore ac pretio tanto, videlicet oblatione filij, nos redimere voluerit; maxima itaq; est ingratitudo eorum & execranda impietas, qui Divinam hanc beneficentiam negligunt & conculcant; præcipue cum nulla salutis ratio alia constituta sit, qua judicij Divini sententiam effugere vel declinare liceat.

V. 19. Αὕτη. Tertio ostendit quæ sit causa impulsiva, qua moventur impij, ad reijciendam gratiam oblatam: videlicet amor tenebrarum & odium lucis. *Effulsit enim lux*, veniente Christo, *his qui in tenebris ambulant*: Esa. 9: 2. *Et in luce tua gentes ambulabunt* Esa. 60: 3. Illuminavit Messias doctrina Evangelij mentes fidelium, ut peccata agnoscant pœnitentiam agant, Evangelio credant, pie vivant, Deum recte colere discant. Qui verò concupiscentiæ pravis operibus & impietati dediti, spiritum sanctum cum pœnitentia & fide reijciunt, eligunt verò tenebras & opera carnalia

quibus delectantur: sua voluntate propria ad interitum feruntur; cumq; mala sint eorum opera, oderunt lucem per quam manifestantur, & redarguũtur opera mala. Ideo enim Christus lucem Evangelij nobis attulit, non solum ut pateretur pro peccatis hominum, sed ut errantes converteret à conversatione prava & sanctificaret; 1. Judæos incredulos, juxta fermentum Pharisaicæ doctrinæ & traditiones patrum, quærentes justitiam in lege & operibus externis: velum obducentes peccatis, & tenebris obscurantes mandatum Domini: Matt. 5. & 2. cor. 3: 14. *Quam vanam conversationem paternæ traditionis*, dicit Petrus, 1. Ep. c. 1: 18. 2. ut gentes *tenebris obscuratum habentes intellectum*, &c. ad lucem revocaret, ut *Deponentes veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, renoventur spiritu mentis suæ.* Eph. 4. 18. Qui verò voluptatis desiderio impliciti, mandata & doctrinam Christi reijciunt, ipsi sibi sunt causa damnationis. De quibus sic Theophylactus *Quia enim Christianismus non solum recta dogmata, sed & honestam vitam exigit; ipsi autem voluerunt luto peccati involvi, ideo nolunt improbi ad lucem Christianismi venire.* Breviter potest homo gratiam oblatam reijcere, non verò accipere, nisi offerente & illuminante Deo: Sup. c. 1: 9. & 12. Matt. 23: 37. Ierusalem: Ierusalem. &c. Est igitur in hac, 1. parte cap. V Argumentum confirmationis; à Divina sapientia Christi, proferentis æternum consilium Dei, de salute, & modo, causisq; justificationis & æternæ salutis hominum.

V.

V. 22. Μετὰ ταῦτα. Sequitur VI. Argumentum, de insigni præeminentia Christi præ Iohanne Baptista, & consequenter præ omnibus sanctis, inter quos excellit Iohannes. Deducitur vero argumentum, ex testificatione Baptistæ. Primum autem docet, Christum docendi officium ingressum,

VI.

am-

ambulasse in terra Iudæa, ubi aliquanto tempore moratus, cum discipulis, baptizabat, & hoc per discipulos, sicut docet Evangelista inf. c. 4: 2. Ænon juxta Salim locus in quo Johannes baptizabat, putatur abesse à Ierosolyma ultra milliaria 10. non procul à Sichem, ubi circa hæc loca vicina Samariæ habitabat olim Iacob patriarcha; reversus ex Mesopotamia in terram Canaan. Gen: 33: 18. *Aquæ multæ ibi:* scilicet per varios sinus, pertingentes ad diversos riparum inhabitatores, ut in diversis locis docendo & baptizando, pluribus inservire suo ministerio baptista potuerit. Sic Luc. 3: 3. dicitur venisse in omnem regionem Iordanis. Locus erat oportunus valde, habens ab una parte Iudæam, ab altera Samariam, tertia Galilæam cum lacu Genezaret; ultra Iordanem terram Gilead, Gad & Ruben. ubi Salim amnis in Iordanem influit. Alias enim Exigua aquæ portio sufficere potuisset ad baptizandum. Hic verisimile est, Christum sæpius ad Iohannem venisse, & cum eo de officio & ministerio utriusq; cōmunicasse, ad mutuam confirmationem, & in formationem discipulorum, usq; ad captivitatem Baptistæ.

V. 25. Ἐγένετο. Occasio sequentis concionis describitur: quæstio scilicet de purificatione, inter Iudæos & discipulos Iohannis, quam primos movisse Iohannis discipulos ex textu liquet. Quæ si adversus Iudæos incredulos mota fuit, collatio erat purificationis legalis in externis ritibus, cum ea quæ fit per baptismum; qualem instituit Apostolus ad Heb. c. 9. docens: Non sufficere nimirum illam externam ad tollenda peccata, nisi accedat baptismus novi testamenti. Ex responsione tamen Baptistæ constat, fuisse quæstionem de differentia baptismi Christi & Baptistæ, cum viderint

rent ad baptiſmum Chriſti pleroſq; nunc tendere metuentes ne autoritas Iohanis minueretur, ſi plures ad Chriſtũ accederent. Ideòq; ſignificant Magiſtro, confluere ad Ieſum maximam multitudinem ſectatorum, tacite monentes, ut autoritati ſuæ Iohannes maturè conſulat: cum ſe Chriſtus in miniſterium Iohannis ingerat; quem Deus immediata vocatione primum hujus ſacramenti miniſtrum conſtituit. *cui teſtimonium perhibuiſti*, Scilicet, qui tua ope ac teſtificatione uſus, autoritatem acquiſivit, nunc ſe gerit ſuperiorem: quæ res etiam Phariſæos offendit inf. c. 4: 1. Error hic erat diſcipulorum, non enim indiguit ſalvator teſtimonio Johannis, qui habuit Patrem de ſe teſtificantem de cœlo voce ſua. Matt. 3: 16. Et miraculorum operatione. inf. c. 5: *33*. Non dum enim clarè conſtitit uter eſſet Meſſias Sup. c. 1: 19. Matt. 11: 2. quamvis non ignoraret Iohannes. Metuens verò ne hæc κακοζηλία diſcipulorum eos à fide Meſſiæ abduceret, multis verbis eos informat.

V. 27. Ἀποκρίθη. Habet hæc oratio Iohannis primo confutationem; deinde confirmationem & argumenta, quibus eos in vera ſententia de Chriſto confirmat. 1. ab impoſſibili, pendent enim res humanæ, non à voluntate noſtra, ſed ab ordinatione Divina; præcipuè in adeundo officio tam honorifico, in docendi munere, & officio Meſſiæ. Quo argumento de re eadem utitur Apoſtolus, Heb. 5: 4. Sicut Aron non potuit pontifex fieri niſi vocante Deo; Sic non poteſt quiſquam Meſſiæ officium accipere niſi à Deo ordinetur: quo argumento etiam collegas Synedrij aſſeſſores refellit Gamaliel, Act. 5: 34. Docetq; exemplo, quoſdam captaſſe hunc honorem proprio auſu, & auxilio eorum ad quos vocatio illa non ſpectabat: ſed in-

felici

felici exitu. De cœlo enim deſcendit hæc poteſtas, quod meminiſſe oportuit diſcipulos, Dei vocem exauditam de Chriſto, cum baptizaretur, à Johanne. At videmus non omnes cœleſtem vocationem expetere, ſed ambitione, largitionibus & artibus non bonis ad miniſteria Eccleſiaſtica pervenire. Verum ſi quid tale Deus aliquando permittit, illi tamen ordinem divinitus inſtitutum pervertunt & contemnunt, Eccleſiæ libertatem minuunt, ſcandalum præbent, quæ melioribus debentur inique præripiunt, conſcientiam lædunt, auxilium Divinum ſperare non poſſunt, cujus ſpreverunt ordinem, auditores de miniſterij ſui efficacia dubios reddunt; unde exitus plerumq; redditur infelix, & exequutio muneris inquieta ac parum fructuoſa.

V. 28. Αὐτοὶ. 2. Ratio confutationis, qua diſcipulos revocat ad teſtificationem antea factam coram ipſis de Chriſto; ipſum ſcilicet eſſe Meſſiam à Deo ordinatum, audierunt enim quid reſponderit ad quæſtionem Sacerdotum, ſup. c. 1: 19. Et poſtridie coram diſcipulis, v. 35. Ipſum ſcilicet eſſe filium Dei, Meſſiam, æternum, infinitum potentia & virtute, agnum Dei, &c. ſe verò eſſe miniſtrum, nuncium, præcurſorem: neq; ſe ſic loquutum honoris cauſa, ſimulate, ob captandum favorem, aut opinionem fictæ humilitatis; ſed ſerio, officium utriuſq; diſtinguens.

V. 29. ὁ ἔχων. Confirmatio ſequitur, in qua validis rationibus oſtendit Chriſtum eſſe Meſſiam. 1. Ratio à ſimilitudine ſponſi & Sponſæ, deſumpta ex vaticinijs vet. teſtamenti, ſicut David magnificè deſcribit hoc conjugium Meſſiæ cum eccleſia, pſ. 45. Qualem hanc ſuam ſponſam invenit, vide Ezech. 23. & 16. Abraham. Joſu. 24: 2. Peccatis fœdatam *mundavit ſanguine ſuo*, 1. Joh. 1: 7. *per lavacrum regene-*

rationis: Tit. 3. 5. Et per verbum Euangelij ſibi deſponſavit. 2. cor. 11: 2. *Deſpondi vos uni viro virginem caſtam.* Oſeæ. 2: 19. Deſponſabo te mihi in æternum: &c. Et in cant. cantic. Non eſt autem Eccleſiæ ſponſus alius, qui hæc præſtare poteſt, hoſtes ſcilicet Eccleſiæ vincere, & ſalutem reddere. Ludiſicatio igitur eſt Dei & hominum, cum ſe Romanus Pontiſex dicit ſponſum Eccleſiæ: miniſtri enim ſunt, qui quod à ſponſo audiunt nunciant Eccleſiæ, ideoq; amici dicuntur à Chriſto ipſo, inf. c. 15: 15. *quia omnia quæcunq; audivi à patre, nota feci vobis.* Lætantur amici ſponſi cum perſuaſa ſponſa, acquieſcit in verbis & voluntate ſponſi. Gaudium autem Johannis & diſiderium ejus impletum eſt, cum videt Eccleſiam fidelium ad Chriſtum congregari, ac vocem ejus audire; qui fuit finis prædicationis ac Baptiſmi ejus. Conſequens eſt igitur miniſtros, amicos ſponſi, id unicè ſpectare debere, ut coaleſcat debitus amor inter ſponſum & ſponſam, non ut ipſi in ſe oculos ſponſæ flectant, dona oſtentantes, gloriã mundanam ſectantes, aut opes & bona caduca, Ipſum enim oportet creſcere, nos minui, ſic David cupit abjectus eſſe & imminui, coram arca Domini, ut gloria Dei augeatur. 2, Sam. 6: 21. Imminutus eſt Iohannes in oculis hominum, cum ab Herode carceri incluſus, morte ignominioſa mulctatur. Cum imminueretur opinio exiſtimantium ipſum eſſe Meſſiam. *Et miniſtri, mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes: cum in mortem tradimur.* 2. cor. 4: 8. *In multa patientia, in tribulationibus, anguſtijs plagis, carceribus, ſeditionibus, laboribus.* ibidem c. 6: 4. *Gaudemus enim cum nos infirmi ſumus, vos autem potentes eſtis. Hoc & oramus veſtram conſummationem.* 2. cor. 13. 9:

V. 31. ὁ ἄνωθεν. 2. Ratio conf. ab infinita distantia, qua Christus filus Dei, dignitate præeminet homines mortales; ipse enim cœlestem habet originem, Iohannes terrenam, ipse Divina habet eloquia, ex arcano sacrosanctæ Trinitatis concilio æterno, sup. c. 1: 18. Johannes & sancti ex naturæ viribus rerrena tantum sapiunt; si quid amplius, id habent ex revelatione. Eph. 1: 8. *Abundavit in nobis, in omni sapientia & prudentia; ut notum faceret nobis mysterium voluntatis suæ.* Itaq; Augustinus in hunc locum: *Si quid Divinum audivimus à Iohanne, illuminantis est, non recipientis.* Sic Paulus: *Non ego, sed gratia Dei mecum*: 1. cor. 15: 10.

V. 32. Καὶ ὃ ἑώρακε. 3. Ratio ab officio Christi: pars enim est officij ejus, notam nobis facere voluntatem patris: quam ipse audivit & didicit à Patre; *non discendo, sed ille gignendo, hic nascendo*; ait August. l. 15. de Trinitate, cap. 14. infra cap. 5: 19. Non habent Iohannes & Prophetæ suas patefactiones ex natura, sed adventitiam & communicatam sapientiam aliunde: in Christo autem *omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sumt absconditi. Col. 2: 3.* Conqueritur vero Baptista, de securitate & incredulitate hominum, non agnoscentium hanc benignitatem Dei: sup. v. 19.

V. 33. ὁ λαβών. 4. Ratio à testimonio omnium credentium; qui credendo verbis Christi, comprobant veritatem promissionum Divinarum, & dant gloriam Deo: sicut Abraham. Rom. 4: 20. *Non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo sicut scriptum est; Ut justificeris in sermonibus tuis*: Rom. 3: 4. Contra; *Qui non credit Filio, mendacem facit eum; quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de filio.* 1. Joh. 5: 10.

V. 34. ὃν γὰρ: 5. Ratio; ab infallibilitate promissio-

num

num nobis à Deo factarum per Christum: probatur, Quia verba Dei loquitur; Deus autem verax est, & non fallit. Rom. 3: 4. Et promissiones in Christo, sunt Est, & Amen. 2. cor. 1: 20. Ratio hujus probationis ab immensitate donorum quæ in Christum hominem Deus contulit, per unionis gratiam. Alijs enim sanctis differentia sunt χαρίσματα data ex uno Spiritu. 1. cor. 12. Hunc verò *unxit Deus oleo lætitiæ præ consortibus suis.* ps. 45: 8. Et Esa. 61: 1. *Spiritus Domini super me propterea unxit me:* &c. ideòq; *Christus* dicitur; cujus Regnum æternum est: Dan. 7: 14: Luc. 1: 33. Hanc quoq; rationem novo argumento confirmat, à dilectione Dei, propter quam Deus universam potestatem suam in ipsum contulit.

V. 36. ὁ πιστεύων. 6. Ratio, ab insigni fructu fidei in Christum; & opposito damno incredulitatis; sicut sup. v. 18. ut appareat quæ sit necessitas urgens homines ad recipiendum eum pro Messia; videlicet: Si salvi esse velint, & nisi velint in æternum perire; quam rationem velut urgentissimam ad finem reservavit Baptista. Proposita est hominibus prædicatione Evangelij vita & mors, benedictio & maledictio, non sicut Moyses opera legis requisivit: Deut. 11: 27. & cap. 30: 19. Evangelij enim conditio consistit in credendo, recipiendo Dei gratiam in Evangelio oblatam, aut rejiciendo: qui credendo recipit salvatur, qui rejicit, æterna damnatione punitur.

C A P. IV.

II. Pars confirmationis, de his quæ in itinere per Samariam & Galilæam, & iterum in Judæa gesta sunt. In prima parte hujus capitis, præmisso exordio de transitu Chri-

Christi ex Judæa in Galilæam; postea Evangelista colloquium cum muliere Samaritana, & quid apud Samaritanos, urbis Sichar inhabitatores egerit, describit.

V. 1. ὡς ἔγνω. Dictum est cap. præcedente, de baptismo Johannis, & baptismo Christi, utq; commoti sint discipuli Johannis, quia cepit à plerisq; præferri Christus pluresq; ad ejus baptismum confluerent. Hoc etiam Pharisæos offendit; secedit igitur in partes Galilææ, ut loco à Ierosolymis & violentia potentum remotiore, liberius agere liceat: docere scilicet, ac baptizare. Sentit itaq; salvator primo ministerij sui tempore, fremitus & machinationes impiorum, sicut prædixit David, ps. 2. Daniel. c. 9: 26. ut hinc appareat, qualis futura sit conditio nascentis Ecclesiæ in posterum.

V. 4. Ἔδει δέ. Iter erat per Samariam interjectam inter Cæsaræam & Lacũ Genezaret, declinantibus torrentẽ Kison, qui in lacum influit; alias circa littora Iordanis & dicti lacus Iudæam mox excipit Galilæa. Excipit Evangelista, Christum ipsum non baptizasse, sed usum esse ministerio discipulorum, quod ministerium licet maximum videri possit, propter Sacramenti virtutem, tamen quia manuum ministerio peragitur, placuit salvatori id discipulis committere; ut ostendat se Dominum esse, in cujus nomen fidemq; commodius discipuli baptizant, ipso Spiritum & efficaicam præbente. Deinde ut sit in ministerio ordinis quædã differentia, alijs alia exequentibus; sic Apostolus, 1. cor. 1: 14. Paucos baptizavit; & ostendit se potissimum ordinatum ad prædicadum Evangelium.

V. 5. Ἔρχεται. Locus ubi in Samaria primam Ecclesiam plantavit, Sichar civitas & regio habitationis Iacob, non

procul à Sichem; Gen. 33: 18. sive quia Sichem antiqua civitas, nunc Syriacè Sichar dicatur: quam regionem ab Amoræis bello captam Jacob Josepho hæreditariam fecit, Gen. 48: 22. Josu. 24: 32.

V. 6. Ἦν δὲ. Fons Iacob ibi erat, seu puteus, ideo etiam fons dicitur, habens scilicet in fundo venam aquæ salientis. Consedit hic Christus, ex itinere lassus ac sitibundus propter æstum. Hora erat Sexta, quæ nobis est duodecima. Afficitur salvator, verus homo, humanis infirmitatibus; æstu, lassitudine, fame, siti. Civitatem non ingreditur, qui missus erat, ut Israelitis prædicaret primũ; patet ex mandato quod dedit Apostolis, Matt. 10: 5. & ex responsione data Mulieri Cananææ, Matt. 15. Attamen oblata hac occasione Samaritanis prædicat Evangelium, ut appareat Deum gentes & Samaritanos, non in universum à salute rejecisse. Occasionem ergo præbet ipse, expectando ad puteum, deinde petendo aquæ potum, & colloquium inchoando cum muliere. Incipit igitur hic colloquium ipsum.

V. 8. Οἱ γὰρ. Propriam pecuniam habuit Christus à Sanctis fidelibus collatam; non ut Elemosynam, sed ut laborum suorum fructum, ac debitum præmium: ***dignus est enim operarius mercede sua***, Matt. 10. 1. cor. 9. Deus enim ita constituit, & docet hoc natura. Ob hanc quoq; causam salvator ad puteũ expectabat, dum ex urbe cibos afferrent discipuli: otiosus non residet, sed doctrinæ munus exequitur quacunq; occasione oblata, nec mulierẽ spernit peccatis gravatam; ex quo apparet amor ac desiderium salutis nostræ, & ut peccatores convertantur ad pœnitentiam. Matt. 9: 13.

V. 9. Λέγει. Causa dissensionis cum Samaritanis erat, 1. civilis, erat enim colonia Assyriorum Iudæis imposita, ut eos sub jugo melius continerent. 4. Reg. 17. Exasperavit etiam eos Darij mandatum, jubentis ut agros Iudæis antiquis possessoribꝰ redderent. Josep. lib. 11. antiquit. cap. 4. 2. causa erat religionis dissensio, cum Samaritanis præter Deum verum, etiam idola colerent ibidem. Mira est vis odij & superstitionis, quæ duravit à prima captivitate Babylonica, usq; ad tempora Christi, annis septingentis & triginta, nec potuerunt animis & sententijs coalescere, usq; ad finem politiæ Iudaicæ & excidium gentis.

V. 10. Ἀπεκρίθη Respondet Iesus, similitudine aquæ vivæ, ostendens & insinuans se esse Messiam, ac doctrinam afferre hac aqua multo excellentiorem, profuturam in vitam & felicitatem æternam: quam tamen similitudinem mulier non intelligit, sed ad præsentia accommodat, ostendens aquas his meliores dari non posse; quibus contentus patriarcha, sibi filijsq; & pecoribus sufficientes ac salubres putavit. Conqueritur salvator primum, de cæcitate hominum, *Si scires*, & ignorantia in rebus Divinis: deinde ostendit hoc donum Dei quod dat ipse, augeri semper in fidelibus, eosq; perficere usque in æternum, & beare felicitate æterna. *Est enim potentia Dei ad salutem omni credenti.* Rom. 1. Miratur mulier præstantiam doni, sed tamen de re terrena intelligit; ut & hinc appareat quam sit ratio humana, tarda & inepta, in fidei ac salutis negotijs. 2. cor. 3: 5.

V. 16. Λέγει. Notabile artificium salvatoris, ut singulari cum industria, perducat mulierem ad agnitionem peccatorum, sine offensione aut objurgatione graviore: Iohan-

nes quoq; inchoavit conciones ſuas à prædicatione pœnitentiæ: Luc. 3: 4. Petrus etiam; Act. 2: 38. Peccata enim obſtant, quo minus percipere poſſit homo gratiam Dei & fidem; & aut putat ſe gratia Dei non indigere, aut obſtante conſcientia, bona à Deo ſperare nequit. Mulier juſſa vocare virum, facinus occultare ſtudet, ac negat ſe virum habere: Eſt hæc peccati natura ut latere cupiat; & eſt exemplum in Adamo, ſe poſt peccatum admiſſum abſcondente. Gen: 3. Quam ſit verò id homini noxium, ex ægris fit manifeſtum, qui niſi vitium aperiant medico, curari non poſſunt. Chriſtus verò curator optimus omnis ægritudinis; vulnus tangit, & impudicã mulieris vitam arguit: & oſtendit eam hac ætate impudicam vitam agere in ſcortatione, quæ antea quinq; ex ordine viris cohabitaverat. Mulier videns in Chriſto ſcientiam plusquam humanam, negare non audet: ſed excuſatione utitur ad ſpeciem plauſibili, religionem prætendens, quam ſervet ex more gentis, quamvis ſciat, eam à Judæis non probari; qui locũ ſacrificijs ac ſacris, percibusq; faciendis conſtituunt Ieroſolymam. Exitatur diſiderium in muliere, cognoſcendi à Chriſto, an vera ſit adoratio & cultus, qui in monte Samariæ Garizim peragitur. Erat mons Garizim propinquus urbi Sichem, in quo conſtitit Iothã, cum expoſtularet adverſus Sichemitas: Iud. 11: 7. Templum hîc erat, cujus meminit Ioſephus antiquitatum lib 11. in fine: Samaritanorum ſacris dicatum. Quia cũ Iudæo res eſt, homine ut putat mulier, religioſo, & Propheta; ad patres ſe refert, ſicut ſup. v. 12. videlicet Iacobum, Ioſephum filiosq; ejus Ephraim & Manaſſe: aliâs rebus adverſis Iudæorum, à Perſis originem deducunt. Ioſeph. l. 11. cap. 4. in fine; & , cap. 8. forte quia miſta gens ex Iudæis

&

& Perſis. Argumentum deducit mulier ex autoritate Patrum, qui in hoc monte adorarunt; Iacob hoc loco extruxit altare. Gen. 33: 20. quorum religionem veram fuiſſe, nemo negat. Sed obſerva, vixiſſe patres ante latam legem, Deut. 12: 2. Quæ extirpare jubet omnia altaria & lucos idolorum, & in ſola Ieroſolyma ſacra facere. Deinde, patriarcharum religionem non fuiſſe fœdatam cultu idolorum; ſicut illa Samaritarorum.

V. 21. Λέγει αὐτῇ. Reſpondet Ieſus oſtendens errare utrosq; Iudæos & Samaritas, alligantes ſinguli ſuo loco cultus Divini virtutem, nunc præſertim Meſſia præſente, ceſſantibus umbris; nam etiam 3. Regum 8: 48. promittit ſe Deus exauditurum preces eorum, qui ubicunq; terrarum ad templum converſi orant. Samaritanos verò ait neſcire omnino quid orent, orant enim deſtituti promiſſione & ordinatione Divina, admiſcent cultus idolorum, electitios, vanos, à Deo non mandatos; de quibus Chriſtus, Matt. 15: 9. *Fruſtra me colunt, docentes doctrinas mandata hominum.* Et Deut. 12: 8. *Non facietis quod cuiq; rectum videtur.* Hæc religionum varietas, miſerè perturbat & affligit conſcientias infirmorum: opponenda verò eſt huic tentationi conſilium Chriſti; *Nos adoramus quod ſcimus.* Omnis verò ſcientia certitudinem generans, provenit à revelatione Divina, quæ verbo Dei continetur, non ab inventionibus ac ordinationibus humanis. Judaicæ Eccleſiæ hanc ſcientiam tribuit ſalvator, quia habent Moſen & Prophetas; quamvis in multis graviter erret, *tamen ei concredita fuerunt eloquia Dei.* Rom. 3: 2. cap. 9: 4. Sic olim in Eccleſia Romana fuit verbum Dei, & Sacramenta: in maxima tamen corruptione, abuſu ac errore univerſalis & docentis Eccleſiæ, Deus

tamen per verbum & Sacramentorum uſum, *relinquit ſibi ſemen*: juxta illud, Eſa. 1: 9. Et cap. 10: 22. *Reliquiæ tantum ſalvæ erunt*; quo ſenſu ea adducit Apoſtolus Rom. 9: 27. Deinde *quia ſalus ex Iudæis eſt*; hoc eſt, habent promiſſionem de Meſſia, quem fide reſpicientes orant, & ſacrificia offerunt; certiſſime ſperantes venturum juxta promiſſiones Abrahamo factas, ex progenie eorum.

V. 23. Ἀλλ᾽ ἔρχεται. Tertio oſtendit adeſſe horam, in qua abjectis cultibus Leviticis, in omni loco adorare liceat, modo in Spiritu & veritate; hoc eſt, veris cordis gemitibus & triſtitia de peccatis, converſione ad deum per pœnitentiam; in ſpe & fiducia remiſſionis peccatorum: hæc enim operatur Sp. ſanctus in fidelibus converſis. Et talis oratio placet Deo magis quam opera externa, ſacrificia, & ambitioſa hypocriſis, Eſa. 1. aut religionum confuſio Samaritana. Ratio additur quia Deus Spiritus eſt: ergo magis reſpicit cor, & interiora hominis, quæ in Spiritu fiunt; quam ritus ac opera externa. Rom. 8: 24. *Qui Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei*. Et Gal. 4: 6. *Quoniã eſtis filij, miſit Deus Spiritum filij ſui in corda veſtra, clamantem Abba pater.* Vana igitur eſt pompa Sacrificulorum, tam Papiſticorum quam gentilium: Et Chriſtus Matt. 23. hanc externam Phariſæorum oſtentationem & hypocriſin gravi execratione coarguit.

V. 25. Λέγει. Mulier nunc demum intelligens quorſum tendat oratio Chrſti, incipit de Meſſia quærere: fama enim erat per Iudæam, jam adeſſe Chriſtum, ex ſermone Magorum apud Herodem; ex concionibus Iohannis, & ex vaticinio Danielis, qui tempus notavit cap. 9: 24. Crevit fama ex apparitionibus factis Zachariæ, Mariæ matri Domini;

ni; Pastoribus in nativitate Christi, Josepho insuper, Simeoni, Annæ prophetissæ, Iohanni Baptistæ; qui etiam in vicina Iordanis ripa baptizavit, & Messiam præsentem prædicavit, ac monstravit digito. Accesserunt miracula, à Christo & discipulis facta in Iudæa & Galilæa; quorum fama exijt per Galilæam ac Judæam universam, & insuper in universam Syriam Matt. 4: 24. Non potuit igitur latere mulierem, & Samaritanos intermedios fama de Christo.

V. 26. Λέγει. Fatetur itaq; mulier, ex Iudæa se hanc notitiam habere; venturum scilicet Messiam, interpretem infallibilem Mysteriorum Divinorum, qui discernere valeat inter religionem veram & falsam, cujus decisioni suam quoq; fidem subjicit. Initia hæc fuere veræ fidei, ex quibus in complementum seu perfectionem cognitionis Christi deducitur: ut quem prius generali seu confusa cognitione agnovit, nunc distincta notitia cognoscat in individuo, Christo seipsum manifestante.

V. 27. Καὶ ἐπὶ Ad confirmationem historiæ, admirantes discipulos Evangelista adducit, quid cum muliere tam longo sermone agat, Samaritana videlicet, genti Judaicæ inimica: reverentia tamen Magistri ducti quærere non audent, quod ipsis postea salvator sponte aperit.

V. 28. Ἀφῆκεν. Veræ fidei naturam in muliere describit, quæ non contenta sibi reservare fidem quam didicit, alios ad communionem ejusdem fidei vocare satagit: scilicet, ut per idoneos ac majore industria præditos, diligenter omnia exploret, ad ulteriorem sui confirmationem. Argumentum deducit à Divina scientia Christi, qua civibus suis suadere attentat fidem eandem, hunc esse Messiam promissum, quem fama celebrat: non audet verò plenè,

coram

coram incredulis Judæorum inimicis asserere, sed dubitative rem considerandam proponit, ut magis adducat eos ad colloquium cum Christo. Persuasos tamen fuisse ex parte apparet v. 39. Et ex confessione eorum propria; inf. v. 42. Et quia non respiciunt qualitatem personæ vocantis: (haud dubie permoti fama miraculorum Christi,) secundum verba mulieris suspicantur adesse eundem.

V. 31. ἐν δὲ. Digreditur Evangelista in sermonem Christi ad discipulos, cibum afferentes. Tribus partibus oratio absolvitur: in I. Ostendit se cum magna alacritate & cum desiderio, munus sibi à Deo commissum exequi, & habere quod cum muliere & Sichemitis agat; rem sibi potiorem omni cibo, quantumvis fames urgeat; sollicita enim cura maturandi negocij, famem eximit, & cibi obliviscitur. Tantopere sitit ac desiderat salvator, peccatorum conversionem atq; salutem; ac declarat simul discipulis quid cum muliere egerit, & quid velint adventantes Sichemitæ. Hinc etiam manifestum fit cur Christus in mundum venerit, scilicet ut vocet peccatores ad pœnitentiam, Deoq; reconciliet. Matt. 9: 13. 1. Tim. 1: 15.

V. 35. ὀυχ ὑμεῖς. II. Pars, in qua hortatur discipulos ad eandem alacritatem, plurimos adducendi ad fidem. Quatuor menses, scilicet à semente ad messem: instante autem messe, omnes maxima solicitudine in id unice incumbunt, ut collectas fruges horreo inferant, ne quid decidat, aut imminentibus imbrium tempestatibus pereat. Si tanta sollicitudine, corpori profutura tractantur; multo majore aut sanè haud minore, curare decet ea, quæ animæ hominum conducunt in vitam æternam: in tanto præcipuè hominum concursu, desiderantium informationem, de vera

vera salutis ratione; fatigati siquidem cultu vano, quem sentiunt ad salutem non ducere, jam meliora scire cupiunt.

V. 36. Καὶ ὁ θερίζων. III. Pars in qua Argumentum exhortationis ducit à mercede, proposita his qui sedulā præbent operam in agro domini: fructum congregat, hoc est, plurimos Deo lucrifacit; sicut Paulus. 1. cor. 9: 21. qui se Iudæis & gentibus accomodat, ut omnes lucrifaciat. Id qui faciunt, fructum efficiunt ad seminentes & metentes simul pertingere. Dicuntur discipuli mitti in labores aliorū; id est, quod laborarunt ante ipsos, Patres, Prophetæ ac Moses, in usum cedit discipulis Christi, qui doctrinam suam vaticinijs Patrum & Prophetarum superstruunt: Et Apostolorum labor messis videri potuit, qui felici ac admirabili successu, Evangelium Christi per omnes partes orbis terræ sparserunt, cum Patrum & Prophetarum prædicatio, angustis Gentis Iudaicæ finibus clauderetur, ac paucissimi ex gentibus eorum religioni se adjungerent; quamvis hi fundamenta doctrinæ de vero Dei cultu primi tradiderint: sicut hunc textum intelligit Augustinus. Mercedem itaq; accipiunt messores, quam promittit Christus Matt. 5: 12. *Merces vestra multa est in cœlis.* Et Matt. 19: 27. Luc. 22: 29 *Ego disponam vobis regnum*, &c. Joh. 16: 22. *Et gaudium vestrum nemo auferet à vobis.*

V. 39. Ἐκ δὲ τῆς Ad historiam redit, ac fructum colloquij hujus describit. Pluribus persuasit mulier fidem Christi; ut appareat quanta sit vis verbi Divini, etiam in abjectis personis & contemptibilibus. Miratur eam Apostolus & pro magno pietatis mysterio habet, quod Evangelium creditum sit in mundo 1. Tim. 3: 16. Initium cæpit fides ex verbis mulieris testantis de Prophetica scientia Christi.

Fides accenſa in corde incrementum ſumit, facitq; ut quærant ulterius. Itaq; rogant, precibusq; impetrant, ut maneat, ipſosq; toto biduo in ſcripturis & fide plenius informet. Informati relicta muliere & miraculis, verbis Chriſti inhærent: eſt namq; in verbo Divino vis interna, fidem faciens. pſ. 19: 8. *Lex Domini immaculata, reficiens animas; teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis.* Rom. 1: 16 *Evangelium eſt virtus Dei, ad ſalutem omni credenti.* Ea enim eſt ſanctitas, & cohærentia mandatorum & verbi Divini, ut omnem rationem ac ſapientiam humanam conſtringat, & ſub obedientia contineat, Et ut loquitur Apoſtolus, 2. cor. 10: 5. *In captivitatem redigens omnem intellectum in obſequium Chriſti.* *Nec ulla gens tam ſancta ſtatuta habet:* Deut. 4: 8. Sic Samaritani fatētur ſe nunc credere, propter ſermonem ejus, adeoq; etiam ſcire, quod ipſe verè ſit ſalvator mundi, ac promiſſus patribus Meſſias venturus. Mundi ſalvatorem dicunt, hoc eſt omnium hominum; non ſolum Iudæorum, quod putabant Iudæi; itaq; objurgarunt Petrum, Act: 11: 2. Credunt itaq; Samanitani, fide ſpeciali, ſalutem illam ad ſe quoq; attinere. Sic videmus proceſſum in converſione ſervatum: tenera eſt fides primum & exigua, creſcit poſtea, & incrementum ſumit, uſque ad perfectam ſcientiam & perfectionem. Phil. 1: 6. Eph. 1: 15. Ex hac prima parte cap. deducitur VII. argumentum confir-
VII. mationis ex opere Prophetico Chriſti ad mulierem, & efficacia verborum Chriſti, ad converſionem Samaritanorum, ipſi enim fatentur ſe credere propter ſermonem ejus: quam virtutem verborum ejus etiam populus Nazarenus miratur, Luc. 4: 22. *Et mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant ex ore ejus.* Mirantur etiam miniſtri templi; infra, c. 7. 46.

Nun-

Nunquam sic loquutus est homo. Prædixit hoc Esa. cap. 50: 4. *Dominus Dominus dedit mihi linguam eruditam.*

V. 43. Μετὰ δὲ. III. Pars in qua restituitur in vitã moribundus filius Reguli: quod est VIII. Argumentum, confirmans Christũ esse Messiam promissum. Abijt in Galilæam. Matthæus dicit eum relicta Nazareth, abijsse atq; habitasse in Capernaum. Lucas cap. 4. causam addit, quia Nazareni vitæ ejus insidiabantur, itaq; abijt Capernaum, hæc verba subjiciens: *Quia Propheta non est acceptus in patria*: quæ ad eosdem repetit: Matt. 13: 57. Non est propheta sine honore, nisi in patria sua Æmulatio enim civium inter se facit, ut virtutes in familiaribus & notis contemnant, admirentur in peregrinis. Jam verò ex Judæa reversus redijt Canam, cujus fit mentio sup. cap. 2: 1. quo eum tenderet, honorifice ac benignè excipitur à Galilæis, jam celebrior redditus, propter conciones & miracula, quæ fecit antea in Galilæa; & nuper in festo Paschatis; sup cap. 2: 23. videntibus Galilæis, qui simul ascenderunt ad festum. Hæc de itinere ac circumstantijs præfatus Evangelista, ad miraculi descriptionem properat. *VIII.*

V. 46. Βασιλικὸς. Regulus; Sive quia ex familia Regia oriundus, ex bonis hæreditarijs viveret: sive, quod magis probant interpretes præcipui, Regius præfectus, forte Chusa. ἐπίτροπος, præfectus, administrator, seu commissarius Herodis, cujus, uxor Johanna, Luc. 8: 3. Nam & in Capernaum habitabat centurio, cujus servum sanabat Iesus, Luc. 7: 2. Et hic Pharisæi cum Herodianis primam adversus Christũ conspirationem fecerunt. Marc. 3: 6. Unde apparet fuisse hoc loco insignem Herõdis præturam, cui hic Regulus præesset. Hujus filius ex febri diu afflictus decubuit,

jam moribundus. Magnates ſumtuoſe pharmaca conquirunt, adverſus morbos, quibus multum confidunt, ſed cum res ad extremum pervenit, Dei auxilium demum implorant; ſicut Aſſa. 2. par. 16: 12. Rectius Hiſchia, qui Deum oravit, & ſanatus eſt. Eſa. 38. vide admonitionem Syr. c. 38: 9.

V. 47. οὗτος. Audivit Chriſtum reverſum ex Iudæa, quo prima vice ad feſtum Paſchatos aſcendit, poſt ſuſceptum docendi munus. ſup. cap. 2: 13: Chriſtum adit re deſperata, permotus paterno affectu erga filium; deinde fama miraculorum ejus, ſup. v. 45. quæq; in Galilæa, & hac ipſa civitate fecerit: orat ut tollere velit ægritudinem filij, vitamq; reddere. Sic Chriſto ſe filiumq; committit, & auxilium petit, quod haud facturus fuiſſet, rebus ſalvis aut integris. Non eſt veriſimile fidem aut ſidei ulla initia habuiſſe eum, quia ſanato demum filio, crediſiſſe dicitur: Miracula quidem ab ipſo fieri credidit, ſed eam eſſe in Chriſto virtutem, ut verbo abſens eum ſanare poſſet, non credidit, itaq; ut in domum ſecum deſcenderet orat, ut, præſens ægrum videat, tangat, alijsq; geſtibus adhibitis, ſanet: ſicut Naaman Syrus. 4 Reg. 5: 11. Aulici enim & honorati inſolentes, alios inferiores quovis miniſterio ſibi obnoxios, & quaſi debitores putant.

V. 48. λέγει. Hanc ejus inſolentiam Chriſtus perſpiciens, cum incredulitate conjunctam, quærentem temporalia ſaltem com̃oda, gravi eum objurgatione caſtigat: ſigna enim mirabantur, nec ſufficiunt incredulis ſigna quæ Chriſtus fecit, quærunt ſigna etiam de cœlo. Matt. 16: 1. Mar. 8: 12 Joh. 6: 30. Non contenti veritate doctrinæ Chriſti, quam ex Moſe & Prophetis deduxit. Auguſtinus putat Regulum tentare voluiſſe potentiam Chriſti, de ſanando

filio

filio priusquam crederet ei; quod ex responsione salvatoris colligit. Quia verò in plurali loquitur intelligimus sub hac incredulitate Christum alios etiam concludere, adeòq; tarditatem ac aversionem ingenii humani notare. Regulus verò impatientiam & incredulitatem magis prodit, urgendo, ut descensum acceleret, metuens non posse à Christo ad vitam restitui filium, si moriatur. Sic homo angusta rationis suæ mensura, Divinæ potentiæ infinitam virtutem metitur: quem tamen salvator admirabili patientia, insolenter urgentem, tolerat, ac clementer incredulum erigit, breviq; admodum oratione ad fidem convertit; postquam concione pœnitentiæ responsioneq; duriore hominis insolentiam fregisset. *Vade* inquit, *filius tuus vivit*: quo verbo simul ægrum sanavit, & fidem Regulo tribuit, ad familiarium quoq; conversionem. Nec ausa est domita jam protervia Reguli, adversus promissionem & jussa Domini excipere, quod si fecisset, metuit ne spe sua de sanitate filij, à salvatore repulsus, excideret: sicut Naaman, ni paruisset Elisæo, jubenti, ut in Iordane corpus ablueret, sanatus non fuisset. Itaq; Regulus hoc responso percepto abit, fidei initia inde legens, sperans fore, ut filium sanum recipiat, juxta verbũ Christi. Hinc patet verbi majorem esse efficaciã, quam miraculorũ ad salutem; non n. convertitur fama priore miraculorũ Regulus, sed nunc domestica calamitate pressus, accedente simul verbo prædicationis. Deinde quanta sit crucis efficacia, ad pœnitentiam & conversionem, in eo apparet, qui rebus salvis, sua magnificentia contentus, Christi doctrinam neglexit. 1. cor. 11: 32. *Cum judicamur à Domino corripimur, ne cum mundo damnemur.* Esa. 26: 16. Salvatoris quoq; industria imitanda Ecclesiæ mini-

ſtris, hic perſpicitur, qui novit humiles leniter tractare, ſicut paralyticum, & mulierem trepidantem, Matt. 9 *confide filia, fides tua ſalvam te fecit.* Inſolentes verò ac ſuperbos ſeverè: ſicut *paterfamilias; qui profert de theſauro ſuo vetera & nova.* Matt. 13: 52. Non cogitandum eſt verò, fuiſſe Regulo viam planam admodum ad fidem, cui obſtitit ratio oſtendens vehementiam morbi, & vires abſumptas filij, mortemq; iam appropinquantem: quam tentationem tamen fidei robore ſuperavit, verbis promiſſionis inſiſtens, rem Deo commitens, cui etiam gloriam tribuit. variè tamen affectum fuiſſe, inter eundum fideiq; aliquam infirmitatem ſenſiſſe, quis dubitabit.

V. 51. Ἤδη. Auxilio itaq; veniunt obvij ſervi, dirigente Domino, nunciantes de ſanitate convaleſcentis filij, fidemq; Reguli confirmantes. Laudabilis eſt horum ſervorum favor, & erga dominum propenſus animus, qui hoc læto nuncio Dominum recreare properant. Eph. 6: 5. Convaluit enim repente filius; non ut ſolet febris peracto paroxyſmo paullum remittere; languorem tamen, pallorem ac nauſeam relinquere in ægro: ſed receptis viribus ac ſanitate perfecta, ut omnes intelligerent eum factum fuiſſe ſanum. Tempus indicant ſervi, horam ſeptimam heſternam, quæ fuit prima pomeridiana, qua ipſa verbum promiſſionis à Chriſto accepit pater: quæ ſingula ad confirmationem fidei in Regulo plurimum momenti habent; quærit enim & invenit rem ſic ſe habere: ſic Maria, quæ ab angelo audivit, eadem ab Elizabetha cognoſcere deſiderat. Luc. 1. Potuiſſet Regulus iter quinq; milliarium celerius confeciſſe, ſi voluiſſet, ſed quieto jam animo ex optato reſponſo Chriſti, feſtinatione non opus eſſe putat, Deo confidens.

dens. Hæc eſt veræ fidei natura, confirmationis & incrementi ſemper avida, aliorum quoq; ſaluti ſemper intenta, plurimos ſecum fideles reddere deſiderat. Initia verò progreſſus, incrementa, conſummatio ac perſeverantia, à Deo ſunt, ut rectè dicere poſſis cum Paulo, *donum Dei eſt* Eph. 2: 8. Joh. 6: 44.

V. 54. τοῦτο. Seriem miraculorum oſtendit Evangeliſta; primum in Cana ſignum fecit Chriſtus, ſupra. c. 2. Hoc iterum primum ibidem, poſt reditum ex Judæa: horum miraculorum alij ex Evangeliſtis non meminerunt, quæ cauſa fuit cur ea præterire Iohannes noluerit, qui poſt omnes Evangelium ſcripſit.

CAP. V.

In prima parte hujus capitis deſcribitur miraculum à Chriſto factum in languido decumbente ad probaticam piſcinam. Et eſt IX. Argumentũ confirmans Chriſtum eſſe Meſſiã. Aſcendit autẽ ex Galilæa; ut patet, cap. 4: 3. & 43. *IX.*

Fuiſſe verò paſcha, feſtum hoc Iudæorum putant nonnulli, quod hic generali appellatione feſtum dicitur, quaſi apud Judæos primum & præcipuum; & quia aliis in locis ſæpè feſtum appellatur. ut. Matt. 27: 15. Ioh. 4: 45. & 11: 56. Obſtare autem videtur quod cap. 6: 4. aliud paſcha ſuccedat: & ſic brevis admodum foret ſecundi anni hiſtoria. Theophylactus & Cyrillus Pentecoſten fuiſſe putant. προβατικῇ ſcilicet porta, ovium dicta, eiq; adjuncta piſcina; ſive quod vicina eſſet ad portam, quæ pecudum ſeu ovium dicebatur, ſeu domui ſtabulove ovium quæ ad ſacrificia aſſervabantur: alij ex ablutione mactatorum ſacrificiorum dici putant. Locus erat templo vicinus, & porta ad montem olivarum ſpectans, per quam

Chri-

Christus, agnus innocens, introducitur captivus, ad mortem damnandus. Ex porticibus celebritas loci colligitur, Et infra v. 13. multa turba erat in loco isto. Et quamvis appropinquante tempore turbationis aquæ, huc confluerent languidi, non tamen in eorũ usu putamus extructas porticus, sed pri⁹ his qui templo & sacrificijs necessaria parabant: vel mercandi gratia ad forum ovium convenerunt: plures vero factas alij putant in usum languentium, Nusquam enim legimus, fuisse in hac cisterna illud sanationis donum, ante adventum Christi, cum secundum vaticiniũ Esa. 35: 5. plurimi ex languoribus curandi erant. Unde miraculum hoc quidam non inepte accommodant ad vaticinium Ezech cap. 47. de aquis salutiferis fluentibus è templo: pluvia enim è templo per canales, ductu subterraneo in hunc lacũ se effudit. Ambrosius de Sp. sancto. l. 1. c. 7. baptismi figuram ex his deducit, virtute cœlesti descendente & sanante peccati languores. Voluit Deus, hac ratione, gentem judaicam iterum ad sui cognitionem exitare; qui longo jam tempore, quasi absens, non respondit, neq; per Prophetiam, neq; per visionem, nec per somnium aut miracula: idq; ut rei novitate moti, gratiam ac præsentiam Dei agnoscerent, Christumq; venientem reciperent. Sic ad veritatem historiæ circumstantias, locum & tempus Evangelista describit: & v. 9. diem notat, videlicet Sabbathi.

V. 3. ἐν ταύταις. Languidi erant quos nulla medicorum industria curare potuit, itaq; subjicit Evangelista, à *quacunq; detinebatur infirmitate.* Tales etiam plerumq; Christus curavit, & Apostoli; ut illustriora fierent miracula. An verò statuto tempore turbaretur aqua, non liquet: si enim circa festa majora, ut Cyrillus putat, tamen de die & hora incer-

tos

tos fuisse apparet, itaq; ad lacum expectare oportuit. Christus autem misericordia motus, respicit maximè eum quem diutissime afflixit ægritudo, indigentia & ministrorum inopia, de qua etiam æger conqueritur Sic salvatori conditio hominis ignoti perspecta fuit, quod est Divinæ sapientiæ argumentum: sup. cap. 2: 25. *Opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine*; &c. Si quæras cur non sanati essent omnes descendente Angelo, aut etiam à Christo; sicut Matt. 4: 23. Luc. 4: 4. Hic respondendum est, quod Christus Nazarenis civibus reposuit, Luc. 4. 25. Exemplo Eliæ & Elisæi. Consistit hæc virtus in beneplacito Dei, de quo non licet scrupulosè quærere: deinde non sẽper fructuosè fiunt miracula, aut apud omnes; sicut Matt. 12: 24. Et apud Nazarenos contemptores: Et ex 10. leprosis unus tantum gratias egit: Luc. 17. deniq; non fuit finis præcipuus adventus Christi in carnẽ, ut omnes ægritudines corporis sanaret, sed ut factis subinde miraculis, fidem faceret hominibus se esse filium Dei, sicut ipse ostendit, infra v. 17. Sat erat uno miraculo id ostendisse Ierosolymis.

V. 12. Ἠρώτησαν. Iudæi verò invidi, ad miraculi considerationem non convertuntur, sed ut Christum delicti adversus legem accusent, occasionem captant ex violatione sabbathi, quæ juxta legem morte puniebatur Exo. 31: 14. 35: 2. Et qui ligna collegit, morte mulctatus est: Num. 15: 35: Iubet salvator tollere & domum suam referre lectulum, ut magis pateret sanitatis restitutæ perfectio. Quærunt Iudæi quinam homo ille fuerit, qui contra legem jusserit portare onus die Sabbathi. Ier. 17: 21, *cavete ne onus portetis in Sabbatho per portas*, &c. Respondet ipse de eo, à quo est sanus factus, ut eos ad fidem Christi adduceret.

V. 13. ὁ δὲ Videtur ſe ſubduxiſſe Chriſtus, ut major inquiſitio fieret: quæ etiam cauſa fortaſſe fuit, quod in Sabbatho miraculum faceret, in frequentia ſcilicet & concurſu multitudinis; ut miraculũ magis innoteſceret. Sic manũ aridam curavit Sabbatho. Matt. 12: 10. Et mulierem, ægram, Luc. 13: 13. Quæritur verò, annon juſta fuerit Phariſæorum accuſatio, de prophanatione Sabbathi? Reſpondet Chriſtus locis adductis. 1. Neceſſitatis & caritatis opera lege præcipiuntur, non prohibentur. 2. Major apud Deum eſt reſpectus hominis quam Sabbathi. 3. Filius hominis eſt Dominus Sabbathi; & major Templo. Hominis ſanati converſio & fides eluceſcit, quia favet benefactori, deinde quia templum frequentat. Notabilis eſt etiam exhortatio Chriſti, ut ſanus jam factus à peccatis abſtineat, ne graviore deinceps afflictione puniatur; cum ſimul doceat peccatum cauſam eſſe ægritudinis & calamitatis, ut docetur, pſ. 107: 17. Et Deut. 28. Lev. 26. Sæpè tamen immitit Deus calamitates, ad exercitium patientiæ & fidei; ut docet exemplum Iob. Petrus Ep. 1: c. 4: 12. Etiam ut manifeſtetur gloria Dei. Ioh. 9: 2. Ac ne quis putet tales à Deo affici injuria, cogitandum eſt omnes homines in peccatis conceptos & natos; ut ſuo exemplo docet David pſ. 51. Et concupiſcentiæ malo gravari, quod fatetur Paulus, Rom. 7. Et quamvis flagitijs notorijs liberi ſint plurimi, tamen in multis delinquimus omnes, ait Iacob. Ep. cap. 3: 2.

V. 16. Καὶ διὰ. II. Pars cap. in qua Chriſtus ſalvator reſpondet ad criminationem Iudæorum de violatione Sabbati, ac miraculi huius operationem refert ad Deum patrem: ſimul oſtendens operationem ſuam cum operatione Patris concurrere, & eſſe unam, Infr. c. 10: 33. ſeq; eandem

cum

cum Deo habere in operando potentiam: Et hæc est propositio argumentorum sequentium, usq; ad finem capitis. Hanc responsionem Iudæi probè intelligunt, itaq; adversus eam acerbe excipiunt, velut blasphemam, & morte punienendam; quia cum sit homo mortalis, Deo se facit æqualem: infra, c. 19: 7. Luc. 23: 70. Augustinus, Chrysostomus, & Theophylactus respiciunt hîc ad primam institutionem Sabbathi: quievit Deus septimo die, ab opere creationis, non verò conservationis, movet enim, sustentat & conservat cœlum & omnia sublunaria. Per *filium autem secula condidit.* Heb. 1: 2. *Ipse etiam* portat omnia verbo virtutis suæ. Et Col. 1: 17. *Omnia in ipso consistunt.* Et hoc opus exercet omnibus diebus, etiam die Sabbathi, simul cum Patre; itaq; dicit ἕως ἄρτι, usq; nunc; id est, actione perenni, nunqnam cessante: quod Arist. 6. & 8. Phys. appellat *movere infinito tempore*, cū de primo motore agit. Huc refert Christus miraculum à se factum, ad naturæ scilicet conservationem, docetq; simul ad opus concurrere virtutem Patris, & esse eandem cum sua. Non est enim in creaturæ potestate, naturæ destructæ restitutio: requiritur enim potestas infinita, quæ est solius Dei, qui est naturæ autor & Dominus.

Continet hæc propositio X. Argumentū confirmationis, quod varijs rationibus astruit salvator in sequentibus.

V. 19. Ἀπεκρίνατο. 1. Ratio in qua magna cum asseveratione ostendit filij & Patris actiones non concurrere ut duo diversa agentia, sed ut unum, propter identitatem naturæ: itaq; illud, *non potest filius facere*, non impotentiam designat, ut volunt Ariani, sed perfectionem naturæ Divinæ, quæ una est in filio & patre: itaq; à seipsa minime diversa, secum dissentire, aut diversa opera facere nequit; na-

tura enim & essentia Divina, in filio & Patre unum est operationis principium, & ideo opera indivisa; seu, ut Augustinus loquitur, inseparabilia. Facit filius similiter; non sicut discipulus artificem imitatur in opere diverso, & simili: sed in opere eodem, facit filius, sed pater per filium, *per quem & secula condidit.* Heb, 1. 2: *verbo Domini cæli firmati sunt*; ps. 33. Simili modo operantur pater & filius in hoc miraculo.

V. 20. ὁ γὰρ πατὴρ, 2. Ratio à dilectione mutua patris & filij, & his quæ inde consequuntur. *Pater diligit filium,* non ut nos amicum, amore mutabili & cessante, sed amore essentiali, æterno: sic etiam *demonstrat ei quæ facit* non docendo aut velut in exemplo, sed *hic gignendo ille nascendo.* ut loquitur Augustinus l. 15. de Trinitate: cap. 14. nam communicando essentiam, comunicat scientiam & potentiam. Sic videt filius, intelligentia & visione æternæ generationis; simul vidente patre & filio, quæ sunt in eorum scientia, quæ sunt in eorum essentia: quo modo etiam de visione Spiritus Dei loquitur Paulus, 1. Cor. 2: 11. *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Opera itaq; Filij & Sp. sancti à Patre fluunt velut à fonte S. S. Trinitatis: Et infr. c. 14: 10. *Non credis quia ego in Patre, & pater in me est? Verba quæ loquor vobis, non loquor à meipso: Pater in me manens, ipse facit opera. Majora his demonstrabit*; videlicet, non solum morborum curationes, sed insuper potestatem in ventos & fluctus maris, in Dæmonina & obsessos, in mortuis ad vitā excitandis. In futuro loquitur, (*demonstrabit,*) non quod sit aliquid quod filium lateat, in posterum revelandum, universam enim essentiam cum scientia filio communicavit

Pa-

Pater ab æterno: ſed tempus reſpicit quo ſunt hæc miracula hominibus manifeſtanda. Sive velit aliquis ad ſtatū exinanitionis iſta referre, *Profecit enim ſapientia & ætate. Luc.* 2: 52. ſpontaneam ignorantiam ſubeunte filio, ſicut de die judicij. Mar. 13. 32.

V. 21. ὥσπερ. 3. Exemplo confirmat rationem præcedentem, & oſtendit virtutem vivificantem eſſe in filio ſicut in patre. Ineſt exemplo ratio; Cuicunq; ineſt vis vivifica, quæ ſoli Deo competit, ipſe eſt Deo coæqualis: ſed filio ineſt hæc virtus; ergo parem habet cum Deo potentiam. Probatur Major prop. Deut. 32: 39. *Non eſt Deus præter me. Ego occido & vivifico.* Rom. 4: 17. *Deus eſt qui vivificat mortuos.* Et 1. Tim. 6: 13. *Deus qui vivificat omnia.*

V. 22. οὐδὲ γὰρ. 4. Ratio: à poteſtate judicandi quam totam Pater in filium contulit. *Pater non judicat quemquam:* nō excluſo Patre, ſed non judicante Patre niſi per filium: ut ſup. v. 20. Et Paulus ad Athenienſes dicit *Deum judicaturum eſſe orbem in æquitate, in viro in quo ſtatuit,* &c. Una enim eſt actio Patris & Filij, ſed ut intelligant, Filij plenam eſſe poteſtatem judicandi, ſicut patris, naturaliter ſecundum Divinitatem, communicativè quoad humanitatem, vi unionis perſonalis.

V. 23. ἵνα πάντες. Infert ex rationibus ſuprapoſitis: Si filius una actione cum Deo Patre facit miracula, vivificat, judiciū ſupermū exercet; itaq; pari cum Deo patre cultu & honore eſt venerandus; Econtra qui filium Divino honore nō afficit, Deum verum non colit, ſicut gentiles, Mahumetiſtæ & hæretici, ſunt itaq; ſine Deo in mundo. Eph. 2: 12. Et iterum; qui honore debito afficit filium, qui credit ipſum eſſe filium Dei, ſalvatorem à Deo ordinatum; & verba

ejus audit, quæ nobis locutus est, de voluntate patris cœlestis, & modo quo constituit nos salvare: hic *in judicium non veniet*: hoc est, non reputabit Dominus peccata ejus: ps. 32: 1. Initium igitur salutis nostræ est ex auditione verbi, sicut præcepit cœlestis pater Matt. 17: 5. *Hunc audite.* Hoc verbum fidem generat in corde, Rom. 10. *Fides ex auditu est, auditus autem per verbum.* Fidem sequitur pœnitentia peccatorum & fructus Spiritus in nova vita. Hac via nos Deus reconciliavit sibi in Christo. 2. cor. 5:19. ac justos fecit, hæredes vitæ æternæ: idq; sine meritis aut ulla satisfactione nostra, Eph. 2: 5. Tit. 3: 5. Transponit nos in statū filiorum Dei. Et quamvis *spe salvi facti sumus* in hac vita; Rom. 8: 24. tamen verè sumus hæredes, sicut filius vivo patre: cujus hæreditatis pignus est sanctificatio cordis, & Spiritus sanctus, qui datus est nobis. Rom. 8: 14. Gal: 4: 6. 2. Tim. 1: 7. Alia via ad salutem nulla est: sicut ea ijsdem fere verbis explicuit Baptista, supra. c. 3: 36. *Qui credit in filium habet vitam æternam: qui autem non credit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super ipsum.*

V. 25. Ἀμὴν. 5. Ratio, à potestate excitandi mortuos, non solum ex peccati somno, ut supra, v. 21. sed à morte temporali, cum anima à corpore discessit; *veniet hora*, ac ne quis putet, longe abesse hanc horam, ostendit habere se etiam nunc potestatem eam: quam etiam ostendit palam in Lazaro. infra, c. 11.

V. 26. Ὥσπερ. Probatur ex potestatis naturalis identitate, in patre & filio. Posterius hoc, *dedit filio habere vitam in seipso*, ad humanam Christi naturam refert Cyrillus, docetq; accepisse eam *ut homo, nam ut Deus, habuit hæc naturaliter*, ait, l. 2. in Ioh. c. 144. Deinde, etiam judicandi potestas

ſtas data filio : ipſum confirmat, de qua ſupra dictum eſt, v. 22. videtur autem etiam hic reſpicere judicium quod in his terris filius ut mediator, in Ecclesia per Sp. ſanctum exercet. in coſcientijs piorũ & impiorum, Ioh. 16: 8. & per clavium poteſtatem: unde dependet judicium in extremo die. Sic. ſup. c. 3: 18. Jam judicatus eſt. Utramq; hanc & vivificandi & judicandi poteſtatem datam eſſe filio hominis oſtendit clauſula reſtrictiva in fine addita, *quia, vel qua, filius hominis eſt. Et* conjunctio in principio verſus 27. videtur ſub hac reſtrictione utrumq; conjungere: judicandi ſcilicet & vivificandi poteſtatem. Data vero eſt hæc poteſtas Chriſto homini, per unionis gratiam, explicante Apoſtolo, phil. 2. & Baptiſtá ſupra. c. 3: 34. Impia eſt igitur ſententia. & verbis Chriſti contraria, eorum, qui attributorum Divinorum communicationem Chriſto homini detrahunt; ex quibus fundamentis ipſi viderint.

V. 28. Μὴ θαυμάζετε. 6. Ratio qua probat ſibi eſſe æqualem cum Deo, & eandem poteſtatem. *Nolite mirari*: hoc eſt, nolite impoſſibile putare aut abſurdum, quod dicitur; alias admiratione non caret ipſum incarnationis myſterium, & unio natururarum in Chriſto, quam mirantur etiam Angeli: 1. Pet. 1: 12. ἔρχεται ὥρα. 7. Ratio, à poteſtate excitãdi omnes mortuos, ac judicandi in extremo die. Erit autem reſurrectio univerſalis, bonorum pariter & malorum; illorum ad vitam, horum verò ad judicium, hoc eſt, damnationem. Proceſſus hujus judicij plenius deſcribitur, Matt. 25: 31. Et 1. Theſs. 4: 13. ubi argumentum hujus poteſtatis deducit Apoſtolus à reſurrectione Chriſti. Cujus etiam argumentum haud leve, ex ſuperioribus deducitur: ſi enim poteſt peccatores in delictis mortuos vivificare, &

ad pœnitentiam ac fidem covertere: si mortuos resuscitare; (sicut filium viduæ in Nain, etiam Lazarum;) si eandem virtutem apostolis tribuere: eadem potentià poterit universos, qua singulos excitare in novissimo die. Poterit etiam Divina scientia bonos à malis discernere; atq; ultimam sententiam proferre, juxta facta cujusvis, *In die cum judicabit Deus occulta cordium secundum Evangelium per Iesum Christum.* Rom. 2: 16. Et sicut est hæc potestas acceptabilis fidelibus; sic, est terrori impijs & incredulis, ut Felici, Act. 24: 25.

V. 30. ὀυ δύναμαι. Novit enim ipse consilium æterni Patris, de salvandis per fidem credentibus, & est scientia ac essentia filij eadem cum Patre, ut sup. v. 20. Itaq; juxta hanc scientiam idem judicium cum patre exercet, & Divinæ voluntatis sententiam exequitur. Hæc non potest esse injusta: Atq; sic præcedentes rationes concludit.

V: 31. ἐὰν. Occupatio, qua antevertit objectionem Judæorum, qui non intelligentes Divina eloquia Christi, propter incredulitatem & odium, propter rationum sublimitatem, exuperantium captum incredulorum; hæc dicta Christi accipiunt ut ἀσύστατα, κενούμενα, impossibilia, sup. v. 28. absurda scilicet, profecta ex vanitate & ambitione privata; nemine id testante, nisi quod sibi ipse talia tribuat. Id ipsum expresse Christo objiciunt, inf. cap. 8: 13. Respondet itaq; salvator, ex hac hypothesi per concessionem: scilicet, si hæc recte à vobis dicuntur, vanum esset testimonium meum. Deinde quia videt Judæos expetere, & exquirere testimonia aliorum; profert salvator testes gravissimos. Et hæc est 8. Ratio, à Testimonio alieno. 1. Johannis. itaq; dicit se habere testimonium alterius, verum id quidem ac in-

infallibile, sicut demonstratum fuit, sup. c. 1: 15. propter autoritatem viri; præcipue verò propter revelationem Divinam, juxta quam Christus ipsi innotuit: ibidem v. 33. *Perhibuit testimonium veritati.* v. 19. & c. 2: 29.

V. 34. Ἐγὼ δὲ. Corectio, qua ostendit sibi non opus esse testimonio humano, cui data est *potestas omnis in cœlo & in terra*, Matt. 28. cui dona infinita collata sunt: supr. c. 2: 34. nec ulla humana ope indigeat. Utitur tamen Johannis & Apostolorum testimonio, ad fidem persuadendam hominibus. Celebrat itaq; fidem & autoritatem Johanis. 1. ex confessione Judæorum, qui veritatem ab eo exquirunt, quasi ab homine à Deo misso, sup. c. 1: 19. cui etiam crediderunt ad tempus, & baptizabantur ab eo. Mat. 3: 5. Luc. 3. Nec audent negare ipsum esse à Deo; interrogante Christo. Matt. 21: 24. 2. Erat *lucerna ardens*. hoc est, insignibus donis à Deo ornatus, ad informationem, & admirationem hominũ; ac propter vaticinia prophetarum, Esaiæ & Malach. illustris, ut supra dictum est. *Voluistis ad horam exultare*: tacite coarguit inconstantiam Judæorum, qui in primis crediderunt Iohanni, postea deficiunt.

V. 36. Ἐγὼ δὲ. 2. A testimonio Divino immediato. Omnes noverunt, non esse ab hominibus datam potestatem miraculorum, sed immediate à Deo, ad confirmationem Evangelij quod attulit: quod fatetur Nicodemus: sup. c. 3. Majus est hoc testimonium testimonio humano, & sufficiens; adversus quod non licet excipere, sine blasphemia & insigni in Deũ contumelia: sicut Matt 12: 24. Cũ Diabolicæ potestati miracula tribuunt. Et infra cap. 9. quos gravi argumento convincit sanatus cæcus: *Nisi esset hic à Deo, non posset facere quicquam.* Pater cœlestis testatur filiũ Dei

esse Christum, tribuendo virtutem ad facienda miracula, ut credat mundus ipsum esse Messiam salvatorem mundi: infr. c. 20. v. 30. Et cap. 10:37. *Si nō facio opera patris mei nolite credere mihi: Si autem facio, & mihi non vultis credere, operibus credite; ut cognoscatis & credatis quia pater in me est & ego in patre.* Hæc ita evidentia sunt, ut exceptionē non admittant. Magnū est quidem testimoniū Iohannis, quod mediante ipso Deus filio contulit; hoc verò maximum quod fit im̄ediate, in miraculorū operatione per Christū, non enim potest subesse falsum, ut in testimonio humano & pseudoprophetis.

V. 37. Καὶ ὁ πέμψας. III. Pars capitis, in qua reprehendit gravi objurgatione incredulos adversarios; quia cum tanta, tam evidentia de filio testatus sit Pater, tamen non credant; Et quia dicit eos vocem Dei nunquam audivisse, respicit non solum præsentes Iudæos, sed ætates priores hujus gentis, & inobedientiam ac contumaciam cum ignorantia, ac rebelleione in deserto de qua David ps. 95: 8. Stephanus: Act. 7:51. Et similiter sub Judicibus ac Regibus. Prædixit Moses, Deut. 32: 15. cui per Sp. sanctum, & per longam cosvetudinem optime erat perspectum ingenium gentis. De hac vocis Divinæ auditione, ipsum loqui scopus sermonis indicio est, & verba sequentia ostendunt: alias notum est, Gentem Jsraeliticam audivisse Deum loquentem sibi, in monte Sina: Exo. 20. Quod verò dicit eos non vidisse speciem ejus, referri potest ad Mosen, petentem ut liceret videre gloriam Dei. Exo. 33: 18. cum non videret nisi posteriora: multo verò minus videre licuit Israelitis. Deum enim nemo vidit unquam. Unde infert salvator, nulla est ratio alia qua se Deus manifestat hominibus, nisi per verbum, sicut in Mose & prophetis: nuper autem

tem

tem per filium; qui est verbum patris & splendor gloriæ ejus. Heb. 1. cui qui non credit salvari nequit, aut Deum recte colere: ut dictum est supra v. 23.

V. 38. Καὶ τὸν λόγον. Deinde reprehendit eos ob incredulitatem & inobedientiam ac contemptum verbi Divini, quod in illis locum non habet. Nam sicut Dei vocem audire non sustinuerunt in Horeb, adversus Mosen murmurarunt, legem non servarunt, nec credunt Mosi & Prophetis loquentibus de Christo: ita neque Christo loquenti ad eos fidem ad hibuerunt; itaq; salvari nequeunt: manet enim ira Dei super eos: Joh. 3: 36.

V. 39. Ἐρευνᾶτε. Tandem ad scripturas eos remittit, testificantes de Christo. Et est 3. testificatio externa Mosis & Prophetarum; quam urget amplius in fine capitis: Magnam decet esse ejus autoritatem, quam etiam pro salutis fundamento habent Iudæi, itaq; ex communi principio cum ipsis disputat. Quia verò scripturas in alium sensum trahunt, de regno Christi terreno; itaq; Christum regnũq; ejus spirituale rejiciunt. Ad scripturarum decisionem provocat, idem quoq; faciunt Judæi, carnalem prærogativam prætendentes; quos refellit Evangelista sup. cap. 1: 13. Petrus, Act. 11. Paulus, Gal. 3. & 4. Rom. 9.

V. 40. Καὶ οὐ θέλετε. Cupiunt Iudæi liberatorem temporalem, ut liberati à jugo Romanorum vivant sub regno terreno Messiæ, juxta statuta Mosis, justitiam quærendo in operibus. Rom. 10. Lèx & promissio Abrahæ facta Christum respiciunt, fide aceipiendum; Judæi autem propriam justitiam sectantur, media verò à Deo ordinata rejiciunt; itaq; salute excidunt. Quia enim finis Legis Christus, Rom. 10: 4. itaq; Mosen & Prophetas non intelligunt, qui sine re-

ſpectu ad Chriſtum legunt; pendet enim velum ſuper cor eorum. 2. cor. 3: 15. unde eſt averſio illa voluntatis à Chriſto.

V. 41 Δόξαν. Concluſio teſtimoniorum præcedentium, ex quibus colligit & probat ſe humanis teſtimonijs non indigere, cum habeat poteſtatis & gloriæ ſuæ teſtimonia Divina; Iohannis, miraculorum & ſcripturæ; ut dictum eſt: majora ſcilicet omni teſtimonio humano.

V. 42. Ἀλλ' ἔγνωκα. Reprehenſionem continuat; & oſtendit cauſam erroris Judæorum, qui ambitione & φιλαυτίᾳ excæcati, Dilectionem Dei ex corde amiſerunt, nec attendunt quibus à Deo beneficijs quove honore ſint affecti, ſicut Paulus monet Rom 9: 4. *Qui ſunt Iſraelitæ, quorum eſt adoptio filiorum, & gloria & teſtamentum, & legiſlatio, & cultus, & promiſſiones: quorum ſunt patres, ex quibus Chriſtus ſecundum carnem.*

V. 43. Ἐγὼ. 1. Ratio, quia Chriſtum venientem in nomine Patris, non recipiunt. *In nomine Patris*; quod ex vaticinijs, promiſſionibus, typis, in Moſe & Prophetis, ſcire eos oportuit, adhibita inſuper teſtificatione Baptiſtæ, & miraculorum; accedente teſtificatione Patris loquentis de cœlo, Matt. 3. & 17. His addantur teſtimonia omnium fidelium in veteri ac novo teſtamento, quorum maximum numerum recenſet Apoſtolus, Heb, 11. Nubem teſtium appellat; cap. 12: 1. *Si alius venerit in nomine ſuo.* fures ſcilicet latrones, qui non per oſtium ingrediuntur. inf. c. 10. Pſeudo Chriſti. Matt. 24: 24. Iudas & Theudas, de quibus Gamaliel; Act. 5. Galatinus lib. 4. cap. 21. Ex Talmudicis Iudæorum libris oſtendit, Judæos pro Meſſia recepiſſe Bencozba; Et quendam inſuper alium, quos ſequebatur innumera multitudo Judæorum; qui omnes cum ſuis ducibus

occi

occidione deleti ſunt ab Hadriano Imperatore; vide Euſeb. hiſt. l. 4: c. 6. Hi non potuerunt ullo miraculo ſuæ miſſionis fidem facere, quamvis id flagitarent Judæi.

V. 44. Πῶς δύνασθε. 2. Ratio: quia gloriæ mundanæ ſtudio ſibi mutuo inſerviunt, metuentes ne mundano honore & commodis priventur, ſi Chriſtum recipiant: fatentur idipſum Pontifices in concilio, infra c. 11: 47. *Gloria quæ à ſolo Deo eſt*, eſt beatitudo quæ nobis contingit per Chriſtum; de qua Paulus, Rō. 3: 23. *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei.*

V. 45. Μὴ δοκεῖτε. 3. Ratio reprehenſionis, quia Chriſtum ut adverſarium & accuſatorem accipiunt Iudæi; ſperant verò ſe patrociniū habituros in Moſe, hoc eſt, juſtitiam ex obſervatione legis. Contra docet ſalvator officium ſuū non eſſe accuſare & damnare, ſed ſalvare, ſup. cap. 3: 17. Moſen verò per legem accuſaturum & damnaturum incredulitatem & contumaciam eorum in noviſſimo die.

V. 46. Εἰ γὰρ. 4. Ratio ab incredulitate Iudæorum, qui ne Moſi quidem credunt, qui primus Chriſtum prædixit, & illuſtres promiſſionês edidit, vaticinia quoq; ſicut Deut. 18: 15. *Prophetā exſtabit Deus ſicut me.* &c. Deinde Typos & Sacrificiorum ritus, quibus Chriſtus præfigurabatur. Et quamvis profitebantur ſe Moſis eſſe diſcipulos, inf. c. 9: 28. tamen ei non crediderunt: multo igitur minus Chriſto, quem pro ſeductore, nō pro præceptore agnoverunt. Philippus ſup. c. 1: 45. Prædictiones haſce Moſis de Meſſia accipit; cum nondum eſſet ad Chriſtum vocatus: unde patet cōmunem fuiſſe hujus temporis ſententiam, de hoc vaticinio Moſis. Idem etiam Petrus aſſerit. Act. 3: 22.

CAP. VI.

III Pars confirmationis, de his quæ geſta ſunt ad

 mare

mare Tiberiadis & in Galilæa, ac deinde in Judæa in festo tabernaculorum, cum miraculis, ac disputationibus utrobiq; habitis: usq; ad versum 12. capitis 10. Duabus partibus hoc caput absolvitur: I. Pars miracula commemorat, facta ad mare Galilææ. Supra monuimus multa omittere Iohannem ex his quæ ab alijs Evangelistis tradita sunt: Matthæus enim cap. 14. Lucas. 9. capite hanc historiam describunt, Marcus. 6.

V. 1. Μετὰ ταῦτα. Hoc est, post aliquod intervallum temporis. Secessit in desertum; sive ut tyrannnidem Herodis declinaret, à quo Iohannem occisum nunciabant discipuli. Matt. 14: 12. Sive ut se & discipulos laboribus fessos recrearet, sicut ipse declarat, Mar. 6: 31. Nā ut Marcus indicat, à redeuntibus & abeuntibus interpellabantur frequenter, ut vix cibi capiendi spatium daretur. Locus enim à multitudine remotus, aptior est precibus ad Deum, meditationi & colloquio. Betsaida civitas, non procul à Capernaum, ostio scilicet Iordanis, ad quam spectasse hoc desertum ex Evangelistæ Lucæ descriptione notum est: situm in opposita parte ripæ.

V. 2. Καὶ ἠκολούθει. Turba hominum sequitur, pedestri itinere, mare ambiens in circuitu ripæ, permota curiositate videndi miracula, qualia vel viderunt ante vel facta audiverunt. Non est verò dubium, fuisse in hac multitudine quosdam doctrinæ Christi cupidos, in quorum gratiam montem ascendit cum discipulis, ut ex loco editiore exaudiertur magis à multitudine. Misericordia commovebatur, (ait Marcus Evangelista,) erga eos; *erant enim sicut oves absq; pastore*; verbum enim Dei à Pharisæis pervertebatur, aut traditionibus seniorum postponebatur: quamobrem

eos

eos Christus gravi accusatione premit, Mar. 7: 6 Et Matt. 23.

V. 4. Ἦν δὲ ἐγγύς. Tempus notat, proximum scilicet festo Paschatos. Erat hoc secundum Pascha post Baptismum Christi. Mirari hîc licet, cum Christus diligens fuerit observator legis, cur ad festum non ascenderit? Respondet Theophylactus 1. ut ostendat se legalibus præceptis non esse obnoxium; sed legem ceremonialem paulatim abolere velle 2. Propter insidias Iudæorum.

V. 5. ἐπάρας. Præmittit miraculo colloquium cum Philippo, ut exploret quid possit industria humana, in re tãtæ difficultatis. Respondet Philippus, exiguam, quæ in promptu est, pecuniam, haud sufficere, ut panes emantur tantæ multitudini. Marcus dicit monuisse discipulos, ut auditores dimittat ad emenda cibaria, quia dies præterijt, & desertus locus est, ubi nihil acquiri potest ad victum. Perspicitur ex his, quanta fuerit populi diligentia ad audiendum: ea enim fuit gratia verborum Christi, ut cum admiratione omnium doceret; *Luc.* 4: *22. Et omnes testimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus. Et v. 32. Stupebant omnes in doctrina ejus, quia cum potestate erat sermo ejus.* Erat enim sermo efficax, ad rectam Prophetarum explicationem, terrore & consolatione feriens conscientias. Sic qui antea curiositate miracula videndi movebantur solũ; nunc ex auditu crescente fide, plura audire desiderant, ac perdurant usq; in vesperam, curam omnem corporis & rerum temporalium relinquentes: unde perspicitur initium & natura ac progressus fidei. Erat denarius octava pars unciæ, juxta Budæum, & fiunt ex ducentis dearijs unciæ 25. Tantam pecuniam in promptu fuisse, ex verbis Marci. 6: 37. apparet: quærunt enim an euntes emant

pa-

panes tot pecunijs. Unde verò ſalvatori & diſcipulis ſuppeteret pecunia ad uſum, colligitur ex Luc. c. 8: 3. nempe ab auditoribus.

V. 8. λέγει αὐτῷ. Requirente verò ſalvatore Chriſto quid apud multitudinem cibi adſit, ut Marcus indicat, reſpondet Andreas, panes quinq; & duos piſces: ne quis dicat Chriſtum ſaturaſſe hanc multitudinem cibis eorum proprijs quos ipſi attulerunt. Id enim hac exploratione quæſivit, an aliqua induſtria aut ope præſentium, ſaturari potuit tantus hominum numerus. Fatentibus verò ipſis, poſt accuratam inquiſitionem, nihil eſſe penes ipſos, quod huic multitudini ſufficere poſit, ipſe ad miraculi operationem progreditur.

V. 10. Εἶπε. 1. Claſſes ordinat, ut diſcumbant in quolibet circulo quinquageni. Luc. 9: 14. Ut diſtribuatur commodius, ne quis negligatur; Et computetur numerus hominum facilius. 2. cibos præſentes, accipit 3. gratias agit Deo, qui hæc ordinavit ad victum hominum: εὐλόγησε, ait Marcus, in Cælum intuens, qua ſingulari benedictione opem patris implorat, ad multiplicationē præſentium ciborum, ut multitudini ſufficere poſſit: oſtendens quanta ſit efficacia precū & benedictionis, ad cibi ſumptionē .1. Tim. 4: 4. 4. frangit, & diſcipulis porrigit diſtribuēda. Diſcipuli autē juſſa exequntur, populus obtemperat, quid facere velit obſervant: ſicut petrus, juſſus rete explicat, Luc. 5: 5. Ex fide verborum Chriſti hæc obedientia proficiſcitur, diffidentia contra, exitium affert: Qualis fuit ducis illius in porta Samariæ; 4. Reg. 7. qui cum Eliſæo non crederet, conculcatus à multitudine periit. Moſes incredulus in deſerto, terram Canaan ingredi non potuit, neq; Aaron, ſed mortui ſunt in

de-

ſerto, terram Canaan ingredi non potuit, neq; Aaron, ſed mortui ſunt in deſerto. Num: 12. virtus verborum Chriſti hæc eſt, vitam & bona omnia præſtans fidelibus: potentia etiam Chriſti conſpicitur, qui diſtribuit egentibus quantum vult, ut appareat ipſum eſſe Deum, creaturarũ Dominum Bonitas quoq;, qui bonis pariter ac malis bona ſua comunicat; nam aliquos ex his adhuc perſtitiſſe in incredulitate, apparet infra, v. 30. quia adhuc ſignum requirunt, ut credant ei. Saturantur autem credentes, & fidem inſuper concipiunt, bonis ſpiritualibus ſimul & temporalibus aucti. *Pſ. 34: 11. Divites egueunt & eſurierunt, inquirentes autem Dominum, non deficiet ullum bonum.* Iac. 5: 1.

V. 12. Ὡς δὲ. 5. Reliquias colligere jubet, frugalitatem docens, utq; in timore Dei, beneficia Divina percipere oporteat. primo enim exemplo id monet, qui eos non paſcit numeroſis & ad pompam adornatis ferculis; pro more divitum & aulicorum, eorumq; omnium, qui non naturæ neceſſitate ac ſufficientia contenti, ſplendorem & pompam neſcio quam, in victu & dapibus affectant. Nec minor eſt eorum erga Deum ingratitudo, qui reliquias non colligunt, ſua non conſervant, ſumptus non neceſſarios faciunt, ac quæ multo aliorum labore, ſudore vel cura conquiſita ſunt, temere vel negligunt, vel effundunt.

V. 13. Συνήγαγον. Virtus benedictionis & potentia Divina Chriſti conſpicitur, ex fragmentorum copia, ſuperante panes ac piſces, unde factum eſt initium; cognita namq; multitudine convivarum, & ſimul paucitate cibi præſentis, evidens in hoc panum ac piſcium multiplicatione, apparet Divinæ potentiæ argumentum. Et hoc eſt Argumentum confirmationis XI. ex quo probat Evangeliſta Chriſtum eſſe Meſſiam. *XI.*

V. 14. Οἱ οὖν. Senſerunt auditores & convivæ præſentes vim hujus argumenti, ſive miraculi fructum, & fatentur Chriſtum eſſe Meſſiam. Articulus græcus ὁ προφήτης ſingularem Prophetam deſignat, per Moſen prædictum, ut ſup. cap. 5: 46. Deut: 18: 15. Et Act. 7: 37. Stephanus de Chriſto hoc Moſis vaticinium, accipit, dicitq; hunc fuiſſe Angelum, qui Moſi affuit in deſerto, & fecit miracula. Communis itaq; fuit Judaica opinio & intellectus de hoc Moſis vaticinio; Et præterea Regem terrenum fore Meſſiam, quæ fuit etiam Philippi opinio ſup. c. 1: 49. Et auditorum hoc loco: itaq; tentant conſtituere ipſum Regem: ab hoc Regni terreni deſiderio, non fuerunt immunes diſcipuli Chriſti Matt: 22: 20. etiam poſt reſurrectionem, Act. 1: 6. Favor hic populi intempeſtivus, ut & cura præpoſtera diſcipulorum ac opinio Regni mundani, provenit ex male intellecto Davidis pſ. 2. 45. 110. vaticinio Danielis cap. 7: 14. & ſimilibus vaticinijs, ubi Regni Meſſiæ ſpiritualis fit mentio: tantum mali affert perverſa ſcripturarum interpretatio. Abducit hic error populum hunc à cura ſalutis & animæ, ad curam corporis & temporalium: itaq; à Chriſto reprehenduntur, inf. v. 26. Ieſus autem futura prævidens, & quia regnum ejus non erat de hoc mundo, ſubducit ſe è conſpectu populi: & diſcipulos abire jubet, nec movetur honore terreno, cum potuiſſet armare quinq; millia, ad capeſſendum regnum. Non autem eſt veriſimile, auſam fuiſſe hanc multitudinem Regem ſibi conſtituere, niſi nota habuiſſet conſilia multitudinis longe majoris, qui domi, tacite, (propter metum Herodis & Romanorum) eadem conſilia agitabant. Ceſſit autem hoc populi ſtudium Chriſto in maximam perniciem, qui poſtea regni affectati reus agebatur.

Luc. 23: 2. Et quamvis ſecederet & intentionem hanc plebis reprehenderet; tamen excuſatio ea potentibus non ſufficit, qui de ſua autoritate ſæpè cum aliorum injuria, plus nimio ſunt ſolliciti. Sic Saul offenditur laudibus Davidis, & adverſus eum odium concipit, 1. Sam. 18: 7. Confirmat ſalvator hîc ſuo exemplo, Regnum & potentiam civilem, cui omnes tenentur obedire. Rom. 13. Docetq; diſtinctam eſſe gubernationem Eccleſiaſticam à civili. *Reges gentium dominantur; &c. vos autem non ſic.* Luc. 22: 25. Ne vero populus cum diſcipulis conſilia de Regno terreno iniret, ſeparat eos à multitudine; & navigio, quod unicum in hoc littore erat, inf. v. 22. in Galilæam tranſire jubet: ut ſuſpicionem omnem Regni affectati amoveret.

V. 16. Ὡς δὲ ὀψία. Ad novi miraculi deſcriptionem properat; alijsq; miraculis ſuperadditis, idem argumentum confirmat. Et ut Marcus ait, Ieſus diſcipulos compulit, ut relicta multitudine abirent navigio in Galilæam. Unde patet placuiſſe diſcipulis conſilium populi, & invitos abijſſe, prætendentes maris pericula & noctis imminentis tenebras. Solus itaq; Chriſtus manet in loco, & noctem illam in precibus tranſigit, Orta autem tempeſtate, in media noctis caligine, turbantur diſcipuli, abſente ſcilicet Chriſto, qui tempeſtates maris ſedavit, Matt. 8: 26. verũ inſuper appropinquante in modum ſpectri, non ad conſolationem ſed ad terrorem; adeo ut præ timore clamorem attollerent: Mar. 6. Sic diſcipuli, erecti modo ſpem magnã regni terreni; in mortis pericula, & animi cruciatus maximos repente conjiciuntur; ut dejecti terenis cupiditatibus, diſcant animæ & futuræ ſalutis curam majorem agere.

V. 20. ὁ δὲ. Chriſtus in periculis & terrore maximo,

cum abesse putatur, præsens adest, & auxilium affert. Ambulat in mari, iterum ostendens se esse rerum ac naturæ dominum: non quod mare solidaret; movebatur enim flante adhuc vento: Matt. 14: 30. sed virtutem corporis sui, cum Deo uniti ostendit; neq; id solum, sed verbi sui virtute Petrum quoq; ambulantem super mare sustinet, ut credant discipuli spectrum non esse. Hoc miraculo velut imagine depingit salvator statum & vicissitudines Ecclesiæ; infirmitatem, errores, spes vanas, carnalia studia, probationes, castigationes, revocationem ad fidem, auxilia & opitulationes; utque laborantibus Deus succurrit; quæ omnia piorũ exemplis declarari possunt.

V, 21. Ἤθελον. Matthæus & Marcus dicunt receptum fuisse in navim, & quievisse ventum. Addit Johannes mox ad littus appulisse eos, quos Matthæus in medio mari fuisse indicat. Plura igitur miracula hîc concurrunt; Christus super aquis ambulat; Petrum similiter ambulantem facit, tempestatem sedat, naviculam à maris medio, in littus transponit, declarans se esse naturæ & maris dominum, ac potestatem sibi datam in cœlo & in terra: seq; prope adesse omnibus invocantibus eum: ps. 145: 17.

V. 23. Τῇ ἐπαύριον. Consequentia describit seu effecta miraculorum. 1. Miratur populus quomodo ad littus oppositum pervenerit, scilicet in Galilæam; quia cum discipulis non sit ingressus, neq; fuit in illo littore navis alia, nec tamen ipsum viderunt amplius, ab ea parte maris, ubi miraculum fecit: itaq; supervenientibus postea ex Tiberiade navigijs usi, sequuntur, Iesum, quærentes eum in Galilæa. 2. Mirantur & adorant eum discipuli, & qui cum ipsis erant in navi, videntes mirabilia quæ fecit in terra mariq; ac con-

confitentur ipſum eſſe filium Dei; Matt. 14: 33. Sicut etiam diſcipuli. Matt. 16: 16. Et Nathanael: Et cæcus, Joh. 9: 35. Notum itaq; erat tum temporis diſcipulis & fideli populo, Chriſtum eſſ filium Dei.

V. 25. Καὶ εὑρόντες. II. Pars capitis colloquium ac diſputatio Chriſti cum populo, ad Capernaum in Galilæa, ſup. v. 17. Tribus membris conſtat hæc oratio: Exordio, diſputatione ipſa, & effectis ſeu conſequentib⁹ ex hoc colloquio. Exordium occaſionem indicat, & tractanda proponit. Occaſionem præbet quæſtio Judæorum; ſentiunt enim Ieſum mirabili tranſitu perveniſſe in alteram ripam; cujus rationem ſcire deſiderant. Quos reprehendens Chriſtus, notat primo negligentiam in conſiderandis miraculis, factis ad confirmationē fidei de Meſſia: deinde ſtudium carnale rerum temporalium & ventris, quia talem Meſſiam deſiderant, qui poterit eos mundana felicitate ornare, imperio, victu abundante, rerumq; affluentia, ſine multo eorum labore: abjecta cura omni ſalutis & animæ. Sic non deſunt ſectatores Chriſtianæ fidei, ſi commoda temporalia afferat: imminente verò tentatione deficiunt plurimi. Luc. 8: 13. *Quorum Deus venter.* Phil. 3. qui *Exiſtimant quæſtum eſſe pietatem.* 1. Tim. 6: 5: Ex hoc hominum genere fuit Damas. 2. Tim. 4: 10. Et Angelus Laodicenæ Eccleſiæ, Apoc. 3: 17.

V. 27. Ἐργάζεσθε. Propoſitio: Danda eſt opera, ut ex doctrina & miraculis Chriſti eliciamus alimenta animæ, quibus fides roboratur in vitam æternam; *operamini*, id eſt, omni ſtudio contendite acquirere, non temporalia quæ pereunt, ſed æterna & duratura, quæ Filius Dei morte promeruit. *Hunc enim ſignavit Pater Deus*: hoc eſt, æterno conſilio ordinavit novi teſtamenti pontificem. Heb. 5. & 7. ut mundus ſalvetur peripſū.

V. 28. Εἶπον οὖν. Audiunt operationis mentionem; itaq; mox convertunt animum ad operum justitiam, in qua salutem collocant Pharisæi; & quærunt quibus operibus salutem mereri oporteat. Resondet salvator, & clarius eos ad fidem hortatur; hoc est, ut Deo vocanti credant, credant autem in filium; quem Deus misit, ad salutem humani generis. Hæc fides Christum Dei filiū apprehendens, cibus est animæ, quia animam ac conscientiam peccatoris, territi sententia legis atq; judicij Divini, reficit, & in spem bonam erigit. Neq; verò fides ut est opus, ex se, justificat peccatorem, sed quia Christum apprehendit: infra v. 40.

V. 30. Εἶπον. Exceptio Judæorum: viderunt Judæi signa quæ fecit Iesus, in Cana Galilææ, Ierosolymis, & in deserto: his non contenti, putant talia miracula non sufficere, ad probandum Christum esse Messiam. Deinde, si relictis traditionibus seniorum, & operibus à Mose traditis, in fide Christi salutem quærere oporteat; necesse est ut probet, Christus se majorē esse Mose, operaq; edat majora his quæ fecit Moses. Nunc Moses non solum terrena edidit miracula, sed panem de cœlo dedit eis, idq; longo tempore, annis scilicet quadraginta; Exo. 16. Aluit autem pane cœlesti virorum sexies centena millia, præter mulieres & pueros ac multitudinē servorum & peregrinorum. Exo. 12: 38. Cum Christus semel saltem una cœna quinquies mille viros paverit pane terrestri. Sententia Iudæorum est, malle se permanere in doctrina Mosis, qui cum Deo loquutus est, qui à Deo scriptam legem accepit, qui tremenda miracula edidit, qui pane cœlesti tot homines tanto tempore aluit. Itaq; cap. 9: 29. respondent: *Nos Mosi discipuli sumus. Nos scimusque Mosi loquutus est Deus: hunc autem unde sit nescimus.*

mus. Hæc objectio Iudæis ita valida visa est, ut in hodiernum usq; diem, relicto Christo, in Mose hæreant.

V. 32. Εἶπεν. Respondet Christus & evertit principium Iudæorum, qui putabant Mosen dedisse ipsis panem hunc, quē tamen non Moses, sed Deus, pater Domini Iesu Christi, eis dedit, probatur ex textu Exo. c. 16: 4. *Dixit Dominus ad Mosen: Ece faciā pluere panē de cœlo &c.* Deinde confert interse panem quem dedit Moses cum pane vero cœlesti: ille satiabat famem temporalem ventris: hic verò animam satiat salute, & vita æterna. Tertio, Man generabatur in aëre, & in terram decidit ut ros & pruina: Exo. 16: 14. Num. 11: 9. Panis autem Dei, Christus scilicet, descendit de cœlo, & passione sua abolet mortem & vitam restituit; *Mundo*, toto generi humano: nam pro omnibus mortuus est Christus. 2. Cor. 5: 15. & 19.

V. 34. Εἶπεν. Respondent Iudæi, persistunt in opinione & proposito de re terrena, petuntq; dari sibi panem tribuentem medicinam, adversus morbos & mortem: non quidem quod existiment Christum hoc præstare posse, sed illudentes, quasi vana jactet salvator. Excipit similiter adversus similitudinem de aqua viva mulier Samaritana, sup. c. 4: 15. Respondet Iesus, & expresse de se explicat allegoriam panis cœlestis; deinde ostendit animas credentium in se, ita satiari, ut neq; esuriant neq; sitiant in æternum. Est hic loquendi modus scripturis usitatus. Matt. 5: 9. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Esa. 55: 1. Non sunt itaq; accipienda verba Christi de pane nutriente corpus, sed de fide Christum apprehendente & merita ejus, quibus salutem promeruit credentibus. Hanc qui habet, per eam Christo conjunctus, spe æternæ felicitatis exul-

tat;

eat; præſentibus contentus, non eget, nec adverſis movetur ullis, ſed in vera felicitate fuitur bonis per Chriſtum acquiſitis. Pſ. 34: 11. *Divites eguerunt* &c. Sic quod v. 33. de Mundo dicit, univerſo ſcilicet húmano genere; hic fidei conditione addita, ad credentes reſtringit: infidelium enim nulla eſt participatio meriti Chriſti. Vita autem ſpiritualis inchoata in fidelibus in hac vita, continuatur per Sp. ſancti gratiam in vitam æternam: ſup. c. 4: 14.

V. 36. ἀλλ' εἶπον. Tertio, cauſam affert quare Iudæi hujus felicitatis non fiunt participes: quia ſcilicet viderunt Chriſtum Meſſiam præſentem, teſtante Iohanne Baptiſta, Deo etiam voce ſua de cœlo, miraculisq; Divina virtute editis. Illi tamen non credunt, ſed indurati oculos auresq; obturant, ad vocen Dei vocantis: cauſa itaq; damnationis in illis ipſis reſidet.

V. 37. Πᾶν ὅ. Quarto: Dat Deus, non occulto ſeu extraordinario modo, ſed per ordinaria media, prædicationem verbi, qua vocat ad ſe omnes, quos credentes ſanctificat, juſtificat & ſalvat: ſicut ſcriptum eſt, Rom. 10: 14. Et. c. 8: 29. Sic Paulus & Apollo miniſtri fuerunt, per quos crediderunt Corinthij: 1. Cor. 3: 5. Illis verò qui hæc media reſpuunt, nulla patet alia ad ſalutem via: Et ſunt *voluntariè peccantes*, de quibus Apoſtolus, Heb. 10: 26. Plura de his dicenda ſunt inf: v. 44. Venire ad Chriſtum eſt, recipere gratiam oblatam per verbum, vel nõ repugnare, & repellere verbum prædicatum: ſicut Iudæi Antiocheni; Act. 13: 49. Et qui *dilectionem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent*. 2. Theſ. 2: 10. ſup. c. 1: 11. *Quotquot* (autem) *ipſum receperunt, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Venientes autem ad ſe non ejicit: ſcilicet, ne quis putet ſe, abſoluto Dei decreto, à ſalute eſſe

reje-

rejectum; patet enim gratia Dei omnibus recipientibus e-um. 1. Tim. 2: 4. & sup. c. 1: 12.

V. 38. ὅτι καταβέβηκα. Ratio additur à fine incarnationis & missionis suæ. Non ideo venit, in mundum, ut carnali gloriæ cupiditate permotus, Regnum terrenum instauret, ad mundanam felicitatem: hoc enim nec intendit missione & decerto suo pater, nec officium messiæ id requirit. Deinde, ab absurdo: sic namq; voluntas filij alia esset à voluntate patris. Tertio Filij eadem est voluntas cum Patre, quam ut efficiat, ideo descendit de cœlo, scilicet, ut salvetur mundus per ipsum. sup. 3: 17.

V. 39. Τȣ̃το δὲ. Nunc quæ sit voluntas Patris explicat dupliciter: 1. voluntas patris est, ut credentes in se, liberet à damnatione & interitu, quod prestitit Christus morte, passione, satisfaciendo & tollendo peccata mundi; superando mortem, diabolum & infernum: unde victor extremum hostem, mortem scilicet abolebit in novissimo die, & excitabit ad vitam omnes fideles, 1. cor. 15: 26. 2. ut videntes Christum, hoc est, intelligentes gratiam nobis oblatam in Christo, eamq; acceptantes puro & simplici corde: ac deinde credentes, hoc est, his Christi meritis plena fiducia inhærentes, ad vitam æternam resuscitet, ut æterna cum ipso felicitate fruantur, erepti ex faucibus Diaboli, terrore mortis, & omni violentia ac seductione impiorum. Sæpius inculcat, resuscitationem ex mortuis: ad consolationem piorum, ad terrorem verò impijs: sicut Paulus Felicem Romanum terret judicij futuri mentione, Act. 24: 25. Totum itaq; salutis nostræ negotiũ salvator hîc descripsit. 1. decretum & voluntatem Patris. 2. ordinationem filij ad ejus exequutionem, 3. virtutem ejus vivificam. 4. organũ

M ap-

applicationis quoad nos; fidem videlicet: (cujus gradus ſunt primo hiſtoricè credere, deinde Chriſtum recipere, tertio in ipſum plena fiducia confidere.) 5. Finem fidei liberationem à morte. 6 glorificationem fidelium & cauſam dammationis impiorum.

V. 41. ἐγόγγυζον. Altera exceptio Judæorum, qua contra aſſertionem Chriſti, negant ipſum de cœlo deſcendiſſe, idque cũ murmure, provocantes ad auditores, & ad ſe mutuo, quaſi de re manifeſte falſa, & incredibili, quod de carne ſua vivifica, & de cœleſti origine eſt loquutus; quem ſermonem cum continuaſſet ad finem hujus capitis, à diſcipulis deſeritur, & cap. 8. penè fuiſſet à Iudæis lapidibus obrutus.

V. 42. Καὶ ἔλεγον. Rationem hujus ſuæ dubitationis afferunt, ex communi ſenſu; quia cum ſit genus notum omnibus, & parentes cogniti, in vicinia ſcilicet habitantes: non poteſt cœleſtem habere originem, nec de cœlo deſcendiſſe, terrenum habens ortum, more omnium hominum. Hic probè intelligunt Iudæi verba Chriſti, de pane cœleſti, Chriſtum ſcilicet deſcendiſſe de cœlo, adverſus quæ tanta cum vehementia excipiunt; explicationem tamen ulteriorem non quærunt, ſicut Nicodemus, ſup. c. 3. ſed tenebras amant & ignorantiam. Prædixit David pſ. 2. filium Dei fore Meſſiam. & pſ. 110. Meſſiam ut dominum adorat, eiq; ad dexteram Dei exaltato, imperium in omnes inimicos tribuit, paſſionem etiã prædicit: ſicut hac quæſtione Chriſtus Iudæos exercuit, Matt. 22. Oſtendens Meſſiam Deum eſſe & hominem. Hæc quia ignorare malunt increduli, quam à Chriſto diſcere, itaq; in cæcitate & rerum temporalium ſtudio pereunt.

V. 43. Ἀπεκρίθη. Reſponſio Chriſti: Et 1. compeſcit

mur-

murmur eorum, ostendens frustra, eos murmurare in re in cognita. 2. veræ scientiæ & fidei originem deducit, non ex viribus humanæ industriæ, aut arbitrij humani; sed ex misericordia Dei. Rom. 9:16. qui aperit nobis voluntatem suam verbo revelato, cui attendere oportuit Iudæos, & credere, 2. Pet. 1:19. *Fides enim ex auditu est, auditus autem per verbum*: Rom. 10:17. conqueritur autem Esa. c. 53:1. *Quis credit auditui nostro?* Verbum Divinum operatur fidem, virtute Sp. sancti, qui verbo ad est, in his qui obediunt, & se verbo non opponunt, ut hoc loco Iudæi, qui inobedientia ac contumacia impediti, Sp. sancti operationem non admittunt: itaq; cœlestis pater eos non trahit. Alia autem media per quæ ad fidem deducamur, ordinata non sunt. Sic ex gratia Dei pendet illuminatio, conversio, & sanctificatio nostra: Donum Dei est, Eph. 2. Et Thessalonicenses θεοδίδακτοι dicuntur. 1. Thes. 4:9. & 21. perditio à contumacia cæcitate & negligentia hominum, juxta illud *Oseæ* 13. 9. *Perditio tua ex te Israel, ex me tantummodo salus. Et Rom.* 10:16: *Non omnes obediunt Evangelio.*

V. 45. ἔστι. Confirmat supradicta testimonio Prophetico. Esa. 54:13. *Erunt omnes docti à Deo.* intellige in his quæ spectant ad salutem & conversionem, ac *Sapientiam, quam nemo principum hujus seculi cognovit:* 1. cor. 2:8. Huc adde vaticinium Jer. 31:33. *Dabo legem meam in corda eorum, & in mentibus eorum scribam eam: &c.* Ostendit verò non satis esse audire: sed audire & discere: quod non faciunt qui resistunt Evangelio; itaq; ad Christum non veniunt. Discere vero oportet non intelligendo solum, sed assentiendo ac obediendo: ut dictum est. Hunc assensum Sp. sanctus operatur per verbum, sicut per verbum Pauli aperuit cor Lydiæ ut attenderet: Act. 16:14. Ille est qui operatur in nobis velle & perficere, phil. 2:13.

V. 46. οὐχ ὅτι. Occupatio qua rejicit objectionem carnalium hominum, ne putent ſe Deum Patrem carnalibus oculis viſuros, & loquentem ſibi auribus ſuis audituros; ſicut expetit Philippus infra, c. 14: 8. Sed qui cupit videre Patrem, audiat filium, in quo eſt & loquitur Pater; ibidem v. 9. & ſup. c. 1: 18. Solus enim Filius vidit Patrem, & eſt conſcius decreti & conſilj æterni, de redemptione generis humani: hic propoſitus eſt mediator Dei & hominum, ut omnes credentes in eum ſalutem conſequantur per nomen ejus. Sup. c. 3: 16. 1. Tim. 2: 5.

V. 47. Ἀμὴν. Concludit hanc diſputationem epiphonemate, & claris verbis indicat quid per manducationem panis cœleſtis intelligat: videlicet, fidem in Chriſtum. ſicut ſupra. v. 35.

V. 48. Ἐγὼ. Poſtquam reſpondit Chriſtus ad exceptiones Judæorum: nunc redit ad diſſertationem ſuperius habitam, de pane cœleſti, & repetit propoſitionem ſupra-poſitam v. 27. Deinde collationem inſtituit inter Man, patribus datum in deſerto, quod vitam non dedit: omnes enim mortui ſunt, & multi in peccatis ſuis perierunt; ſicut Core, cum familia & factione tota, nec potuit Man ſalvare eos. vide de his iudicium Pauli 1. cor. 10. Hic verò panis; Chriſtus ſcilicet, filius Dei, qui non in aëre generatus ut Man; ſed ex ſinu æterni patris ad nos prodijt, efficacia paſſionis ſuæ vitã peperit & ſalutẽ credentibus in ſe: non temporalem ſed æternam. Docet itaq; primò ſe eſſe panem vitæ continentem virtutem vivificandi. 2. habere originem cœleſtem; hoc eſt, eſſe filium Dei, æternum Deum. 3. Hominem eſſe, & moriturum pro peccatis mundi. 4. Mortem quam in propria carne perferet, ſalutarem eſſe, &

me-

meritoriam vitæ æternæ; qnia eſt caro filij Dei: Deo perſonaliter unita. *Morior, inquit pro omnibus, ut per meipſum omnes vivificem.* ait Cyrilus in hunc locum. Nam ex unione perſonali cum Deo, caro Chriſti hanc virtutem acquiſivit.

V. 52. ἐμάχοντο. Pugna & diſceptatio ex hoc ſermone Chriſti oritur, probantibus alijs hanc orationem; alijs improbantibus hunc eſum carnis, & ſanguinis bibitionem, quaſi ferinā & cyclopicam, à qua humanus ſenſus abhorret.

V. 53. Ἀμὴν. Chriſtus itaq; expreſſius ſententias ſupradictas iterat, ut ipſis videtur, durioribꝰ verbis; addita juramenti aſſeveratione: oſtendens neceſſariam eſſe hanc manducationem ad ſalutem, ac ſine ea neminem ſalvari. 2. manducantibus afferre utilitatem inſignem, vitam ſcilicet æternam. 3. Hunc cibum præ omni cibo alio eſſe expetibilem, ob ſalutem animæ quam parit. Quia unit nos cum Chriſto & facit eum in nobis habitare: ſicut explicat ſalvator clarius: inf. c. 17: 21.

V 57. Καθώς. 4. Unde ſit vis illa vivifica in carne ſua declarat. Principium vitæ & omnis bratitudinis eſt in Patre; hanc per æternam generationem communicat filio: ipſe à Patre miſſus, carni aſſumptæ virtutem hanc communicat; ut quod habet Divinitas per naturam, id habeat caro τοῦ λόγου per communicationem: vim vivicandi ad vitam æternam credentes in ſe. Sic ſalvator calumnias torquentium dicta ſua in perverſum ſenſum, nil moratus; urget eadem valide, oſtedens ſe vana non loqui; ſed talia quæ ſalutem hominum æternam concernunt. Mirabitur verò aliquis cur hac allegoria continuata, ipſos alioqui ſatis offenſos ſalvator perturbet? Facit id abſq; dubio, ut rei difficul-

tate ſtudium diſcendi in ipſis excitet; ut ex animo explicationem clariorem, & cum deſiderio petant: quale habuimus exemplum in Nicodemo. Joh. 3. Et in diſcipulis; Luc. 8: 9. Ubi etiam cauſam reddit, quare ad quosdam parabolis utatur.

V. 58. ὅυτ☧. Concluſio hujus diſputationis, in qua ſummatim repetit ſupradicta: & opponit objectioni Iudæorum, qua Moſen Chriſto peferebant. Ipſe verò contra docet Man & miracula Moſis, vitam non attuliſſe nec præſtare potuiſſe: Chriſtum autem fidelibus miniſtrare vitam & ſalutem æternam. Hinc etiam deduci poteſt oollatio inter Legem & Evangelium: qualem inſtituit Apoſtolus, 2. cor. 3. & Gal. 4. Inter miniſterium Moſis ſeu veteris teſtamenti; & miniſterium novi teſtamenti. Notanda eſt hoc loco differentia inter manducationem mere ſpiritualem, & ſacramentalem; propter Sacramentarios, qui ex hoc loco deſumunt explicationem Sacramenti cœnæ, ut probent ſolos credentes corpus & ſangvinem Domini in cæna percipere; ſicut ſalvator boc loco de ſola fidei manducatione corporis & ſangvinis agit. v. 35. & 47. ut dictum eſt. Differt enim manducatio ab illa inſtitutione cœnæ; 1. tempore: quia hæc diſputatio habita eſt cum adverſtrijs Iudæis in Capernaum, inf. v. 59. anno præcedente paſſionem, cum ſacra cœna nondum erat inſtituta; ſed demum anno quarto miniſterij Chriſti inſtituitur Ieroſolymis, in cœtu fidelium diſcipulorum. Hoc igitur loco de re ignota fuiſſet loquutus, cum adverſarijs irriſoribus. Deinde, nulla hîc elementa adhibentur, ut in cœna: nam quod panis mentionem facit, hoc faciat in typo, ex oblata à Iudæis occaſione de pane cœleſti: docetq; totam actionem, de qua hîc agit,

fie abſolvi. In cœna verò panem & vinum ſimul ore percipere præcipit, cum corpore & ſangvine ſuo. Tertio: manducationis, quæ hoc loco deſcribitur, carnis Chriſti ac beneficiorum ejus, ſoli credentes fiunt participes; & omnibus eſt ſalutaris. In ſacramentali digni & indigni corpus & ſangvinẽ Chriſti percipiunt; illi ad ſalutem, hi ad judiciũ, & condemnationẽ. Ratio eſt, ex unione corporis & ſangvinis Chriſti cũ ſymbolis: quæ non dependet ex fide, dignitate aut indignitate utentis; ſed ex verbo inſtituentis; nec unio ſacramentalis elementorũ cũ re ſacramẽti diſſolvitur, per incredulitatẽ utentis. Quarto, perceptio carnis & ſãgvinis Chriſti, de qua hic agitur, nullo non loco & tempore fieri poteſt: ſacramentalis ſolũ poſt factam inſtitutionem, & in congreſſibus fidelium; quales etiam fiunt cum ægrotis ſacra cœna miniſtratur: Ex rationibus jam dictis refellitur papiſtarum delirium & impoſtura, qui ex ſola panis mentione, non etiam vini in hoc loco, inferunt ſufficere, ſi laicis panis in cœna diſtribuatur ſine calice. Nam hoc loco de cœna non agitur, & probatio deſumenda erat ex verbis inſtitutionis, à tribus Evangeliſtis & Paulo luculenter deſcriptis; ubi genuina eſt ſedes doctrinæ de hoc myſterio.

V. 60. Πόλλοι. III. Pars in qua duplicem effectum hujus concionis deſcribit, & quidem apud diſcipulos Chriſti, quorum plurimi Chriſtum ſectati ſunt, propter ſpem regni terreni; quibus magnopere placuit ſtudium populi, cupientis Chriſtum in deſerto regem creare. Verum deducente ipſo intellectum verborum ſuorum ad ſenſum ſpiritualem & ad fidem, qua in Chriſtum creditur; ipſi ſpe ſua fruſtrati, occaſionem defectionis arripiunt ex literali verborum ſenſu, hypocriſin diu latentem produnt, & Caper-

nai

naitarũ ſententiæ ſe adjungunt: verba Chriſti torquentes ad ſenſum carnalem, de Cyclopico carnis eſu & cruoris hauſtu; ac de duro Chriſti ſermone conqueruntur. Studium hoc rapiendi verba alterius in alium ſenſum, plurimas ſemper lites excitavit inter partes diſſidentes. Chriſtus verò apud ſemetipſum intelligens murmur eorum, ſcientia ſcilicet Divina, ſicut indicavit Evangeliſta ſup. c. 2: 24. qua ut Deus, cogitationes omnium novit.

V. 62. Ἐὰν οὖν. Quia putant increduli, Chriſtum impoſſibilia ſibi tribuere, deſcenſum de cœlo, vivificationem ac virtutem carnis ſuæ: exemplum ipſis proponit futuræ aſcenſionis in cœlum, quæ diſcipulis & magna multitudine fidelium inſpiciente contigit: qua ſalvator, ut & reſurrectione à mortuis, miſſione quoq; Sp. ſancti, veritatem verborum ſuorũ comprobavit. Quid de hoc Chriſti aſcenſu & deſcenſu ſit ſentiendum, ſupra dictum eſt; cap. 3: 13.

V. 63. Τὸ πνεῦμα. Spiritus in hoc dicto denotat ſenſum ſpiritualem, qui ex verbis Chriſti ſecundum ductum Sp. ſancti & ex fide Chriſti provenit: caro ſenſum carnalem hominis animalis, non illuminati gratia Sp. ſancti: ſicut Apoſtolus explicat; Rom. 8: 5. & 1. cor. 2: 14. *Caro non prodeſt, hoc eſt, carnaliter ea exponere nil prodeſt; ſed offendiculi occaſio fit.* ait Theophylactus in hunc locum. Verba Chriſti ſpiritus ſunt & vita, hoc eſt, doctrina ſpiritualiter ſeu de rebus ſpiritualibus informans fidem, ad vitam æternam. Hæc eſt Petri explicatio inf. v. 68. Pudeat itaq; zuinglium, qui ex his verbis concludit, carnem Chriſti in S. cœna nihil prodeſſe:

V. 64. Ἀλλ᾽. Deinde palam oſtendit incredulitatem eſſe cauſam hujus ignorantiæ: cæci enim ſunt omnes, in

rebus

rebus ad salutem spectantibus dum carent fide, Et; *accedentem ad Deum oportet credere.* Heb. 11. Ideo revocat eos salvator ad supradicta, scilicet, v. 44. unde etiam petatur explicatio.

V. 66. Ἐκ τούτου. Finalem perseverantiam in incredulitate, sequitur defectio & amissio gratiæ ac Sp. sancti: itaq; orat psalmista: Spiritum sanctũ tuum ne auferas à me. ps. 51.

V. 67. Εἶπεν. Alter effectus concionis Christi, scilicet apud fideles. Apostoli requisiti, ut de his Christi verbis sententiam dicant: simplici fide fatentur, Christi conciones esse verba informantia eos ad vitam æternam; & Christum esse filium Dei salvatorem mundi. Miratur autem salvator malitiam hominum & potentiam Diaboli, quod cum ex omni discipulorum numero, duodecim elegerit Apostolos, quorum opera præcipue uti constituit in prædicando evangelio: attamen ex hoc paucorum ac precipuorum numero unum decepit Satanas, ut non solum à fide deficeret, sed insuper ministrũ & organon se præbeat Diabolo ad prodendum impijs salvatorem. Hæc de Iuda proditore vaticinatus Salvator, studuit ipsum ab impietate revocare, sicut etiam inf. cap. 13: 18. cap. 17: 12. Et Paulo ante passionem, in convivio ultimæ cænæ expresse & nominatim; Matt. 26: 24. qui tamen toties admonitus, diaboli laqueo implicatus in impietate perseveravit: & impletum est vaticinium Davidis: ps. 41: 10. 55: 13. & ps. 109.

CAP. VII.

Tres sunt partes hujus capitis: in prima descibitur consilium propinquorum Christi, suadentium ut Ierosolymis se manifestum faciat: cum responsione Christi, qua

causam reddit moræ & conversationis in Galilæa. In secunda parte, quæ Ierosolymis gesta sunt Evangelista commemorat. Tertio eventum colloquij & auditorum varia judicia, consilium quoq; inimicorum & conspirationem in necem Christi; & ut manus eorum hac vice effugerit.

V. 1. Καὶ περιεπάτει. Cum multo jam tempore in Galilæa & vicinis regionibus conversaretur Iesus: propter insidias Hierosolymitanorum, volentium eum è medio tollere: nunc ascendit ad festũ tabernaculorum, quod in lege præcipitur, Lev. 23: 33. Num. 19: 12. Et octo diebus celebrabatur, mense scilicet Semptembri. Institutum erat, ut gratiæ Deo agerentur pro conservatis & collectis frugibus: habitabant in tentorijs propter memoriam peregrinationis in deserto; cum in tentorijs totis quadraginta annis habitantes, pane cœlesti nutriebantur. Visa fuit salvatoris Christi mora in Galilæa, regione scilicet obscura, justo longior; illi præcipue qui pro Messia se gerebat: itaq; Ierosolymam ire convenit, & in frequentia hominum, ac principum populi miracula facere; sine quorum approbatione haud quaquã pro Messia recipietur. Fratres Iudaico more dicebantur in consangvinitate proximi. Argumenta addunt: faciendos esse discipulos, ex primoribus gentis, ut procedat negocium, deinde reprehendunt conversationẽ ejus diuturnã, loco obscuro: cum velit mundo notus fieri.

V. 5. Οὐδὲ. Consilium non ex fide profectum fuisse, Evangelista indicat, itaq; carnale erat, ambitiosum, neq; ex caritate: cupiebant ipsum propinqui, aut Regem, ut ad ipsos aliquid gloriæ humanæ pertingeret; aut in pericula conjectum & è medio sublatum; ut finem videre liceat hujus comœdiæ. Non enim est dubium crebris inimicorum

rum

rum illusionibus expositos fuisse, propter nomen Messiæ affectatum à Christo cognato. Sic Diabolus humanæ salutis hostis, quod per seipsum tentatione perficere non potuit: Matt. 4. id per consangvineos Christi moliebatur.

V. 6. Λέγει. Respondet Christus, aliam esse ipsis opportunitatem temporis, aliã sibi: illi cum habeant eadem cum mundo studia, & de Messia ac cultu Divino sententiam unam; tutior est eorum cum Iudæis conversatio, cum quibus idem sentiunt. Deinde causam odij quo adversus ipsum feruntur exponit, sicut coram Nicodemo: sup. c. 3: 23. quia cum sint opera eorum mala, ideoq; à Christo reprehenduntur, & excitatur odiũ ac ulsciscendi studiũ. Tertio quia tempus passionis ejus non dum venit, ut sit necesse, se in manifestum discrimen conjicere; ipsos verò ut ascendant hortatur, qui id sine periculo præstare possunt. Quãvis enim insolens & acerba sit fratrum exprobratio: placida tamen responsione, ipsos salvator dignatus est: omnibusq; Christianis ac Ecclesiæ ministris humanitatis ac modestiæ exemplum præbet. Hoc malum omnibus ferè innatum est, ut ex religionis cultu vel inamen gloriam, vel alia mundana commoda quærant; sicut discipuli: Matt. 20: 20. Luc. 22: 24. Superanda est ista cupiditas precibus, ac spe futuræ gloriæ,& contemptu rerum mundanarum.

V 10. Ὡς δὲ. II. pars cap. in qua, quæ Ierosolymis in festo gesta sunt, Evangelista describit. Post fratres Dominus ascendit: & hoc in occulto: Iudæi autem inimici, cum viderent ipsum cum fratribus non adesse, libere de ipso magis inter se loquuntur; cum putarent ipsum metu ac pudore ab incepto retrahi. Quærebant ipsum magis, quem tamen fratres significant ad festum non velle ascendere:

cujus nomen exprimere præ odio & contemptu non possunt; ut inde pateat, quanta adversus ipsum ira commoti sint. Sentiunt autem diversa de ipso sentire multitudinem: probantibus alijs doctrinam ejus, alijs rejicientibus: nec desunt ex præcipuis qui faveant, ut patet in fine capitis.

V. 13. ὀυδεὶς. Et quamvis multi crederent in eum etiam ex principibus; ut docet Evangelista inf. c. 12: 42. tamen non fuerunt ausi palam patrocinium ejus suscipere, propter potentiam prævalentis partis adversæ; ne ex synagoga excommunicati ejicerentur.

V. 14. Ἤδη δὲ. Ascendit verò Iesus demum peracta festi parte media: sine dubio huc usq; se occultans, ut data Iudæis occasione liberius de se conferendi sermones, pateretq; fidelibus, haud contemnendum esse credentium numerum, qui sibi faveant. Ac quamvis pars maxima insidiaretur vitæ ejus; inf. v. 25. tamen in templum prodit, ac palam docet in multitudine: ostendens se, non metu mortis retrahi ab officio.

XII. V. 15. καὶ ἐθαύμαζον. Deducitur ex his verbis XII. Argumentum confirmationis quo probatur Christũ esse Messiam, ab eccellentia doctrinæ & scientia mirabili: quod continuatur in sequentibus; & in fine capitis approbatur à ministris templi & Nicodemo. Prædixit Esa. c. 50: 4. *Dedit mihi Dominus lingvam eruditam.* Luc. 4: 22. *Mirabantur omnes in verbis gratiæ quæ procedebant ex ore ejus.* Et quamvis Christi doctrinam Judæi contemnerent, tamen conscientias eorum concutit docendi in Christo mira dexteritas: cum humano more disciplina literarum non sit informatus. Locus insignis doctrinæ, exemplo ostendens quomodo Deus cor peccatoris, verbo & Spiritus sancti operatione pulset:

quod

quod autem in his impijs non ſequatur ſalutaris effectus, cauſa eſt, quia operationi Sp. ſancti reſiſtunt, & in contumacia perdurant, rejicientes ſalutis media: ſicut Matt. 12. Chriſtus explicat.

V. 16. Ἀπεκρίθη. Confirmatio argumenti, à cauſa hujus ſcietiæ, Deo ſcilicet autore, qui in filio loquitur. Deut. 18: 18. *Ponā verba mea ore ejus, & loquetur ad eos omnia* quæ præcipio illi: &c. *Labia tua decora*, pſ. 45: 3. Ergo doctrina Chriſti non eſt humana, ſed nata ex Deo, & humanæ naturæ per unionis gratiam communicata: ſecundum prædictiones prophetarum; Moſis, Eſaiæ & Davidis. *Non eſt mea*; ſcilicet, ex ambitione & temeritate humana profecta, ut putant Iudæi: qualis eſt Phariſæorum, ex traditionibus ſeniorum & hodierna papiſtarum, de quibus Chriſtus, Matt. 15: 13. *Omnis plantatio quā non plantavit pater meus cæleſtis eradicabitur.* Qualis etiam ſeductorum: Act. 5: 38. Conferatur etiam quæſtio qua Chriſtus Phariſæos urget: Matt. 21: 24. de baptiſmo Iohannis. 2. Ratio confirmationis deſumitur, à miſſione ſeu vocatione Chriſti immediata, à Patre cœleſti, ſatis probata ſuperius; Ex teſtificatione Baptiſtæ, voce patris loquentis de cœlo, miraculis & doctrina. *Nemo enim ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo, ut Aaron.* Heb. 5: 4.

V. 17. ἐάν τις. 3. probatio, ab energia & efficacia & virtute doctinæ Chriſti, in his qui non repugnant, ſed o- obediunt vocationi. Deprehenditur ea, 1. conferendo doctrinam cum vaticinijs & revelationibus ſcripturarum: Exemplo Berœenſium: act. 17: 11. 2. ab efficacia Spiritus, operantis virtutes & χαρίσματα in converſis; inf. v. 38. His addantur illuſtria dona miraculorum & linguarum,

quibus credentes Dominus ornavit in primitiva Ecclesia; juxta promissionem: Mar. 16. 17. Hinc tertia nota desumitur: Si enim officij exequutio omnia dirigit ad gloriam propriam, tales à Deo non sunt missi, sed à se ipsis loquuntur, & sunt mendaces: contra, qui omnia dirigit ad Dei gloriam, & hanc unicè quærit, verax est ac justus. κριτήρια hæc sunt, & notæ infallibiles, quibus probatur veritas vocationis & doctrinæ Christi: clara illa quidem & manifesta, ex vaticinijs veteris testamenti, & novi testamenti historia; sic esse gesta omnia, juxta prædictiones Prophetarum. Clara hæc sunt his qui faciunt voluntatem Dei: hoc est, qui credunt in filium; sup. v. 40. Qui verò scripturas veteris aut novi testamenti rejiciunt, fidem in Christum & salutis media contemnunt, malis operibus delectantur, tenebras luci præferunt, *his non erit matutina lux. Esa. 8: 20. nec Lucifer orietur in cordibus eorum. 2. pet.* 1: 19. Ad has regulas exigenda est etiam hodie doctrina & officium ministrorum Ecclesiæ: 1. Doctrinæ excellentia à Deo sit, revelata per Christum, Apostolos & Prophetas, quo etiam Petrus provocat. 2. pet. 1: 16. & 19. Nec aliud Evangelium prædicare licet, Gal. 1: 8. 2. Sit vocatio ministrorum legitima, si non immediata, at mediata, ordine Divinitus instituto; non per ambitionem, aut artibus illicitis. 3. Tertio, vocati Deo obtemperent, ejus gloriam ante omnia quærant, non suam: non sibi placentes, nec cupiditatibus servientes mundana sectentur: Deo, non hominum libidini serviant: sicut Christus sup. c. 5: 30.

V. 19. ὁ Μωσῆς. Secunda pars colloquij in templo habiti; confutatio; in qua reprehendit cruentum consilium Judæorum, qui ex pio Christi facto, cum langvidum in Bethes-

thesda ſanaret, ipſum ad necem condemnant. Propoſitio hujus extat v.24: Ubi ſimul, ex regulis ſuprapoſitis, oſtendit doctrinam eorum de obſervatione legis eſſe falſam. 1. Ratio quia de legis juſtitia gloriantur & traditionibus Moſis, nemo tamen eorum ſervat legem. Probationem hujus rationis deſumit ex cruento eorum propoſitio interficiendi Chriſtum, hominem in nocentem, à Deo miſſum: contra mandatum quintum decalogi. Iam violato mandato uno, legem Dei violarunt, & ſunt ſub maledictione; juxta illud, Gal. 3: 10. Deut. 27: 26. *Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea. Et Iac. 2: 10. Qui offendit in uno factus eſt omnium reus.*

V. 20. Ἀπεκρίθη. Notum erat Chriſto hoc Iudæorum conſilium, cum eſſet in Galilæa, ſup. v. 1. non potuit enim eſſe incognitũ quicquam Deo. Et quia notũ erat populo Ieroſolymitano; inf. v. 25. Negant tamen Iudæi; & hoc indicium Chriſti impudenter explodunt, velut hominis à furijs & malo ſpiritu agitati. Antea ſiquidem hanc famã de Chriſto ſparſerant, ipſum ope principis Diabolorum miracula facere: Matt. 12. Et infra cap. 8. idipſum repetunt. Et cap. 10: 20. *Dæmonium habet & inſanit quid eum auditis?* Plura de corruptione legis Phariſaica petantur ex Matth. c. 5. 12: 2. 23. Mar. 7: 8.

V. 22. Ἀπεκρίθη. 2. Ratio, qua exemplo recenti probat corruptelam circa tertium decalogi præceptum; capitale judicant peccatum & mortis ſupplicio dignum, ſi quis ægrotum hominem ſanum faciat in Sabbatho, ſup. c. 5: 16. quem Phariſæorum errorem Chriſtus refutavit exemplis clariſſimis: Mat. 12: 3. 5. 8. & 11. Luc. 13: 15 Et hoc loco; ſicut Matt. 12: 5. docet circumciſionem fieri in Sabbatho, ſine

vio-

violatione tertij præcepti. Itaq; sic ratiocinatur: Si actio circumcisionis cum minimi membri vulneratione, Sabbathum non violat; ergo multo minus actio Christi, qui totum hominem sanum fecit; quæ est explicatio Theophylacti. Ex patribus dicit esse circumcisionem: Abrahamo enim data fuit lex de circumcione, Ge. 17. Unde concludit, judicium eorum non esse ex fundamento & vero sensu legis sed secundum quandam speciem aut apparentiam fallacem: ideoq; iniquum.

V. 25. ἔλεγον. Nunc populi judicium de Christo describit; Et. 1. mirantur, quod hic libere permittant principes docere eum, quem ad necem antea quærebant; unde suspicantur mutasse sententiam Pontifices, & ex evidenti aliqua probatione nunc intellexisse ipsum esse Messiam. Sed neq; id fieri posse existimant, opinio enim erat quorundam sciri non posse unde veniet Christus: notum vero esse unde sit hic, ubi educatus & ex quibus parentibus. sup. c. 6: 42. 7: 27. Sic illo jam tempore, ceperunt spargi in multitudinem fabulæ de Messia & de Iesu Nazareno, quæ postea in im̄ensum auctæ, nunc circumferuntur à Iudæis: inventum Diaboli, ad turbandum & evacuandum redemptionis nostræ negocium, & dubiam faciendi fidem de Christo redemptore. Opponenda sunt autem clarissima scripturæ dicta De semine mulieris, de semine Abraham, Gen. 12. Davidis 2. Sam. 7. de partu virginis, Esa. 7. Prophetia Danielis, de tempore: c. 9: 24. De Bethlehem loco nativitatis. Micheæ 5: 2: Matt. 2: 5. inf. v. 42.

V. 28. ἔκραξεν. Tertia pars concionis Christi, habitæ Ierosolymis; qua corrigit sententiam Iudæorum de notitia Christi: qui terrenam ejus originem solum considerantes,

tes, cæleſtem miſſionem & originem negant. *A* meipſo non veni, ſicut Theudas & Iudas, & ſimiles; act. 5. fures ſcilicet & latrones: inf. c. 10: 8. qui gloriam & potentiam mundanam quærentes, à Deo non miſſi erant: itaq; perierunt. Me autem miſit pater cœleſtis, qui verax eſt, & fallere neſcit. Hanc ſuam miſſionem miraculis probavit, ſup. c. 5: 36. *Quem vos neſcitis*. Judæos accuſat, quia conſilium Dei de ſalute ac redemptione hominum neſciunt, ſed detorquent ad terreni regni inſtaurationem.

V. 29. ἐγὼ δὲ. Chriſtus autem hoc novit, qui habet à patre eſſentiam, & ab ipſo miſſus eſt: à quo hanc ſcientiam petere ac diſcere oportuit Iudæos. *Nemo enim novit Patrem niſi filius, & cui voluerit filius revelare*, Matt. 11: 27.

V. 30. Ἐζήτουν. Variè affecti fuerunt auditores Ieroſolymitani ex hoc ſermone Chriſti. Phariſæi & principes eum comprehendere cupiunt; non fuit vero oblata occaſio commoda, intercedente populo & credentium turba, permota doctrina & miraculis ejus. *Non dum venit hora*, ſcilicet, à Deo deſtinata paſſioni Chriſti, qui ipſum ſubſequente paſchate offerri voluit, Novi ſcilicet teſtamenti ſacrificium, pro peccatis mundi. Heb. 9. Varia igitur impedimenta Deus obiecit, ne ipſum ante tempus à Deo deſtinatum comprehendere potuerint. Phariſæi autem & principes qui ex doctrina legis & operum quæſtum ingentē captabant & comederunt domos viduarum, Matt. 23: 14. Omnia ad lucrum dirigebant; patet ex Iaſone fratre Oniæ, qui pontificatum ab Antiocho mercatus eſt ingenti ſumma. 2. Macc. 4: 8. Menelaus majore, ibidem v. 24. Quæſtus hujus jacturam metuentes, conſilium capiunt comprehendendi Chriſtum, & apparitores in ipſum expediunt; irri totamē conatu.

V. 33. Εἶπεν. Quarta pars ſermonis Chriſti, exhortatio, qua monet Iudæos ut obſervantes gratiam Dei, agnoſcant tempus viſitationis ſuæ; ſicut in ingreſſu monuit Luc. 19: 41. Primo quia brevi tempore manſurus eſt cum illis; itaq; ambulandum erat in luce, ne tenebræ illos comprehendant: inf. c. 12: 35 deinde quia vadit ad patrem unde venit, & deſeret mundum, ſecundum externam converſationem. inf. c. 16: 28. Tertio, vaticinatur de deſertione gentis Iudaicæ, propter impietatem & ingratitudinem, quia gratiam Dei oblatam non recipiunt: *auferetur enim ab eis Regnum Dei*: Matt. 21: 43. hoc eſt prædicatio Evangelij. act 13: 41. Quarto, peribunt in æternum, nec poterunt in ſua fide aut per legis opera ſalvari.

V. 35. Εἶπον. Quantumvis Iudæi contemnant Chriſtum & ſermones ejus; moventur tamen exhortatione, & de verborum ſenſu inter ſe conferunt: præſagiente animo de his quæ poſtea contigerunt. Miſit enim Evangelium gentibus & à Iudæis receſſit. Act. 13: 46 Rom. 11: 7.

V. 37. ἐνδὲ. Quinta pars ſermonis Chriſti habita ultimo die feſti, qui ſicut primus majore feſtivitate quã cœteri peragebatur. Lev 23: 36. Ordinata erant in atrijs templi & porticibus ſubſellia & cathedræ, ubi docentes ſedebant: Ieſus autem ſurgens ſtabat, & ſublata altius voce, ut omnes exaudiant, multitudinem hortatur, ut ſi quis deſiderio ſalutis æternæ fertur, ad ipſum veniat, & hauriat ſapientiam ſalutiferam, ſeq; præbeat informandum.

V. 38. ὁ πιστεύων. Fidem requirit, cujus ſalutarem operationem docet eſſe in donis ſpiritualibus, non ſolum communibus, quibus omnes fideles ornat, ſpei, dilectionis, gaudij ſpiritualis, fortitudinis patientiæ: ſed inſuper lingva-

rum

rum & miraculorum, ad confirmationem doctrinæ, sicut in die pentecostes. Actor. 2: 16. ex explicatione Petri secundum vaticinium Ioelis, 2: 28. 3: 18. Esa. 44: 3. ps. 87: 6. Flumina quæ dicit, operatio est doctrinæ & miraculorum, quæ salutari progressu emanavit in omnem terram, quæ totum mundũ rigavit; explicante Evangelista. Hac gravi ac sonora exhortatione salvator serio ad se vocat omnes, & à se removet formidinis opinionẽ, qua ipsum fratres gravabant: in illustri loco & frequentia hominum, ad eximendam cujusq; excusationem, nequis de ignorantia voluntatis Divinæ juste conqueri possit. Itaq; coram Anna pontifice palam se in templo & Synagogis docuisse protestatur, non in occulto. inf. c. 28: 10.

V. 40. Πολλοὶ. III. pars, in qua mirabilis varietas & operatio sermonis Christi, in animis Iudeorum describitur. Tres fuerũt discordantes sententiæ. 1. Eorum qui sicut superius, cap. 6: 14 addito articulo ὁ, prophetam putant Iesũ in lege promissum. Deut. 18. sive constet eum esse Messiam, sive non. 2. sententia est eorum, qui ipsum expresse, & sine dubitatione pro Messia agnoscunt, convicti doctrina & miraculis: v. 31 & c. 5: 36. maxime verò scripturis, ad quas Christ⁹ provocavit, c. 5: 39: & 46. Et hoc cap. 7: 38. Tertia sententia erat eorum qui à pontificibus persvasi hæsitant in objectionibus varijs, impiè confictis, ad dejiciendum Christum ab officio & dignitate Messiæ. Operæprecium verò fuerit observare, quam vanis ac mendacibus argumentis Diabolus in impijs pugnet adversus Christum. Primo, cum scriptura dicat eum esse ex semine David, illi Christum ex posteritate Davidis natum esse negant, Deinde Mich. 5: 2 Locus nativitatis designatur Bethlehem. Apparet autem

profectum fuiſſe hunc errorem, ex voluntaria ignorantia; minimo enim labore ſciri potuiſſet, Ioſephum & Mariam fuiſſe ex familia Davidis: deinde, natum eſſe Chriſtum in Bethlehem; veriſimile eſt autem utrumq; fuiſſe Pontificibus exploratũ & notum, ex familiarite cũ Iohanne Apoſtolo, Joh. 18:15. ex vicinitate urbis Bethlehem, Matt. 2:5. alijsq; circumſtantijs, ſed occultata fuiſſe de induſtria, ad fallendam multitudinem. Hinc diſſenſio oritur ſpargente zizania Diabolo, autore mendacij, unde eſt heneſeon, & omnis erroris initium.

V. 44. Τινὲς. Quia vident ſe lubricis hiſce fundamentis Chriſtum ſuperare non poſſe, itaq; cauſæ ſuæ præſidium ponunt in violentia; more eorum qui falſam religionem propugnant: fecerunt id Ariani, faciunt Mahometiſtæ, & hodierno die papiſtæ: cum putant ſe armis obtinere poſſe quod argumentis nequeunt.

V. 45. Ἦλθον. Phariſæi ſevere in miniſtros, ad Chriſtum comprehendendum emiſſos, inquirunt, cur eum non adduxerint, ſicut juſſi erant: ſup. v. 32. Illi ex doctrina Chriſti in ſtuporem verſi, fatentur ſe id facere non potuiſſe, ſed perſuaſos magis, vera eſſe quæ docet. Eſtq; confirmatio argumenti duodecimi; huc conferantur quæ ſupradicta ſunt, de lingva Erudita, ſup. v. 15. Itaq; adverſus eos tertiam rationem proferunt, exemplũ ſcilicet Sacerdotũ, potentũ ac ſapiẽtũ Phariſæorum in lege: argumentũ ſimillimum papiſtico; qui docent ſatis eſſe ad ſalutem, ſi quis fide implicita dicat ſe credere aut etiam conſentire in eam fidem, quam tenet Eccleſia Romana. Auditores tuto poſſe ſequi doctrinam paſtorum ſuorum: aut enim illi vera docent; aut ſi falſa doceant, poſſunt auditores cauſam in De-

um

um rejicere, qui cum illis melioribus non prospexerit, tamẽ jubet obedire præpositis. Bellar. de Cleric. Sed respõdet ad hoc sophisma Sp. sanctus, Mal. 2: 12. *Disperdet Dominus magistrũ cum discipulis ex tentorio Iacob.* Negat etiam Evangelista minorẽ hujus argumenti infra. c. 12: 42. Nicodemus quoq; credit, Ioseph ab Arimathia & Gamaliel. Ad exemplum multitudinis credentium respondent, dupliciter: 1. propter ignorantiam legis, errare; itaq; non esse imitandos. 2. Maledictos esse, propter errorem & impietatem. Sic cæcum sanatum damnant, inf. c. 9: 34. Verum damnandi non erant simplices, Dei enim hoc est judicium, qui cor inspicit: deinde, ipsi culpa non vacant, qui falsa docuerunt, & legem non servant: Matt. 23: 15. Rom. 2: 7. sup. v. 19.

V. 50. Λέγει. Alia confirmatio argumenti duodecimi, de veritate doctrinæ & innocentia Christi; quod à lege, ad quam provocant, Nicodemus deducit, quæ justum judicium exigit. Deut. 17: 19. innocentem absolvit. Exo. 23: 7. Lev. 19: 15. *Lex judicat*: quæ locutio notanda est adversus papistas, qui negant scripturam sacram posse dirimere controversias, aut de his judicare; cum Christus id expresse affirmet, infra c. 12: 48. *Sermo quem loquutus sum, ille judicabit eum in novissimo Die.*

CAP. VIII.

In I. hujus capitis parte describit Evangelista colloquium Christi cum Parisæis, ac quæstionem eorum de pœna mulieris adulteræ. Colloquia & quæstiones Pharisæorũ insidiosæ erant, ut aliquid venarentur de ore ejus, ad accusandum eum. Luc. 11: 54. Matt. 22: 15. Et 1. peracto festo, quia intellexit salvator insidias sacerdotum, discedit ex ur-

be, noctesq; sequentes agit in monte olivarum. Luc. 21: 37. Hospitium Evangelista non exprimit, forte sub dio agebat, quod non est insolitum hominibus hujus loci, sicut etiam Ægyptijs, ad captandam auram nocturnam, propter æstum diei: pluvia enim æstivo tempore aut messis, hic nulla est. 1. Sam. 12: 17. Ruth. c. 3: 7. Quietem quæsivit salvator insuper, & solitudinem, precibus aptiorem: sicut ante mortem in horto inf. c. 18: 1.

V. 2. ὄρθρου. Postero mane in præsentia multitudinis, quæstio proponitur: mulierem adulteram sistunt, ut pateat accusationis & criminis intentatæ veritas, ex confessione mulieris, conscia etiam multitudine. Διδάσκαλον titulo honorifico eum compellant, benevolentiam captantes. Deinde legem citant, qua Deus per Mosen præcipit morte afficere adulteros & adulteras. Lev. 20: 10. *Moses*, inquiunt, *præcepit nobis*: videntur itaq; conqueri, de iniq; erepta sibi à Romanis judiciaria potestate, cum exequutione pœnæ, in maleficos: Et quia Romani more gentilium adulteria mortis supplicio non vindicabant; lege Mosis neglecta. Hic respondendum erat salvatori, vel non lapidandam, sed acquiescendum in judicio magistratus civilis; atq; sic violaretur lex Divina: aut lapidandam, juxta legem & jurisdictionem cum potestate exequutoria Iudæis à Deo tributa; atq; sic violaretur potestas & jurisdictio Romana in devictos Judæos. Quæstionem hanc fuisse de libertate gentis Judaicæ & ἀντικεφαλοεία adversus potestatem Romanam, patet ex sequente discursu de libertate, inf. v. 32. ubi hanc potestatem ab Abrahamo deducunt, eamq; sibi deberi ostendunt jure Divino. Similis est quæstio ei, quæ extat Matt. 22: 15. de censu dando Cæsari. Periculosam fuisse

quæ-

quæstionem, concernem temtatum politicum Evangelista indicat v. 6. Quid verò Iesus in terra scripserit, frustra quæritur, cum id Evangelista non exprimat; videtur alia agendo quæstionem declinare voluisse & ostendere se de his quæ ad civilem gubernationem spectabant, non esse sollicitum: sicut de divisione hæreditatis respondit; Luc. 12: 13. Non enim venit in mundum, ut leges civiles conderet, aut respub. ordinaret, itaq; de hac judiciaria potestate nihil definit:

V. 7. Ὡς δὲ. Pharisæi ex hoc silentio victum putant, & hæsitantem Christum, cum quid respondeat non, occurrit: itaq; urgent magis. Ipse verò, ut molesti esse desinant, accusationem ipsis in sinum convertit, conscientias suas excutere jubet; & si quis à peccato sit immunis, ipse primus ad pœnam mulieri infligendam procedat, & in eam primum lapidem mittat. Hac responsione turbati Pharisæi, propriam justitiam jactare soliti, verentur, ne Christus, secretorum conscius, aliqua singulorum facta contra legem, astanti populo aperiat, cum omnium confusione: itaq; coram multitudine, propria quasi confessione ac judicio damnati, se subducunt ad unum omnes, relicta muliere sola, hoc est nullo accusatore reliquo. *In medio*; scilicet circumfusæ multitudinis, attentæ ad hujus rei exitum. Tanta est vehementia legis Divinæ ac verborum Christi, ut ad cor usq; penetrent & conscientias feriant: *Vivus est enim sermo Dei & efficax ac penetrabilior omni gladio ancipiti &c* Heb. 4: 12. Specimen hic edit Iudex hominum futuri judicij, cum paucissimis verbis superbientes ex justitia operum, ad peccatorum confessionem adigit; docetq; aliam esse justitiam, quæ in oculos incurrit, & valet coram hominibus: aliam

verò

verò quæ coram Deo, quæ in judicio Dei consistere potest. conferatur exegesis Pauli Rom. 2: 17. & sequ.

V. 10. Ἀνακύψας. Non triumphat insolenter salvator in devictos & fugatos adversarios, sed quæstione modesta notat temeritatem& inscitiam non agnoscentium peccata propria; & pœnam, qua à Deo affecti sunt, jam subjecti Romanorum jugo, cum amissione pristinæ libertatis, ut nunc non suis, sed ab hostibus impositis legibus vivere cogantur. Sicut Matt. 22. *Date cæsari quæ sunt Cæsaris.* Propter circumstantes hoc loquitur, ut discant gloriam Deo tribuere, adversus ipsum non murmurare, pœnam amissæ libertatis cum patientia ferre, peccata agnoscere, pœnitentiam agere.

V. 11. Ἡ δὲ. Mulierem nemo condemnavit, fortasse pauperem, quæ æris grandem mulctam pendere non poterat. Sic rejecta á se judicandi potestate politica, Christus ad munus proprium procedit, confitentem & pœnitentem absolvit, atq; hortatur ad emendationem vitæ. Non enim est efficax peccati remissio & Sp. sancti operatio, in his qui in peccatis perseverare student; nisi abjecta peccandi cupiditate, propositum sequatur melioris vitæ. Hanc victoriã in hostes obtentam, inter memorabilia facta Christi Evangelista commemorat, exqua iterum Divina ejus sapientia
XIII. elucescit. Hinc desumitur XIII. Argumentum confirmationis, probans Christum esse Messiam.

V. 12. Πάλιν. II. Pars cap. continet colloquium Christi cum Pharisæis in quo producit XIV. Argumentum
XIV. confirmationis, quod pluribus, & evidentibus rationibus astruit tractat verò salvator hoc argumentum per thesin & antithesin. Tres sunt orationis hujus seu colloquij partes: in

in primis duabus, veram de ſe ſententiam validis rationibus confirmat: addita mitiore adverſariorum reprehenſione. Φῶς τοῦ κόσμου. Argumentum primarium ducitur à proprietatibus Meſſiæ. 1. Proprietas eſt, quon ſit *Lux mundi, vitam tribuens; illuminans omnem hominem venientem in mundum* ſup. c. 1: 4: & 9: *in quo nullæ ſunt tenebræ.* 1. Ioh. 1: 5. Talem autem fore Meſſiam prædixit Eſa. cap. 49: 6. *Poſui te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſq; ad terminos terræ.* cap. 9: 2. *Poqulus qui in tenebris ſedet, videt lucem magnam.* & 60: 3. *Gentes in lumine tuo ambulabunt.* Et pſ. 36: 10: *In lumine tuo lucem videbimus.* Quæ ſunt expreſſa vaticinia de Meſſia; quæ immitatus Zacharias in cantico prophetavit. Luc. 1: 79. Fit hæc illuminatio. 1. patefactione Evangelij, abſconditi à ſeculis, Rom. 16: 25. col. 1: 26. *Et renovationis Sp. ſancti, quem effudit in nos abunde, per Ieſum Chriſtum.* Tit. 3: 5. 2. Et eſt *lumen vitæ* hoc eſt illuminatio ducens ad vitam æternam. Duplex eſt itaq; hujus lucis energia in fidelibus: contingit autem his qui ſequuntur Chriſtum, hoc eſt, qui credunt in eum, & obediunt præceptis ejus. Contra, qui non credunt ambulant in tenebris: hoc eſt, *in vanitate ſenſus ſui: tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam quæ eſt in eis, propter cæcitatem cordis ipſorum,* ſicut ea deſcribit ſalvator. ſup. cap. 3. Paul. Eph. 4: 18.

V. 13. Εἶπον. Exceptio Phariſæorum, qua elevant rationem adductam, quia hæc vaticinia Sp. ſancti Chriſtus ſibi applicat, teſtimonio proprio, contra conſuetudinem omnium hominum. In omni enim accurata probatione nitimur teſtimonio alieno: nec unquam recipitur teſtificatio propria, qua aliquis de ſeipſo teſtatur. Reſpiciunt etiam ad autoritatem Moſis, qui in ore duorum aut trium

teſtium veritatem collocat. Deut. 17:6. Et 19: 15. Quod ipſum utiq; adduxiſſent, niſi Chriſtus præoccupaſſet. inf. v. 17.

V. 14. Ἀπεκρίθη. Reſponſio Chriſti triplex ad exceptionem datam, qua aſſerit ſuæ teſtificationis veritatem. 1. Ratio, à certitudine & evidentia ſcientiæ Chriſti, qua cognovit miſſionem & egreſſum ſuum à parte, ſcientia naturali, ſeu eſſentiali, infallibili: quæ non differt à ſcientia Patris; ut ſupra declaratum eſt. cap. 5: 20. & 30. *Deus enim verax eſt, omnis autem homo mendax*. pſ. 116: 11. Rom. 3: 4. Reprehendit autem Iudæos, quod cum ortum ac miſſionem Chriſti ignorent, tamen de ipſo confidenter judicant. Peccant verò in Sp. ſanctum, qui cum audiverint ſapientiam ejus, ac doctrinam cœleſtem; viderint miracula, Divina virtute facta, vitam quoq; inculpatam: non verentur tamen ipſum mendacij arguere & in os contradicere: addita inſuper blaſphemia, inf. v. 48.

V. 15. Ὑμεῖς. 2. Ratio, reijcit judicium Iudæorum, quia non procedit ex ductu & revelatiove Spiritus, per Prophetias & miracula; ſed ex ſenſu & ſapientia carnali, quia de Meſſiæ perſona & officio carnaliter ſapiunt. Chriſtus autem mundanam judicandi poteſtatem omnem à ſe rejicit; docens regnum ejus non eſſe temporale ſeu mundanum. Item, non veniſſe ut judicet mundum; ſup. cap. 3. Dictum hoc ſit, de officio Chriſti mediatoris; alias certum eſt, conſtitutū eum à Deo judicem vivorum & mortuorum. ſup. c. 5: 27.

V. 16. Καὶ ἐὰν 3. Oſtendit ſe judicandi poteſtate non eſſe privatum; & ſi judicet, juſtum erit judicium ejus, ac teſtificatio vera: quia nudus homo non eſt, ſed Dei quoq; filius

lius quia simul cum Patre operatur & loquitur una scilicet actione, ut sup. c. 5. Subsumit igitur: Si duorum hominum testificatio recipitur, juxta legem Mosis; (quæ tamen fallere potest; sicut in condemnatione Christi, Susannæ, Naboth.) Longe certior erit testificatio Dei Patris & Filij; major scilicet omni testificatione humana. Quo argumento utitur ad Christianos, Iohanes Ep. 1. c. 5: 9. Hinc fide catholica credimus in unitate Divinæ essentiæ, personarum pluralitatem.

V. 19. Ἔλεγον. Excipiunt Judæi, audivisse se Christum hîc & superius adducentem testimonium patris, quem ipsi adhuc neq; viderunt, neq; loquentem & testificantem audiverunt: itaq; quis sit quærunt. Nec abest ab hac quæstione contemptus; Si enim hominem patrem nominet, inconveniens erit filium patris testimonio velle niti in re tanta: sin Deum patrem suum constituet, intolerabile videbitur & blasphemum, ut sup. cap. 5: 18. Ad captiosam hanc quæstionem non respondet salvator, sed eam prudenter declinat, & in voluntariam adversariorum ignorantiam graviter invehitur: qui cũ ex superius adductis testimonijs, cap. 5. Iohannis Baptistæ, cœlestis patris, scripturarum Mosis & Prophetarum, scire potuissent Christum esse Messiam; malunt tamen, rejecto Christo, in ignorantia ac cæcitate permanere. *Qui autem filium non agnoscit, neq; patrem habet.* 1. Joh. 2: 23. Ex filio enim pater cognoscitur. inf. c. 14: 7. *Si cognovissetis me, & patrem meum utiq; cognovissetis.* Quæ est 2. Messiæ proprietas, ut sit Dei filius, essentia idem cum patre, unde fluit supra dicta omniscientia, veracitas, justitia, & judicandi potestas. Quæ omnia in Christum quadrare, Judæi scire potuissent ex vaticinijs Divinis, voce cœlesti, &

ex mirabilibus Christi operibus, testimonium reddente Deo: ut supra dictum est. Nec satis est, more Mahumetistarum ac Judæorum, adorare Deum creatorē & conservatorem rerum, nisi simul adoretur filius: ut dictū est, sup. c. 5.

V. 20. Ταῦτα. Locum colloquij hujus fuisse gazophylacium, Evangelista indicat, Locum amplum splendidum & bene munitum, in quo thesauri, vestes sacerdotales ac supellex preciosissima asservabatur: quo facile fuisset Sacerdotibus Christum conclusum comprehendere; sed Deo sic vertente, conscientiæ metu populum reformidant, in re iniqua, ne forte is patrocinium Christi suscipiat, & doctrina ejus vires ulteriores acquirat. Matt. 26: 5. inf. c. 11: 48. Nondum enim venit tempus à Deo definitum: neq; vero dubium est, vehementer fuisse inflammatos pharisæos, ob hanc ignorantiæ exprobrationem.

V. 21. Εἶπεν. Altera pars colloquij, cum præcipuis Judæorum, in qua plura superaddit requisita ad cognitionem Messiæ, & graviore adhuc reprehensione Judæos urget. De abitu ad Patrem monet, intellige per mortem & passionem, sicut ipse explicat infra v. 28. Sed ulterius de desertione gentis Judaicæ vaticinatur, sicut cap. 7: 34. Et quia detrectant venire ad patrem per filium, mediaq; salutis à Deo ordinatâ; itaq; in peccatis suis morientur, & salute æterna excident: quia extra Christum nulla est salus, aut peccati remissio.

V. 22. Ἔλεγον. Responsio Iudæorum qua verba & gravissimam exhortationem Christi sannis & risu excipiunt, ac detorquent: in sensum quem ipse non intendit: itaq; v. 23. eos reprehendit ut carnales, mundana sectantes, & ea quæ salutem æternam non conferunt. Messiæ autem officium

cium non reſpicit carnalia iſta, qualia intendunt Iudæi, ſed ſpiritualia, peccatorum ſcilicet remiſſionem, & felicitatem æternam: ideo quia oblata in Chriſto bona ſpiritualia Judæi non recipiunt, ſed finaliter in peccatis pergunt; itaq; in peccatis morientur, quia Chriſtum non agnoſcunt & in ipſum non credunt. Hinc ſuum errorem Apollinaris deduxit. Manichæos ſequutus dicit; *Vides quod non erat ex mundo hoc corpus Domini, ſed de ſupernis & de cælo, ſicut & divus Paulus dicit*: *Secundus homo dominus de cælo.* Adhæc reſponde Theophyl. *Interrogare oportet illum quomodo intelligat, quod ad Apoſtolos à Domino dicitur* inf. c. 15. & c 17: & 16. *Vos non eſtis ex mundo*; *num & illi corpus habuerunt cæleſte?* Et iterum: *Manifeſtum quod ideo quia non ſapiebant quæ hujus mundi. Ita & nunc intelligendum. Non ſum unus ex vobis qui mundana ſapiunt.* Et Paulus Rom 8: 9. *vos incarne non eſtis &c.* Omnes homines carnali generatione nati, carnales ſunt, peccati labe infecti, & deſtituuntur gloria Dei; Rom. 3. nec niſi carnalia ſapiunt. Rom. 8. 5. quos neceſſe eſt in peccatis mori, niſi per baptiſmum & fidem in Chriſtum purgentur. ſup. cap. 3. Solus Chriſtus de Sp. ſancto conceptus & natus, *peccatũ non fecit*; 1. pet. 2:12. *nec invent⁹ eſt dolus in ore ejus.* Eſa. 53.

V. 25. *Ἔλεγον.* Iterum per contemptum quærunt Iudæi: Tu quis es? Scilicet qui tanta tibi tribuis; ut ſis lux mundi, Deum patrem habens, cœleſtem originem, ſine quo nemo ſalvatur. Reſpondet Chriſtus, *τὴν ἀρχὴν.* Ex natura Græci ſermonis, talis eſſet ſenſus: Sum is, qualem me eſſe ab initio dixi, ſicut ab initio loquutus ſum vobis. Variant hîc patres ac interpretes pleriq; & ſuum quisq; ſenſum ſequitur; ſed vix videtur poſſe reddi hoc ſenſu alius clarior, qui antecedentibus & conſequentibus reſpondeat.

V. 26. Πολλὰ. Altera pars reſponſionis Chriſti, quâ indicat ſibi datam eſſe & occaſionem & poteſtatem reprehendendi in illis plurima, idq; verè, ſicut Pater qui miſit ipſum verax eſt, & Chriſto patris voluntas nota eſt, & judicandi ſcientia eadem cum patre. Chriſtus legatus eſt patris ad homines, ejus voluntatem notam facit mundo: ipſi vero non intellexerunt Deum eſſe patrem ejus. Abſurdum putarunt & blaſphemum, Chriſtum qui homo erat, eſſe naturalem filium Dei. ſup. c. 5: 18. & cap. 10: 33. *De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia; & quia tu homo cum ſis, facis teipſum Deum.* Credentes verò intellexerunt. Petrus Matt. 16: 16. Ioha. 17: 6. *Manifeſtavi nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo & ſermonem tuum ſervaverunt.*

V. 28. Εἶπεν. Teſtimonium eis proponit mortis & paſſionis ſuæ, ut ſignum evidentiſſimum obedientiæ Chriſti erga Patrem; qui ideo venit in mundum, ut faciat voluntatẽ ejus & loquatur ac perferat ad homines conſilium, Patris de ſalvandis hominibus per filium. *Exaltari oportet filium hominis*, ut ſupra c. 3: 14. Et inf. cap 12: 32. id eſt, crucifigi & mori. Cognoverunt tunc vera eſſe & non vana, quæ de divinitate & officio ſuo Chriſtus docuit: ex miraculis in morte Chriſti, aſcenſione, miſſione Spiritus ſancti, miraculis Apoſtolorum & progreſſu Evangelij per orbem terrarum; nequicquam reſiſtentibus aut tumultuantibus Judæis. Sic in prima concione Petri Iudæorum multa millia ad fidem convertuntur. Act. 2:41. quibus acceſſerunt ex Sacerdotibus & Phariſæis plurimi: & ex principibus. Ioh. 12. 42. Quomodo Chriſtus à Patre diſcat, ſupra dictum eſt; facit autem ex ſe nihil, ſcilicet, niſi ſimul cooperante patre, cum ſit una utriusq; eſſentia: itaq; non ſola humana natura opus

pus redemtionis efficit, ſed cooperatur etiam Divina.

V. *29.* Καὶ ὁ. Rationẽ ſubjungit quia videlicet, non homo tantũ fuit,(quod opinati ſunt Iudæi)ſed unitus cũ Deo, cujus virtute Chriſtus reſurrexit, ſecundũ illud Davidis pſ. 16; & cætera quæ allegat Petrus, Actorum 2. Unde infert, *Certiſſime ſciat omnis domus Iſrael, quia & dominum eum & Chriſtum fecit Deus hunc Ieſum, quem vos crucifixiſtis.* Nihil itaq; facit Chriſtus aut loquitur Deo adverſum, aut ſine Deo, cum quo unitus eſt, unitate eſſentiæ.

V. *30.* Ταῦτα. Concluſio hujus ſecundæ patris, qua efficacia verborum Chriſti in gente ipſi inimica deſcribitur: victi erant permulti argumentorum evidentia, & virtute verborum Chriſti & crediderunt: nec movebantur autoritate pontificum & præcipuorum, reſiſtentium doctrinæ Chriſti.

V. 31. Ἔλεγον. Tertia Pars diſputationis, in qua ad fideles converſus, eos informat; ab incredulis vero interpellatus, tandem excreſcit diſceptatio in contentionem acerrimam, uſq; ad lapides & verbera, quibus Chriſtum petunt impij. Quia credentium magna eſt varietas, perſeverantibus alijs, alijs deficientibus, tempore perſequutionis: itaq; ad perſeverantiam eos hortatur,& oſtendit eos genuinos & veros eſſe diſcipulos, ac fructum precipere doctrinæ cœleſtis, qui perſeverant in finem, nulliſq; afflictionibus patiuntur ſe abduci à veritate & fide verborum Chriſti. Duo beneficia ſeu commoda inſignia commemorat: 1. Cognitionem, creſcente ſemper fide, cum notitia Dei, & intelectu, mirabilis virtutis Dei; & *Spiritum ſapientiæ & revelationis in agnitione ejus. Ut ſciant quæ ſit ſpes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in ſanctis.* Eph. 1: 18. Et Luc. 1: 77. dicitur

citur *scientia salutis, in remissionem peccatorum* Et Phil. 3. 8. *Existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Iesu Christi.* 2. Libertatem; qua per hanc veritatem à servitate carnis, peccati, Diaboli, (quæ in exitium æternum præcipitat) *liberati, serviant Deo in justitia & sanctitate.* Luc. 1: 75. Rom. 6: 16. *Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam: &c.*

V. 33. Ἀπεκρίθησαν. Exicipiunt adversarij increduli, & salvatorem accusant, quod libertatem, eorum hæreditariam, ac terræ Canaan possessionem in dubium vocet; quam, ut genuini filij Abraham, jure hæreditario possident, jure etiam Divino, si promissionem respicias. Gen. 12: 7. Quod verò dicunt se nemini servivisse unquam; non videtur accipiendum esse, quasi nunquam servierint vicinis Moabitis, Ammonitis, Philistæis, Assyrijs, Syris; foret enim id manifestæ veritati contrarium, & historiæ sacræ. Magis videntur ex Divina promissionum conservatione argumentum ducere, qui Iudæos ab his populis victos, & in servitutem redactos, semper rursum in libertatem vindicaverit: adeo ut nunc sperent se similiter à Romanorum servitate vindicandos, quam eorum libertatem considerantes Romani, etiam nunc eos ut liberos homines gubernant, & proprium ipsis Regem permittunt. Sic enim Argumentum, aliquid adversus Christum concluderet; alias impingerent in manifestam veritatem, omnibus notam: quod si verò Christus adversus hanc libertatem contendere vellet, non esset Messias & liberator, sed suæ gentis & avitæ libertatis proditor.

V. 34: Ἀπεκρίθη. Respondet Christus, falli eos ὁμωνυμίᾳ liber-

libertatis, unde oritur ignoratio elenchi; non enim ſermo eſt de libertate civili, qua quam ſint liberi, ipſi videant, qui coguntur dare cenſum Cæſari, & à Romano præſide gubernari, præſidiumq; Romanum alere: ipſi verò ſermo eſt de libertate ſpirituali, liberatione à ſervitute peccati, quæ ex veritatis cœleſtis cognitione provenit, ut dictum eſt; *veritas* inquit, *liberabit vos:* qua qui deſtituũtur ſervi ſunt cõcupiſcentiæ. *Servos corruptionis* apellat, Petrus, *à quo enim quis ſuperatus eſt, hujus ſervus eſt*, 2. Pet. 2: 19. Rom. 6: 16. *Vos autem non ita dediciſtis Chriſtum, ſi tamen illum audiſtis & in ipſo edocti eſtis; ſicut eſt veritas in Ieſu. Deponite igitur veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris.* Eph. 4: 20. Renovatio dicitur; qua per totam vitam homo dona ſp. S. ad auget, in cognitione & perfectione operationum ac fidei. Eph. 3: 16. 4: 12.

V. 35. ὁ δὲ δοῦλος. Secunda reſponſio Chriſti à natura ſervitutis: Servus non eſt hæres, ſed filius: itaq; non ſervus ſed filius poteſt libertatem conferre. Sicut in terrenis, ita in ſalutis negocio non peccati ſervitus, ſed meritum filij libertatem veram confert. *veram*, quia terrena quæ putatur libertas, non liberat à damnatione; ſed ſpiritualis, quæ incipit in hac vita & abſolvitur in futura.

V. 37. οἶδα. Tertio: per conceſſionem admittit eos eſſe filios Abrahæ ſecundum carnem, non verò ſecundum ſpiritualem generationem: quia cupiunt ſangvinem innocentem effundere. Cauſa vero quæ eos ad hanc impietatem adducit, eſt cæcitas mentis; & averſio voluntatis à verbo Divino, quod Chriſtus annunciavit: ideo non admittunt informationem & doctrinam Chriſti, ſed mentem infixam tenent rebus temporalibus, quæ ſalutẽ non conferũt.

V. 38. Ἐγὼ ὃ. Ratio hujus diverſitatis; quia doctrina Chriſti Divinitus patefacta eſt & in S.S.æ Trinitatis conſilio nata: homicidia vero & carnales affectus impij, diabolum autorem habent, qui ſeductione ſua primos parentes originali perfectione privavit, & homines affectibus obnoxios quotidie ad peccata impellit. Argumentum tale foret: filij genuini opera patris ſui imitantur, & quæ placita ſunt ei faciunt: niſi velint hæreditate privari; vel ſic. Qui patris ingenium, ſtudia, mores & mandata aſſequitur, hic genuinus eſt filius, non ſolum poſſeſſionũ ſed & naturæ ac ingenij hæres. Sed Chriſtus Dei patris opera efficit, ac ejus voluntatẽ exequitur, moresq; exprimit: Judæi contra, homicidio intẽti & pravis affectibus dediti, Diaboli ingeniũ ac ſtudia æmulantur, non Abrahã; Ergo non ſunt Dei, nec Abrahami filij, ideoq; nec hæredes. Notanda eſt hic diſtinctio inter filios ſecundum carnem, & filios ſecundum promiſſionem, quam adhibet Paulus, Gal. 4: 21. unde ſimiliter cõcludit, eos eſſe filios Abrahami, qui fidẽ habent juxta promiſſionem Abrahamo factam, *in libertate qua Chriſtus nos liberavit.* Et Rom. 6: 17. *Gratias autem Deo, quod fuiſtis ſervi peccati.* Et iterum: *Liberati autem à peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ.* Et Rom. 9: 26. *Non populus meus vos*: ibi vocabuntur filij Dei. Ex Oſe. c. 2: 10. & 23. Cauſa igitur erroris circa ſalutis negocium & fundamenta fidei, eſt, cum verbo Dei relicto, & veritate Divinitus revelata, mens hominis carnales cogitationes concipit rerum temporalium: & his accommodat religionem & omnia; ſicut exemplo gentium oſtendit Paulus, Rom. 1: 20. & ſequentibus.

V. 40. Νῦν δὲ. Primo in genere oſtendit eos opera Abrahami non facere; itaq; Abrahami filios non eſſe: Nunc mi-

minorem argumenti probat exemplo particulari; quia in corde meditantur & inter ſe conſultant, qua ratione Chriſtum dent neci: quod peccatum tanto eſt gravius, quia eſt filius & legatus Dei, miſſus ut conſilium patris exponat de reparatione ſalutis hominum; hoc non fecit Abraham, ſed gaviſus eſt, accepta promiſſione; inf. v. 56. Deo gratias agit, & in Dei gloriam vitam & omnia ſua, periculis expoſuit: *& prædicavit nomen Domini* Gen. 21: 33. Non ſunt itaq; Judæi Abrahami filij, ſed alterius patris, ejus ſcilicet, cujus opera imitantur. Sic cum Eſaias cap. 1: 10. Iudæos alloquitur vocat eos principes Sodomitas & populum Gomorræ: quantumvis ex Abrahamo originem ducant. Reſpondent Judæi 1. ſe non ex adluterio ſpurios eſſe: ſi de carnali generatione ſit ſermo; extra controverſiã eſt enim eos eſſe filios Abrahæ ſecundum carnem; quod etiam Chriſtus confeſſus eſt, v. 37. Si de ſpirituali generatione & culta Divino ſit ſermo, non ſunt Judæi ex fornicatione; idola colentes, ſed unum Deum omnes colimus, creatorem omnium.

V. 42. Εἶπεν. II. Argumentum, quo negat ſalvator eos eſſe à Deo. 1. Quia Chriſtum legatum Dei non diligunt, ſed exitiali odio perſequuntur. 2. quia non recipiunt ſermonem ejus; Evangelium ſcilicet quod annunciat; ut ſupra dictum eſt. III. Ex proprietatibus Diaboli oſtendit eos eſſe filios Diaboli. Qui ſtudijs, deſiderio, operibus impijs diabolum imitantur; ipſius ſunt filij. Itaq; v. 44. Ex duabus proprietatibus diabolum potiſſimum deſcribit, homicidio ſcilicet, & mendacio. *Homicida erat ab initio*: reſpicit ad lapſum primorum parentum in peccatum, cujus defectionis autor erat diabolus, quo impellente ceciderunt, cum omni poſteritate in peccatum & damnationem, ac calami-

tates innumeras hujus vitæ. Amiſſa itaq; integritate originali, ſucceſſit pravus concupiſcentiæ affectus, fons omnis impietatis, cujus primus autor diabolus; eadem hodie efficit in incredulis: 2. Cor. 4: 4. Sap. 2: 24. *Invidia diaboli mors introijt in mundum.* *Mendax & pater mendacij;* omnis ſcilicet impoſturæ, falſitatis, erroris, deceptionis, hypocriſis; qui ſeducit univerſum orbem: Apoc. 12: 9. qui cum ipſe talis ſit, etiam in impijs & ſecuris, horum malorum eſt autor: ſicut in prophetis Ahab Regis Iſrael. 3. Reg. 22: 21. Notandum eſt diabolum in vertate non ſtetiſſe: unde apparet in veritate creatum fuiſſe, ſed in ea non manſiſſe, excidit enim propter ſuperbiam, quod innuere videtur Sp. ſanctus Eſa. 14: 12. ſub nomine Luciferi de cœlo cadentis. Et Chriſtus ſalvator. Luc. 10: 18. quo etiam alludit Joh. Apoc. 12. de bello Michaelis cum dracone. Et Pet. 2. Ep. cap. 2: 4. Errant itaq; Manichæi qui duo æterna principia conſtituunt, & diabolum ex malo principio originem ducere putant: unus eſt enim Deus à quo omnia. Ioh. 1: 3.

V. 45. Ἐγὼ δὲ. Ratio quare Chriſti ſermonem non audiunt, quia cum à diabolo ſeducti mendacium ament, veritas autem à Chriſto prolata, mendacio ſit contraria, & contradicat ſententiæ eorum de Meſſia & officio ejus; itaq; Chriſto veritatem loquenti credere non poſſunt; duo ſcilicet cotradictaria.

V. 46. Τίς ἐξ. Concluſio hujs diſputationis in qua novo argumento probat veracitatem ſuam: videlicet ab innocentia vitæ; deinde ſubſumit de veritate doctrinæ, & miſſione legitima, quam ſuperius ſufficienter ipſis probatam dedit teſtimonio Iohannis, voce patris in baptiſmo, miraculis, & poteſtate ſibi Divinitus data, ſapientia

plus

plus quam humana. Ad hæc respiciens subsumit, doctrinam suam esse veram & Divinam; Iudæos autem incredulos, non esse à Deo, quia non credunt in nomine unigeniti filij Dei; sed esse à Diabolo, iræ Dei obnoxios & damnationi. sup. c. 3: 18. & 36.

V. 48. Ἀπεκρίθησαν. Tangit hæc exprobratio Christi, impiorum conscientias, qui veritate victi, nihil habent quod reprehendant, neq; in doctrina, neq; in vita: itaq; deficiente veritate rationum, ad convitia prorumpunt, objicientes 1: Samaritanum eum esse, illi enim falsa docent, colentes Deum verum, & insuper etiam idola gentium: sicut describitur eorum religio & origo; 4. Reg: 17. coloni erãt Assyriorum, Judæis impositi. Unde etiam Judæorum fuerunt inimici semper & æmuli. sup. c. 4: 9. 2. *Dæmonium habes*: opera scilicet diabolica potestate facta: adversus quam Judæorum calumniam Salvator disputat, Matt. 12: 24. Negat verò Christus se dæmonium aut spiritum familiarem habere; satis autem foret negasse, quod ipsi nuda assertione objiciunt; adducit tamen rationem suæ negationis; quia Deum patrem honorificat; hoc est, Qui omnia dicta & facta ad Dei gloriam dirigit, ille diabolum suorum operum aut verborum autorem non habet. Convitium est igitur quod adversus ipsum dicunt Judæi. Hæc est omnis veræ doctrinæ norma: quam etiam multis confirmat. Joh. 1. Ep. c. 4. 2. & c. 5: 1. *Omnis qui credit quoniam Iesus est Christus ex Deo natus est*. &, v. 18. *qui natus est ex Deo non peccat.*

V. 50. Ἐγὼ δὲ 2. Ratio à vindicta, qua Deus pater ulturus est omnem contumeliam filio illatam, qui licet hæc convitia patienter toleret, Deus tamen uon negliget: Deut. 32. *Mihi vindicta, ego retribuam.* Similem conclusionem vide Rom. 12: 19. Heb. 10: 30.

V. 51. Ἀμὴν. 3. Ratio à contraria operatione salutari in credentibus, ac recipientibus sermonem ejus, præstat enim liberationem à morte æterna: de qua hîc solum est sermo: sicut sup. cap: 5: 24. Ubi idem argumentum Christus pertractavit, & hîc breviter repetit, ut fieri solet in conclusione. Hinc apparet quis sit finis ultimus, respectu hominum, cur Christus venerit in mundum: non regnum mundanum, ut putant Iudæi, sed redemptio à morte æterna; mors enim corporis nihil mali affert fidelibus, sed est transitus ad vitam æternam, juxta explicationem superius allatã, cap. 5: 24. Quo Iudæos remittit, ubi argumenta probantia Christum esse Messiam, fuerunt plenius pertractata.

V. 52. Εἶπον. Exceptio Iudæorum, adversus vivificam virtutem verborum Christi: conferendo personam ejus cum Abrahamo & Prophetis; valida ut putant instantia; in hunc modum: Quod non potuit efficere doctrina seu sermo Abrahami, Patriarcharum aut Prophetarum, qui sine dubitatione habuerunt divinas revelationes, & promissiones, quorum etiam vaticinia videmus esse completa; id minime efficiet suis verbis filius fabri, ex Galilæa ex Nazaret, homo nullius admodum autoritatis; de quo incertum est unde sit infr. c. 9: 29. At Patriarchæ & Prophetæ non potuerũt verbis, promissionibus, vaticinijs suis liberari à morte; nec quisquam horum, qui verbis eorum crediderunt, omnes enim sunt mortui E. &c. *Quem teipsũ facit?* id est, quousq; tandem te efferes, supra patres & omnes homines. Sarcasmus hic est & inventum diaboli, ad evacuandum redemptionis nostræ negociũ & efficaciam Evangelij Christi.

V. 54. Ἀπεκρίθη. Respondet Christus & refutat objectionem & ostendit petitionem esse principij in majore, illi

enim

enim extra controverſiam accipiunt Chriſtum eſſe Patriarchis minorem, quod eſt falſum. Unde oſtendit Chriſtus ſe non ſeipſum glorificare ex affectu humano, ut ſup. c. 5: 31. Sed à patre gloriam aciperere, voce ſua teſtificante de cœlo: & operatione miraculorum. v. 55. Deinde oſtendit ſe noviſſe Deum, id eſt conſilium Dei de hominum ſalute, & quid ab æterno decreverit; quippe cum ſit una ſcientia, idem conſilium patris & filij; qui ſolus vidit patrem. ſup. cap. 6: 46. Nec aliud docere poteſt, niſi velit mentiri, vocat Iudæos mendaces, quia falſa docent de perſona & officio Meſſiæ: & propter incredulitatem, Deum faciunt mendacem. 1. Ioh. 5: 10. *Qui credit in filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe: qui non credit filio, mendacē facit eum, quia non credit in teſtimonium, quod teſtificatus eſt Deus de filio. Sed ſcio eum*: eſt enim conſcius decreti illius æterni, eſt arcani conſilij ſeu teſtamenti angelus. Mal. 3: 1. Splendor gloriæ Dei; Heb. 1: 3. melior angelis, ibidem v. 4. Filius unigenitus. pſ. 2: 7. Adorandus ab angelis, cujus Thronus æternus. Creator rerū omnium; Heb. 1. pſ. 97: 7. Non cognoverunt autem Iudæi filium, ideoq; nec patrem noverunt, nec eum recte colunt. ſup. c. 5: 23. Sic per antitheſin mendacium ac vanitatē à ſe removet, & in Iudæos retorquet, qui de cognitione Dei gloriantur, & falſa de Deo docent, atq; filiū ignorant. Ratio cur Deum non recte colunt, qui filium neſciunt, hæc eſt; quia Deus in unitate eſſentiæ & perſonarum trinitate vult coli & invocari, prout ſe manifeſtavit. Deinde qui naturam filij ignorant, & redemptionis officium, non poſſunt per filium Deum invocare, ſalutem ſperare, credere in Deum, cum fides à ſalutis medio aberret; nec poſſunt Deum glorificare & pro redemtione gratias agere:

V. 56. Ἀβραάμ. Iam, hiſce ad refutationē & informationem Iudæorum præmiſſis, reſpondet ad inſtantiam de Abrahamo & Prophetis: & Abrahami exemplo adducto, probat ſe eſſe ipſo maiorem, & conſequenter omnibus poſteris ejusdem. *Abraham*, iuquit, *exultavit*, hoc eſt cum deſiderio expectavit ſicut etiā David & Prophetæ, deſiderium ſuum ſignificant. Abraham cum Deo crederet promittenti, Gen. 15: 6. Rom. 4. David pſ. 110. Eſa. 55: 8. Rorate cœli. ſicut David dicebat in ſpiritu, Chriſtum Dominum. Matt. 22: 43. Viſio hæc erat in ſpiritu, Sic Abraham vidit diem Chriſti Domini, cum Gen. 12. accepit promiſſionem venturi Chriſti, & benedictionis peripſum: ex qua, gaudio maximo affectus eſt Abraham, & dedit gloriam Deo: exemplum factus & pater omnium credentium, qua fide etiam juſtificatus eſt. Minor eſt autem qui juſtificatur, eo qui juſtificat. Hujus veſtigijs inſiſtere oportuit Iudæos.

V. 57. Εἶπεν. Exceptio Iudæorum, qua dicta Chriſti, ſuo more, torquent in ſenſum carnalem, & viſionem hanc accipiunt de ſenſuali, oculorum ſcilicet corporis; cum Ieſus, qui adhuc longe abeſt à quinquageſimo anno, dicat ſe Abrahamum vidiſſe: aut ſe viſum eſſe ab ipſo: quod erat impoſſibile & abſurdum. Sic perpetua ambiguitate ludunt Iudæi, fiuntq; in argumento quatuor termini. Chriſtus verò ſupradicta intendit amplius, & affirmat ſe eſſe, ſubſiſtendi modo æterno, qua voce de eſſentia ſua, ſeu exiſtendi modo æterno Deus utitur, Exo. 3: 14. Significat ſe extitiſſe antequam fieri inciperet Abraham. ὁ ὢν, ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος. Apoc. 1. 8. Quod verò ſalvator de Divina ſua natura effert, illi de humana accipiunt, neſcientes unionem cum Deo. Et quia ſermonem Chriſti non intelligunt, itaq; iracundia

&

& furore acti, hæc dicta Christi, absurda atq; adeo intolerabilia, judicant, non verbis, sed lapidibus & mortis supplicio vindicanda. Christus autem rabiem impiorum effugiens secedit, ἐκρύβη, occultavit se à conspectu inimicorũ, & exiens per medium eorum, Divina potentia evasit: sicut Luc. 4:30. Et hæc est sententia Teophylacti.

C A P. IX.

In hoc capite describitur miraculum in cæco factum, cum disquisitione Pharisæorum & colloquio cum, cæco, Et est Argumentum XV. quo probat Evangelista Christum esse messiam. Partes capitis sunt tres. In prima miraculum ipsum describitur. XV.

V. 1. Καὶ παράγων. Primo circumstantiam loci describit, & antecedentia miraculum, cæcum, scilicet, sedentem Jerosolymis inter mendicantes, inf. v. 8. Ierosolymis enim factum esse miraculum liquet, ex Luc. c. 13. 4. ubi Siloe Ierosolymis collocat Salvator. Apparet ex contextu constitisse Christum, & considerasse diligentius hunc hominem cœcum à nativitate: unde occasio extitit ulterioris colloquij cum discipulis. Deinde quæstionem discipulorum proponit Evangelista, ortam ex cõmuni hominum opinione, judicantiũ eos esse maximos pecatores, qui maximis calamitatibus affliguntur. Videtur hæc sententia fundamentum ducere ex justitia Divina, reddente unicuiq; secundũ opera sua: juxta comminationes, Lev. 26. Deut. 28. Sed quia hominis nondum nati nulla erant peccata actualia, causam nullã vident discipuli, cur sit aliquis in utero matris cœcitate puniend⁹, nisi forte filius luat delicta parẽtũ quod tamen fieri debere Deus ipse negat, Ezech. 18: 4. *Anima quæ peccavit, ipsa morietur.* Videntur discipuli non satis plenam

cognitionem habuisse peccati originalis: Et quid respondere possint ad hanc quæstionem Tridentini patres, non apparet, qui negant concupiscentiam habere rationem peccati. Pharisæi tamen peccatum originis non omnino negant, sed cæcum hunc affirmant esse in peccatis natum, inf. v. 34.

V. 3. Ἀπεκρίθη. Negat Christus hunc aut parentes ejus, actuali peccato hanc pœnam præ alijs promeruisse, sicut Luc. 13. negat eos qui in Siloe perierunt, præ alijs hominibus esse peccatores, hoc est, graviora scelera perpetrasse. Alias probat Apostolus totum mundum Deo esse obnoxium. Rom. 3: 10 & 19. Nos esse in manu Dei, sicut massa in manu figuli Esa 64: 8. Ne quis putet Deum esse injustum, qui innocentes affligit. Substituit autem Christus veram causam, videlicet, ut edito in visus restitutione miraculo, manifestaretur gloria Dei in Christo, ostendens ipsum Divina virtute præditum, & esse filium Dei ac salvatorem mundi. *In hoc enim, apparuit filius Dei, ut destruat opera Diaboli.* 1. Joh. 3: 8. quo argumento etiam adversus Pharisæos utitur Christus: Matt. 12: 28.

V. 4. Ἐμὲ δεῖ. Præfatur nonnulla Christus, priusquam ad miraculi operationem progrediatur, de officio reconciliationis seu Mediatoris. 1. Oportere, miracula operari, quibus ostendat fidemq; faciat hominibus, se à Deo missum ad salutem credentium in ipsum: idq; dum dies est, hoc est, dum durat tempus prædicationis à Deo destinatum. Nam tempus prædicationis & passionis à Deo constitutum esse Evangelista indicat, sup. c. 8: 20. non potuisse Judæos *comprehendere eum, quia nondum venit hora ejus.* Et inf. c. 11: 8. *Nonne duodecim sunt horæ diei, si quis ambulaverit in die, non offen-*

fendet. 2. Oſtendit aliquando fore noctem; cum operari non poterit, cum paſſioni ſubjectus & Iudæorum violentiæ, cum nec ipſe nec diſcipuli miracula fecerunt: quod tempus noctis & tenebrarum ſimilitudine adumbrat, Luc. 22: 53. *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum.* Et Matt. 26: 45. *Ecce appropinquavit hora.* 3. Docet ſe eſſe lucem mundi; ut ſup. c. 8: 12. & c. 1: 8. nam veniente Chriſto, fugatæ ſunt tenebræ errorum & ſuperſtitionum Iudaicarum, ſup. c. 1: 5. caligo quoq; ignorantiæ in Gentilibus, qui verum Deum non noverunt. Et tunc *populus qui ambulat in tenebris videt lucem magnam*: juxta vaticinium Eſa. c. 9. Matt. 4: 14. Et cum poſt reſurrectionẽ prædicatũ fuit Evangelium in toto mundo.

V. 6. Ταῦτα. Nunc ad miraculi operationem progreditur, ceremonias adhibet, quia ſic placuit, alias ſolo verbo curavit plurimos. Lutum quo oculos cæci inungit, per ſe virtutem nullam habuit, neque aqua piſcinæ, ſed nanſciſcitur efficaciam ex voluntate & verbo Domini: ſicut aqua Iordanis, ad curandam lepram Naamam Syri, ex verbo Domini per Eliſæum. 4: Reg. c. 5. Sic aqua baptiſmi verbo Domini fit efficax ad peccatorum ablutionem; Sic herbæ & medicamenta virtutem accipiunt ex verbo Domini, alias nihil profutura ad ſanitatem ægroti, niſi Deus medendi vim addat; ut ſcite monet Syr. c. 38. 9. *Siloe* Evangeliſta interpretatur, *Miſſus*: quam interpretationem videtur ſumſiſſe ex obedientia cæci, qui non fuit aſpernatus media ſibi præſcripta à Chriſto; ſicut Naaman, quamdiu ſprevit aquas Iordanis, curari nõ potuit. Idæa eſt hæc obedientiæ, ejus quam Chriſtiani debent Deo ſalvatori, qui enim contemnit media ad ſalutem data, ſalvari nequit: nec licet ea ad placitum noſtræ voluntatis aptare: plura de hoc fonte ad-

fert Hieron. in cap. 8. Esa. & Iosep. bell. Jud. l. 6. cap. 6. Neq; hic præterire nos oportet notationem Cyrilli, qui putat sputum adhibuisse Christum ut ostenderet vivificam virtutẽ inesse his quæ ex humanitate sua adhiberet. Longe est, itaq; diversa, sententia Cyrilli de virtute humanæ naturæ Christi, ab illa Calvinistarum, qui putant humanam naturam Christi in miraculorum operatione non plus conferre quam baculum Moysis. Quod si insuper vocem Siloe, ad vicinum nomen Silo, quod Messiæ tribuitur aptare quis velit, non repugnabo, ut juxta Evangelistæ interpretationem denotetur Messias à Deo missus: cui etiam similitudini consentit Theophylactus. Rabbi tamen David Kimhi, explicat, cum alijs quibusdam, non per שָׁלַח misit, sed per שֶׁלּוֹ *qui ejus*, id est, pro filio ejus, vide Munsterũ in voce שִׁילֹה.

V. 8. οἱ ἴδον. Tertio judicium populi & consequentia miraculum indicat: fit disquisitio magna, cum apparet in loco consveto videns, qui antea cæcus & mendicus cum alijs resedit; forte ad templi fores, nam hic sedere solitos mendicantes patet ex historia sanati claudi, à Petro & Iohãne: Act. 3: 1. Atq; sic paulatim negligi cepta est lex Dei, de pauperibus alendis. Deut. 15: 4. Ipse verò, qui visũ recepit, cũ disquirentes audiret, neq; satis certos quid statuendũ sit sitne idem ipse, vel alius; veritatem prodit, indicans se esse eundem, ac ut fidem faciat, modum quoq; describit, & autorem indicat: quæ confessio veræ fidei est argumentum, pristinæ calamitatis agnitio scilicet, & potentiæ Divinæ in Christo. Duo hic genera spectatorum affuisse apparet, sicut in plerisq; alijs Christi concionibus ac miraculis; unũ, admirantium potentiam Christo datam á Deo, & gratulantium; alterum observatorum & calumniatorum: sic hoc

loco

loco gratulantur cæco alij, & mirantur, negant alij, & Christum quærunt ubi sit, ut eum Pharisæis prodant, operantem ea in Sabbatho: sciebant enim Pharisæos Christum, ut impium violatorem legis Divinæ, traducere & persequi, quia miracula fecit in Sabbatho. ut sup. c. 5: 16.

V. 13. Ἄγουσιν. Cum Christum ubi sit nesciant, deferunt tamen eum ad Pharisæos inimicos, & ut factum probent, sanatum cæcum adducunt: argumentum accusationis desumunt ex facto Christi, qui lutum sputo & pulvere admisto fecit in Sabbatho. Quamvis autem factum hoc exile, minimi laboris, posset alium quemvis excusare, tamen satis esse videtur inimicis delatoribus, ad traducendum Christum, coram Pharisæis hostibus, in omnia minima intentos, adversus eum quem sublatum cupiunt. Non est dubium accurrisse etiam plurimos, causæ Christi faventes, ut exitum viderent comœdiæ, testes eorum quæ gerebantur, audituri quid possint in hoc facto reprehendere Pharisæi; nam sicut Christus respondit Archisynagogo, Luc. 13: 15. Bovem & Asinũ suum quisq; in sabbatho ducit ad aquas, quod plus habet laboris: & confutati sæpius Pharisæi, non audent Christo salvatori hæc pia opera, Sabbatho facta, in salutem afflictorum, objicere, inf cap. 10: 33. Hæc causa fuit quæ Christum confidentem reddidit ad iteranda in Sabbatho sæpius miracula, frustra strepentibus inimicis: & præterea, quia ex majore eorum tumultu factum magis increbuit, & ad plurium aures pervenit. Exemplum ministris fidelibus imitandum, ut quo magis tumultuentur impij, hoc magis loco illustri, & in hominum frequentia fateantur quod verum est, quamvis odium sequatur.

V. 15. Παλιν. II. Pars capitis, examen & confessio ac

constantia notabilis sanati cæci, coram Pharisæis, salvatoris inimicis: ubi eandem quam antea confessionem edit; verba eadem Evangelista repetit, ut commendet & illustriorem reddat hominis fidem & constantiam. Pharisæi autem omni studio inquirunt, an in hoc facto aliquid possint deprehendere falsum, aut reprehensione dignum. Primum igitur argumentum quo arguit incredulitatem Pharisæorum, est ex fide humana, proprio scilicet testimonio ejus, qui rem ipsam expertus est; cui sine dubio addidit testimonia eorum, qui astiterunt spectatores miraculi. Sic ex relatione Philippi initium fidei accepit Nathanael. sup. c. 1: 45. Ex mulieris sermone de Christo, Samaritani credere incipiunt, quorum fides firmata fuit & absoluta sermone Christi. Sup. c. 4. Ac nequid ad fidem faciendam desit, etiam modum explicat.

V. 16. ἔλεγον. Pharisæi miraculi ac testium evidentia convicti, in partes abeunt; contumaces & indurati calumniam excogitant, & factum miraculum ex violatione Sabbathi metiuntur; unde probant eũ non esse à Deo: hoc est non veram doctrinam de Deo afferre, nec à Deo missum. Sed propositio non est universalis; neque enim omne opus quod fit in Sabbatho legem violat ut dictum est. c. 5. & c. 7: 15. itaq; minor prop. est falsa, quæ dicit Christum non servare Sabbathum. Altera pars est eorum qui ex hoc miraculo confirmati in fide, Christum pro Messia agnoscunt, fateri tamen non audent, ne ejiciantur ex Synagoga. inf v. 22. Peccatorem tamen esse negant eum, per quem Deus hæc Divina opera efficit. τοιαῦτα σημεῖα: tot scilicet & talia, videlicet digito Dei facta, Matt. 12. salutifera, naturæ impossibilia; non qualia facit Diabolus aut venefici, præsti-

ſtigijs & illuſione Dæmonum, quæ Paulus apellat *ſigna & prodigia medacia : in ſeductionem iniquitatis*: 2. Theſ. 2: 9. Peccatorem hic dicunt, non ſicut omnes homines dicuntur peccatores: ſed notorium ſicut publicani peccatores dicuntur; imo ut ſe explicant ipſi cap. 8. qui dæmonitum habet: & Matt. 12. qui in poteſtate diaboli miracula facit: qui ſeducit populum: ſup. 7: 12. quo nomine etiam delatus fuit ad Pilatũ. Luc. 23: 5. Diſſentio itaq; erat; hoc eſt non potuerunt concordare ſententijs, utraq; parte ſuam ſententiam defendente, ſicut inf. c. 10: 20.

V. 17. λέγουσιν. Cum neutra pars cedit alteri, ad cæcum converſi ejus ſententiam exquirunt; rogantes quæ ſit fides ejus de Chriſto. Hic paulatim fidem ſuam exerit ac fatetur eſſe prophetam, ne ſic Chriſtum honore privet, qui etiam hoc nomine notatur à populo, ſup. c. 6: 14. Et, Deut. 18: 15.

V. 18. οὐκ ἐπίστευσαν. Alterum examen miraculi, cum à parentibus cæci ſolicite perquirunt, an fuerit cæcus? Omnem lapidem movent, ut poſſint deperhendere falſum circa hoc miraculum. Mirum eſt quam caliginem inducat mentibus incredulitas, qui enim tot miracula ſuperius à Chriſto facta audiverunt, putant tamen poſſe hic deprehendi fraudem, aut fictum quippiam, à ſectatoribus Ieſu. Quærunt hæc omnia, quæ Evangeliſta breviter perſtringit; an ſcilicet ſit filius eorum, deinde an fuerit cæcus natus? putant id fuiſſe ab ipſis confictum, itaq; ajunt hoc ſic dici ab illis. Tertio quomodo viſum receperit? Reſpondent parentes ad duo priora, de quibus ipſis infallibiliter conſtare potuit, conſtanter affirmantes rem ita ſe habere, nec ullum ſubeſſe dubium: quomodo autem viſum receperit, ſe neſcire

ſcire, cum ipſi ſpectatores miraculi non fuerint; rectius hoc quæri ab ipſo & his qui præſentes factum viderunt. Quæſtio hæc præjudicio gravata fuit, quod etiam intelligunt parentes cæci, ita enim proponitur ut ſignificent ſimul quid ſibi reſponderi velint: videlicet aut cæcitatem hanc fuiſſe ſimulatam, aut Ieſum ipſi viſum non reddidiſſe. Studium enim eorum fuit denegandi hunc honorem Chriſto, aut ſaltem effugio aliquo obſcurandi. Cum autem parentes probe ſcirent ex filij & vicinorum relatione quomodo viſum receperit, tamen teſtari noluerunt, propter odium Phariſæorum erga Chriſtum, ne & ipſi in Chriſtum credere putarentur, & ſynagoga eijcerentur, juxta decretum ſynedrij. Putant ſe etiam ad hujus rei teſtificationem juſte adigi non poſſe, ſed certiorem teſtem eſſe filium, qui cum cæcus fuerit viſumq; receperit, rem prout geſta ſit optime novit: ad juſtam enim ætatem pervenit, & eſt mentis compos, ut teſtari poſſit. Sic videmus in uſu fuiſſe excommunicationem, etiam in veteri teſtamento: quam Chriſtus etiam in novo teſtamento ratam habuit. Matt. 18: 17. Joh. 20. Abuſus autem eſt rei bonæ & ſalutaris, cum ad veram fidem opprimendam adhibetur, ut hic à Phariſæis, & hodie à Romano Pontifice: ut vel hinc appareat, eos qui præſident in Eccleſia, errare poſſe. Parentes hujus cæci, licet ad teſtificandum de his quæ ipſi non viderunt nullo jure adigi potuerint, fidem tamen de Chriſto fateri oportuit, credere ſe ſcilicet, eum Divina virtute præditum ad ſalutẽ hominum; quod quia teſtari non ſunt auſi, itaq; reprehenduntur ab Evangeliſta.

V. 24. *Ἐφώνησαν.* Tertium examen, denuo inſtitutum cum cæco, in quo conſcientiam hujus cæci excutiunt, cum atte-

attestatione nominis Divini de cujus gloria hîc agitur; hortantur ne quid falsum affirmet nec quincquam celet, in cujuscunq; hominis gratiam, hîc in judicio constitutus, cui Deus præsidet, qui est secretorum conscius, & vindex omnis malitiæ & fraudis. Ipsi verò dum de Dei gloria solliciti videri cupiunt, interim omni conatu mituntur gloriæ filij Dei nebulas obducere: non Dei gloriam quærentes sed propriam, sup. c. 5: 44. Argumentum ducunt à blasphemia quam ipsi adversusChristum confinxerunt, peccatorem eum esse, hoc est, seductorem, habentem Diabolum, blasphenum, qui se facit æqualem Deo cap. 5: 18. & 10: 33.

V. 25. Ἀπεκρίθη. Respondet cæcus & primo à se reijcit judiciũ de vita ac doctrinaChristi, quod ipsũ alijs majore doctrina & scientia præditis concedit: deinde, ostendit se tum dare gloriã Deo cũ cõstanter prolata veritate, fatetur quod res est, rem scilicet à se expertã & visam, cognitione infallibili. Quod nisi faciat, non datgloriam Deo, sed detrahit.

V. 26. Εἶπον. Non habent inimici quod quærant ulterius, itaq; incipiunt cum tædio eadem repetere, & mira cum anxietate rimari omnia, ut tandem ab homine simplici aliquid exprimant, quo miraculnm & gloria Christi obscuretur. Ille verò ex hac importunitate impatiens, cum antea simplici veritatis explicatione responderit, quantum ad veritatem satis esse putabat; nunc per ironiam retorquere incipit, ut molesti esse desinant. Et primo suspectam facit curiosam hanc quæstionum repetitionem, & importunam diligentiam: deinde invidiosam ipsis quæstionem regerit, & non obscure innuit, se velle Christi discipulum fieri; conjunctiva particula καὶ ὑμεῖς, quærens an illi eidem fidei se adjungere cupiant, quod tamen minime facturos no-

vir. Sic cum vellent ipsi fidem Christi adimere, ille robustior in fide factus, fidem suam magis ostendit nec eorum autoritate aut potentia movetur. Illi itaq; audacia hominis commoti incipiunt convitia regerere; & non sine minaci vultu & animo, ipsum disciplinæ Christi relinquunt, quæ ei aliquando parum sit profutura. Deinde, ne sine ratione quippiam dicere videantur, opponunt inter se doctrinam Christi & Mosis, docentes doctrinam Christianam esse quandam defectionem à Mose; in qua opinione in hodiernum usq; diem omnes Iudæi persistunt, non intelligentes religionem Mosis, & fidem non consistere in legis & rituum observatione; sed in fide promissionum ad patres, de Messia, in qua sola fit remissio: sicut explicat Apost. Heb. 9 & 10. Contra remittit Christus eos ad scripturas sup. c. 5: 39. & ad Mosen, qui de Christo vaticinatus est, ibidem v. 46.

V. 29. Ἡμεῖς. Deinde autoritatem Mosis & Christi conferunt; illum dicunt habere autoritatem à Deo, quia Deus loquutus est ei, audientibus Israelitis omnibus; cum in monte Horeb acciperet legem: quæ est autoritas infallibilis, & missio Divina, citra ullam exceptionem. Hac Mosis autoritate utitur Salvator ad suæ autoritatis ostensionem, ut dictum est: nihil itaq; obstat ea autoritati Christi, sed eam confirmat, quia omnia vaticinia Mosis in Christum quadrant. Hunc vero, Christũ scilicet, nesciunt unde sit: hoc est, unde habeat autoritatem, vocationem aut missionem. Objectio est similis illi papistarum de vocatione Lutheri, quibus quamvis clare constat, eum ordinaria vocatione pervenisse ad munus docendi, & juramento astrictum, ut doceat recta & vera juxta verbum Dei, & errores refellat, tamen inepta de vocatione ejus quærunt. Postquam enim de-

demandatum ei erat officium docendi vera, juxta ſcripturas, jam recte facit ipſe ; cum ex Scripturis errores taxat, etiam eorum, à quibus fuerat ordinatus. At, ſicut Lutherus ipſe putat & objicit papiſtis quod non fuerint veri miniſtri. Non hinc ſequitur ordinationem eorum non eſſe veram ; nam & baptiſmus eorum non eſt irritus, ſic nec ordinatio: ſed hic tenendum eſt illud ſalvatoris, Matt. 23: 2. Accepta enim ordinatione & miſſione ad opus miniſterij, non expectat Lutherus mandata hypocritatum, ſed accipit ea à Deo & verbo ejus, quod nos *poteſt erudire ad ſalutem.* 1. Tim 4: 16. & 2. Tim. 3: 15. Unde vero Chriſtus vocationem & ordinationem habeat, ſupra dictum eſt: teſtatur Iohannes, homo magnæ autoritatis, & plus quam Propheta : ſup. c. 2: 26. & ſequ. teſtatur Pater cœleſtis voce ſua de cœlo, in baptiſmo, & iterum in clarificatione Chriſti: teſtatur inſuper cooperando miraculis Chriſti ſæpiſſime, & in hoc cæco.

V. 30. Ἀπεκρίθη. Itaq: cæcus recepto viſu, jam magna cum confidentia in ipſos invehitur, & cumulo argumentorum eos obruit, qui hoc veritatis pondere preſſi, quod amplius excipiant non habent. 1. Miratur eorum ſive ſtupiditatem, ſive negligentiam, vel potius contumaciam ; quod quis ſit, aut unde ſit is non inquirant, & qua poteſtate tanta miracula faciat ; vel ſi intellexerint, quare non credant ; aut quæ ſit hujus contumaciæ cauſa, ut cum videant manifeſtum miraculum hoc, ab ipſo factum, tamen non velint factum credere? Et mirum eſt ſane, homines tantæ ſcientiæ & autoritatis, hæc intelligere non poſſe, ac notare in ſeipſis, cum intelligat homo infimæ ſortis, idiota : quaſi dicat; cæcum oportet eſſe eum qui hæc non videt: non poſſe eſſe, ſcilicet hanc virtutem ab homine.

V. 31. οἴδαμεν. Unde hîc homo ſimplex tria argumenta validiſſima accumulat. 1. Quicumq; à Diabolo percitus falſa docet, impoſtor & ſeditioſus eſt; huic Deus non cooperatur in faciendis miraculis, quæ ſola virtute Divina fiunt: At huic Ieſu Deus cooperatur; Ergo non eſt peccator. 2. Quicunq; Dei voluntatem facit eumq; colit & timet, hunc Deus exaudit, nam *voluntatem timentium ſe faciet* Pſ. 145: 18. & Pſ. 34: 16. Lev. 26. Deut. 28. Unde ſic arguit: Quicunq; à Deo exauditur & juvatur, in miraculorum operione, hic ſine dubio Dei cultor eſt & à Deo miſſus: At Chriſtus exau ditur &c.

V. 32. ἐκτοῦ. 3. Tacitæ objectioni occurrit: dicant enim Multi ſunt qui operati ſunt miracula, & tamen Meſſiæ nomen non ſunt adepti? Reſpondet ille: miraculum hoc tale eſt, ut huic ſimile dari non poſſit, ab exordio mundi. Concludit itaq; cum Nicodemo ſup. c. 3: 2. Niſi à Deo eſſet, non poterat facere quicquam: cui concluſioni etiam argumenti vis ineſt: qualis in verbis Iohannis Baptiſtæ; ſupra, c. 3: 31 ὁ ἄνωθεν ἐρχόμενος. &c. Et contra? *Qui exiſtit è terra, de terra eſt, & de terra loquitur.* &c. Diſcrimen hoc eſt, inter Chriſtum & ſanctos. Habuimus itaq; in his dictis XV.
X.V. Argumentum confirmationis. Qui facit opera nturæ impoſſibilia, quæ ſine virtute Divina fieri nequeunt, ille à Deo eſt, ſeu per ejus aſſiſtentiã agit: Chriſtus homini à nativitate cæco viſum reddidit. E. item Qui auxilio & vocatione Divina deſtituitur, non poteſt quicquam Divinorum operũ efficere: At Chriſtus talia opera efficit, hominibus ſcilicet, ipſi etiam Diabolo impoſſibilia. E.

V. 34. Ἀπεκρίθησαν Exitus concertationis hujus erat, ut Phariſæi argumentis & veritate victi, cum non haberent

quod

quod regererent, rei quippe evidentia constricti: more suo & omnium potentum impiorum, ad convitia & vim convertuntur, & miserum damnatum ejiciunt ex ecclesia. Totum in peccatis natum dicunt; hoc est, ab utero matris peccatorem & damnatum, propter ignorantiam legis. Sic enim loquuntur de turba promiscua, ignorante legem: sup. c. 7: 49. Cum ipsi interim scientia legis inflati, putarent se legis operibus salutem mereri, & esse perfectos. Intolerabilem putant audaciam, si ipse velit Pharisæos, homines sanctos, & in legis scientia magistros, ipse peccator & ignarus in rebus Divinis informare.

V. 35. Ἤκουσεν. III. Pars capitis in qua Christus excommunicatum à Pharisæis, erigit, & ad pleniorem Messiæ cognitionem deducit. Quærit an credat in filium Dei? Ubi notandum est aliud esse credere Deum esse; credere Deo loquenti; & credere in Deum; hoc est plena fiducia in ipsum ferri. August. tract. 29. in Joh. Credit ille quidem Iesum esse à Deo missum, Prophetam, cui assistit Deus, in doctrina & operibus, atq; hanc thesin adversus Pharisæos acriter defendit: sed ipsum esse Messiam, aut filium Dei, ipsi non dum satis constitit: usq; dum Christus se eundem esse declarat, quē ipse sibi loquentem videt. Sic opere ipso præstat salvator, quod verbis docuit, superius: c. 6: 37. *venientem ad se non ejicit foras*: sed vexatum injurijs potentum erigit, inq; fide confirmat, & absolvit. Ipse verò edoctus veritatem, sine hæsitatione, Christum Deum agnoscit & adorat; fidem & intellectum verbo subijcit, nec quærit quomodo fieri queat, ut homo naturalis possit esse filius Dei.

V. 39 Καὶ εἶπεν. Usum ostendit Christus facti miraculi, & ab oculorum illuminatione deducit ipsum ad illumina-

tionem mentis; oſtendens finem miraculorum eſſe, ut pellatur cæcitas mentis, & illuminetur ſcientiâ voluntatis Divinæ, ad hominum ſalutem: in cognitione Dei, & voluntatis, ac decreti æterni de reparatione generis humani. Sic cæcus; ſic Regulus; ſup. c. 4: 53. credidit, viſo miraculo, & accepto beneficio. Ut autem multi cæci fiant, cauſa non eſt per ſe adventus Chriſti, qui venit ſalvare quod perierat. Matt. 18: 11. Nec venit ut judicet mundum. ſup. c. 3: 17. fit enim id per incredulitatem hominum, & per accidens, quia magis amant tenebras quam lucem: itaq; verbum Evangelij in illis ad ſalutem non eſt efficax. Altera cauſa eſt in Iudæis quia venditant ſcientiam, propriam, & juſtitiam Dei ignorant, Rom. 10: 3. Rom. 1. & 2. itaq; manet peccatum eorum, & non remittitur, quia rejiciunt media: Chriſtum ſcilicet & fidem ejus, per quæ media Deus conſtituit ſalvare credentes. Venit itaq; in mundum, judicans & diſcernens inter credentes & incredulos, fideles & contumaces; Spiritu ſuo arguens mundum de peccato, quia non credunt in ipſum. Infra. c. 16: 8.

C A P. X.

Progreditur Salvator ulterius, probando ſe eſſe Meſſiam, à Deo miſſum Salvatorem mundi, paſtorem verum, omnium credentium in ſe. Id declarat ſimilitudine paſtoris & ovium, ex natura veri paſtoris, poſſeſſoris ovium: & contrario paſtore mercenario. Dinde in ſecunda parte cap. idipſum confirmat ex miraculorum operatione. Continetur itaq; in hoc cap. XVI. Argumentum, quo probatur
XVI.
Chriſtum eſſe Meſſiam. Similitudinem adhibet maxime illuſtrem, uſitatam in veteri teſtamento & novo; David in pſal-

psalmis sæpius eam adhibet, præcipue ps. 23. Prophetæ etiam frequenter.

V. 1. Ἀμὴν. Propositio argumenti bimēbris ex natura ingressꝰ pastoris falsi: seu breviter de vocatione legitima. Verus pastor per januam intrat: hoc est per legitimam vocationē, aut successionē ingreditur: sicut Aaron; Heb. 5: 4. Ut appareat omnibus introitum esse legitimū: afferens doctrinā Divinitus patefactū. Contra, fur rimas quærit, clam per tectū irrumpit, aut per aditus occultos, vetitos: quorū sunt socij illi, qui ambitione, dolo aut fraude artibꝰq; illicitis, largitione, qui adulatione, vana pollicitatione, simulatione ad munꝰ docendi aut ad officia publica in Ecclesia perveniūt.

V. 3. Τούτῳ. 2. Nota: cuicunq: ostiarius aperit; is scilicet, cui Dominus ovilė custodiendum commisit, ut certus sit in conscientia, noverint etiam alij, Divinitus ipsum intromissum in ovile, ut sit pastor, ne quid desit ex requisitis ijs, quæ vocationem legitimam faciunt, quibus demptis, vocatio nequit esse Divina. 3. Jn quo est doctrina vera, ac mutuus amor pastoris, & ovium, ut possit cum obedientia & spontaneo motu, commissum gregem regere; ad quod requiritur etiam singulorum notitia, proveniens ex assidua cura de salute auditorum. Non audiunt verò vocem pastoris hæretici seductoris, qui doctrinam affert à verbo Dei alienam, nisi forte impij, quibus pruirunt aures 2 Tim. 4:3.

V. 4. Καὶ ὅταν. 4. Præit doctrina primum, deinde facto idipsum exprimit, & est *typus gregis*, sicut loquitur Pet. 1. Ep c. 5: 3. Paulus, 1. Tim. 4: 12. Et Heb. 2: 1. jubet Apostolus *considerare pontificem confessionis nostræ*. Et c. 12: 2. *autorem fidei qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem*. Quatuor his requisitis Christus descripsit proprietates veri pastoris, similitudi-

tudine seu παροιμία, ut habet textus: quam quidem Pharisæi non intellexerunt, puta, quid hac parabola designare vellet: dubitant itaq; de applicatione, an illis, an verò sibi vellet veri pastoris laudes tribuere. Superiore enim capite disputatum fuit, inter sanatum cæcum, & pharisæos, sitne Christus à Deo missus, an à Diabolo? ubi Pharisæi ad Mosen provocant, cujus se esse discipulos profitentur: ideoq; veros religionis magistros; Christum verò impostorem, seditiosum & seductorem, quales aliqui ante visi sunt in terra Judaica, sicut indicat Evangelista Act. 5. Itaq; Salvator hac discriptione præmissa, veri pastoris & mercenarij, loco propositionis majoris, continuat disputationem, & ex præmissis concludit 1. se esse ostium per quod veri pastores ingrediuntur in ovile.

V. 7. Εἶπεν. Sola enim in Christum fides, ac fiducia meriti ejus, aperit viam in ecclesiam Dei; juxta præcedentes promissiones patribus factas, de quibus scripsit Moses: sup. c. 5: 46. & cap. 7: 17.

V. 8. Πάντες. Cæteri qui Messiæ nomen sibi tribuerunt, neq; à Deo vocati erat, neq; vera docuerunt; & quamvis sectatores aliquos invenerunt, tamen ab ecclesia fidelium non fuerunt recepti, sed ut seditiosi, & propria quærentes, dissipati sunt & perierunt: sicut de Theuda & Juda Galilæo loquitur Gamaliel; Act. 5: 34.

V. 9. Ἐγώ εἰμι Deinde; qui fidem Christi sectatur, non solum salvabitur in æternum, sed securus in tranquillitate conscientiæ, ac gaudio spirituali vivet & satutabitur in hac vita; juxta promissionem Christi, Matt. 7: 24. & Luc. 18: 30. distinguit inter spiritualia bona hujus seculi. & vitæ futuræ. Sic Mar. 10: 30. Et hæc sunt salutaria fidelium animarum pascua.

V. 10.

V. 10. ὁ κλέπτης. Tertio probat à salutari effectu ac fine suæ doctrinæ,& opposito fine pessimo,doctrinæ falsæ, pseudodoctorum: Christus venit salvare quod perierat: Matt.9: 13. 18: 11. Luc. 9: 53. Joh. 3: 17. inf. 12: 47. ut abunde consolatione, informatione, gaudio fruantur in hac vita: abundantius verò in futura: Contra, falsi doctores suam utilitatem quærunt, ovium curam exiguam habent, nisi fortasse pro forma, ut videantur tales: suam verò utilitatem præcipue intendunt: cum auditorum oppressione, damno & contumelia: sicut eos describit Apostolus, 2. Cor. 10: & 11: 18.

V. 11. Ἐγώ εἰμι. 2. Ratio, qua se probat esse pastorem illum bonum, promissum scilicet patribus & expectatum, (quod indicat geminatus articulus, ὁ, singulare quid denotans.) quia vitæ suæ non parcit, sed mortem perfert pro salute ovium; quæ est quinta nota veri pastoris. Mercenarius contra, imminente periculo fugit; ovesq; suæ fidei commissas deserit, & exponit prædæ tyrannis & diabolo ac seductoribus: de quibus Sp. sanctus gravissime conqueritur; Jer. 23. *Væ vobis pastoribus qui disperditis gregem commissum: &c.* Ezech. 34: 2. *væ pastoribus Israel, qui pascunt seipsos:* &c. A quibus cavere jubet Christus Matt. 7: 15. Sic qui antea Messiæ honorem sibi usurparunt, nihil utilitatis fidelibus præstiterunt, sed eos seductoribus & tyrannis male tractandos reliquerunt.

V. 13. Καὶ οὐ μέλει αὐτῷ περὶ τῶν προβάτων; quippe cum propriam autoritatem, utilitatem eminentiã curet præcipue, ut dominium exerceat in gregem,ut notat Petrus, & prohibet, 1. Pet. 5: 3.

V. 14. Ἐγώ. Subjüit de se Christus, repetitis breviter notis

præcipuis, oſtendens ideo ſe eſſe paſtorem illum promiſſum, articulo ὁ iterum bis iterato: 1. quia, ut dictum eſt ſuperius, v. 3: cognoverunt eum oves & audiunt vocem ejus, & ipſe cognoſcit eas, & quidem intime; ſicut pater Chriſtum filium novit; & viciſſim. Non eſt verò patris & filij notitia, huic mutuæ notitiæ Chriſti & ovium per omnia ſimilis; illa enim eſt eſſentialis, propter eſſentiæ identitatem, ut dictum eſt, ſup. c. 1: 19. *Deum nemo vidit unquam:* &c. *Cap. 5: 30. Non poſſum á me facere quicquam, ſicut audio judico. cap. 8: 16. & 38 item Matt. 11: 27. Nemo novit patrem niſi filius*: &c. Similis tamen eſt ratione mutuæ dilectionis, quæ cognoſcitur ex paſſione, quam Chriſtus ſuſtinuit pro ſuis; ex doctrina & ſignificatione paternæ dilectionis, & voluntatis ac conſilij de ſalute noſtra, ex bonis quæ fidelibus communicat, in hac vita & futura, ſicut pater omnia ſua communicat. Iterum Eccleſia Chriſti mentem novit *Nos mentem Chriſti tenemus*, 1. Cor 2: 16. Et 1. Joh. 5: 20. *Dedit nobis ſenſum, ut cognoſcamus verum Deum.* Et Luc. 24: 45. *Aperuit illis ſenſum, ut intelligerent ſcripturas.* Beneficia quoq; ſibi à Chriſto præſtita intelligit: 1. Joh. 5: 1. itaq; Deum diligit, ſicut filius patrem, & contra: ideoq; verè fideles ſanguinem profundunt, propter dilectionem Dei & fratrum, caritate id flagitante. 1. Joh. 3: 16, *In hoc cognoſcimus caritatem Dei, quoniam animam ſuam pro nobis poſuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Chriſtus præterea patri fuit obediens usq; ad mortem, Phil. 2. Eccleſia viciſſim Chriſto.

V. 16. Καὶ ἄλλα. Ne quis hinc inferat, ſolos Judæos eſſe oves Chriſti, itaq; paullum digreditur & vaticinatur de vocatione gentium, fore ut & illi ad ſalutis cognitionem vocentur, fiatq; ex utriſq; una Eccleſia, juxta vaticinum E-

ſa.

ſa. c. 11. 10: & c. 60:3. De ea agit Ap. Rom. 9: 25. 10. 11. Gal. 4. Exemplo Sara & Agar uxorum Abrahami; Eph. 3: 14 cum *soluto pariete medio, ex duobus fecit unum.* Complevit hoc vaticinium Chriſtus, cum emitteret diſcipulos ſuos in univerſum mundum. Mar. 16:15. cum apparuit Petro: Actor. 10: 15.

V. 17. Διὰ τοῦτο. Infine hujus diſputationis nova ratio additur qua probat ſe eſſe Meſſiam videlicet ab ordinatione Divina, quia Deus juſſit: itaq; ex decreto Dei. Ταύτην τὴν ἐντολὴν ἔλαβον. Præmittit vero conditiones & cauſam primam, videlicet ſpontaneum affectum ſuum & voluntatem liberam, qua decrevit ipſe mori pro ſalute hominum voluit etiam & mandavit pater; patris igitur & filij una erat & conſentiens voluntas, ut mitteretur filius: filius obtemperat. Phil. 2. ſubjiciens ſe morti; Heb. 12: 2. non coactus, ſed volens. Quis enim Deum cogeret? Ex quo patet ineffabilis dilictio Dei erga nos; ſicut eam miratur Apoſtolus Rom. 5: 8. Eph. 2: 4. Non eſſet autem in poteſtate hominis ponere, & iterum reſumere animam: non enim poteſt homo ſua virtute ex mortuis reſurgere; quod tamen cum Chriſtus efficeret, non ſolum reſurgens ipſe, ſed ſecum fideles plurimos ad vitam revocaret; Matt. 27: 52. hinc fit manifeſtum Divina virtute & potentia eum fuiſſe præditum. Dilectio etiam patris hinc apparet, qui filium diligit, & nos in ipſo. Eph. 2: 6. Illum diligit pater primo naturaliter, propter eſſentiæ identitatem, caritate ineffabili; deinde propter obedientiã, quod aſſumpta forma ſervi ſe exinanivit, mortemq; pertulit, quæ obedientia habens rationem meriti, ipſi peperit æternam gloriam, nobis verò ſalutem.

V. 19. Σχίσμα Effectus varius concionis Chriſti deſcribitur, prout variè affecti ſunt auditores: alij enim dicunt,

verba esse hominis insani, dæmonium habentis, ut sup. cap. 8. Itaq; non esse audiendum. Hac calumnia Christum traducunt, ut persuadeant multitudini eum à furijs Diabolicis agitari, nec rationis esse compotem: quæ calumnia tantum invaluit, ut etiam domestici Christi in eam sententiam aliquando fuerint inducti. Mar. 3: 21. Et Festus adversus Paulum exclamat: *Insanis Paule*. Act. 26: 24.

V. 21. Ἄλλοι. Altera pars contra, evidentibus argumentis docet, neq; verba, neq; opera esse Dæmonium habentis, aut insani: nam quæ de bonis malisq; pastoribus est loquutus, rationi sunt consentanea, & reliqua doctrina pia: miracula salutaria, & talia, quæ diabolus facere non potest ut cum aperuit oculos cæci, quod sine virtute Divina fieri nequit. Unde tacite concludunt ipsum esse Messiam, sicut sup. 7: 31. *Christus cum venerit, num plura miracula faciet?* Est itaq; in ipso virtus sublimior, quam quæ in creaturam cadere potest.

V: 22. Ἐγένετο. II. Pars cap. in qua iteratur disputatio superior, & Salvator contra Judæos argumentum exmiraculis desunptum urget, quo probat se esse à Deo. Ἐγκαίνια, innovationem seu renovationem significat. Usitata consuetudo erat Judæis, ut cum insigni beneficio à Deo sunt affecti, diem in quo id contigit quotannis cum festivitate celebrarent. Consuetudo deducta fuit à die Paschæ & Pentecostis, quorum prior ob memoriam liberationis ex Ægypto, alter latæ legis memoria sacer erat: hic sine dubio extructi aut reparati templi, cultusq; Divini redditi memoriam populus recoluit; quæ cepit sub Maccabæis, 1. Macc. 4: 55 Sive ea quæ, Esr. 6: 16. Veri simile tamen putant interpretes, ultimam eos celebrasse purgationem templi

pli post profanationem factam sub Antiocho, hyemis tempore circa solstitium hybernum.

V. 24. ἐκύκλωσαν. Pharisæi & Judæi concursu facto Christum circulo facto urgent, & cum ipso expostulant, quod non clare profiteatur se esse Messiam liberatorem, sed eos suspensos teneat; ut suspenso ac perturbato animo, nesciant quid sit statuendum; culpam hujus dubitationis, in ipsum rejicientes: se verò credituros simulant, verbis clare profitentis alterutrum. Quæstio hæc Salvatori proposita fuit in templo, in porticu Salomonis, ubi sacra tractabantur, in frequentia eorum quibus religionis cura commissa fuit, ut serio rem geri existimes. Quò autem fine id quæsierint, eventus docuit: testimonium enim quod de se Christus dicit rejecerunt, sup. c. 8: 13. Et cum ipsum adjurat pontifex, ut dicat in judicio, an sit Christus filius Dei, & affirmaret Salvator, adjiciens visuros eós idipsum in adventu eius ad judicium; exclamat Pontifex & confessionem ut blaspemam execratur. Matt. 26: 63. Venantur itaq; verba, quæ torquere possint ad ejus interitum: illi enim Messiam Regem putant terrenum, quo nomine postea Christum ad Pilatum deferunt, quod Regnum ambiat, & seditionem moveat adversus Cæsarem.

V. 25. Ἀπεκρίθη. Respondet Christus exprobrando incredulitatem eis, qui idem sæpius dicenti non credunt. Deinde iterum ad operum suorum experimentum eos remittit, ut sup. c. 5: 17. & 36. ubi ostendit, ex facto miraculo, eandem se habere cum Patre operandi potentiam.

V. 26. Ἀλλ' ὑμεῖς. Tertio causam incredulitatis profert, voluntariam eorum aversionem, cum clarissimæ doctrinæ Christi fidem derogent, quantumvis eam ex vaticinijs pro-

phetarum deducat, & insuper miraculis confirmet: non sunt itaq; de ovibus Christi: quorum proprium est vocem ejus audire, credere, Christum imitari, quæ obedientia cedit ipsis in salutem ac felicitatem æternam. *Nec rapiet eas quisquam de manu mea*: ostendit non posse neq; Diabolum, neq; tyrannos, neque Pharisæos, salutem fidelium impedire, aut Ecclesiam Christi destruere quicquid moliantur: rationem addit, quia consilium hoc est Patris cœlestis, de salute credentium; quod prædixit David Ps. 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Si enim constituit Deus credentes in Christum salvare, eosq; in fide perdurantes à potestate Diaboli & impiorum protegere, suam Ecclesiam usq; in finem conservare, quis ei resistet, aut vi ulla poterit evertere Ecclesiam? *Pater enim qui dedit mihi*, (sic enim textus græcus habet ad verbum,) *major est omnibus*; potentia, virtute, bonitate, scientia: filius autem unum cum patre & potentia æqualis: ne quis putet filij potentiam in tuendis ovibus nullam esse, aut minorem potentia patris. Argumentum hoc merito impios absterreat, ne conspirent adversus Deum; ne conterat eos virga ferrea, Ps. 2: 9. sed admittant informationem. At videmus plurimos perire? Respondet Theophylactus: *Rapere quidem nullus potest de manu patris. decipere autem multi:* & iterum; *videmus enim quod Iudas perierit, sed propter hoc perijt, quia non sequutus est, nec ovis mansit usq; ad finem.* Et Paulo post: *Vertibilis voluntate, sua sponte excidit.* Loquitur hoc loco Salvator contra violentiam Judæorum, qui vi manifesta, & callidis consilijs putant se posse Iesum tollere, & Ecclesiam ejus destruere; quod consilium manifeste prodit pontifex, & approbat Caiphas, inf. c. 11: 46. Intelligunt Iudæi,

dæi, Christum se æquare Patri in potestate propter identi tatem naturæ, itaq; sublatis lapidibus in furorem versi, morte vindicandam putant hanc blasphemiam. Hoc præjudicio occupati, Christum vera dicentem etiam ad necem condemnant. Matt. 26: 95. Irascuntur tantopere hoc loco Judæi, quia frustrati spe deprehendendi quicquam ex verbis Christi, quod ad Pilatum deferrent, intelligunt Christũ persistere in sententia, quod sit filius Dei & Messias promissus.

V. 32. Ἀπεκρίθη. Respondet Salvator & obtendit opera quæ fecit, virtute Divina, sine qua talia efficere non potuisset, *circuivit enim totam Galilæam, sanans omnem languorẽ, & omnem infirmitatem in populo.* Matt. 4: 23. Horum beneficiorum memores esse eos oportuit, & aliam mercedem rependere. Ingratitudinem itaq; ipsis obijcit; & Judæi negare non possunt, sanatos fuisse plurimos, sicut fatetur Nicodemus sup. c. 3. Et Pontifices, cap. 11. *Hic homo multa signa facit.* Ideoq; & hi paullum, reprimuntur, & incipiunt cum pudore causam facti sui reddere. Nam cum Deus in lege jubeat blasphemos punire morte; quod intendere videtur lege. Lev. 24: 13. Core, Datan, Abiron, quia blasphemarunt, terræ hiatu absorpti sunt. Num. 16: 30. Itaq; se quoq; putant Christum justè interficere posse, qui cum sit homo, dicat se esse filiũ Dei, & Deo æqualem. Sic Christus cum æternũ se esse profiteretur, Judæi offensi etiam ad lapides prosiliunt, sup. cap. 8. *Facis teipsum Deum*, ajunt: hoc est, tibi attribuis, quod Deus non tribuit; cum tamen Christus ex operibus id antea satis probasset.

V. 34. Ἀπεκρίθη: Hunc eorum errorem Salvator duplici responsione refellit. 1. Ostendit in scripturis & lege non esse

esse absurdum, homines dici Deos: videlicet judices, Exod. 21: 6. & 22: 8. 9. & 28. *Producent eum coram Dijs*. Et principes, ps. 82: 2. & 7. *Ego dixi Dij estis*, & filij altissimi unde argumentum ducit: Quem hominibus peccatoribus scriptura honoris titulum tribuit, sermone Dei patris, is sine blasphemia rectius tribuitur filio, ratio consequentiæ est, quia ipse est verbum patris, qui hunc honorem hominibus contulit; & loquitur in scripturis, ut explicat Thephy. Deinde quia Pater ipsũ sanctificavit, ut esset Rex & Sacerdos in æternũ, secundũ ordinẽ Melchizedech. Ps. 110. Egregiè Chrysostomus hom. 37. in c. 5. Ioh. *Altiora loquitur, ut paterna autoritate illos perterreat*. Et: *Cũ de Sabbathi trangressione disceptaretur, nõ ut tantũ homo, neq; ut tantum Deus; sed alterutrũ commiscendo, objecta confutat: voluit enim ut utrumq; crederetur, & incarnationis humilitas, & excellentia Divinitatis*. Sanctificavit pater filiũ, ut esset Messias, redemptor hominum à peccatis, salvator omnium credentium; itaq; Christus dicitur à Deo unctus in hunc finem, *oleo lætitiæ præ consortibus suis*. ps. 45. & Ioha. 3: 34.

V. 37. Εἰ οὐ ποιῶ. Altera responsio, ad objectam blasphemiam, qua roborat priorem responsionem: dicerent enim Iudæi κρινόμενον esse, quod de se subsumit Salvator; se videlicet à Deo sanctificatũ esse ut esset Messias; rationẽ ducit ab operibus. Tanta enim multitudine miraculorum & Divinorum operum, divinam suam potentiam demonstravit, in Galilæa ac Iudæa adeoq; Ierosolymis, ut nemini dubium esse possit ipsum à Deo missum esse, ad salutem generis humani, ac eandem cum Deo patre potentiam habere, & esse Deum; quia Divina opera efficit, qualia nulla creatura efficere potest.

V. 39. Ἐζήτουν. Conclusio hujus historiæ, & eventus hujus

jus diſputationis diverſus. 1. Increduli & contumaces, indurati, comprehenſum eum cupiunt in cuſtodiam tradere; deſiderio flagrant, poteſtate non carent, adſunt enim ſemper miniſtri & apparitores : habuit namq; templum eos ſemper præſentes. Chriſtus verò uſus poteſtate ſua, oſtendit in poteſtate ſua eſſe, ponere animam & reſumere; exivit per medium eorum : cum jam manibus eorũ teneretur.

V. 41. Καὶ πολλοί. 2. Alij teſtimonio Iohannis & vaticinijs permoti crediderunt in eum: partim etiam propter opera quæ fecit Chriſtus, prædicente Iohanne, ſup. cap. 3. & quod ipſum oporteat creſcere; &c. v. 30.

C A P. XI.

IV. Pars hiſtoriæ Evangelicæ continet peregrinationem Salvatoris ex Judæa in Galilæam ut dictum eſt cap. præcedente v. 40. quo ſpectare videntur quæ Lucas Evangeliſta commemorat à v. 31. capitis 13. uſq; ad reditum in Iudæam, cum Luc. 19. iterum ingreſſus eſt Ieroſolymam. Quæ quidem, ut ab alijs tractata, Iohannes omiſit ut, ſupra dictum eſt: ſuntq; acta ultimi anni miniſterij Chriſti, quæ Lucas deſcripſit, & Iohannes uſq; ad quartum Paſcha, cum lotione pedum, & his quæ capite 11: 12. & 13. Iohannes commemorat.

Tres ſunt hujus capitis partes; In I. parte deſcribitur morbus ſeu ægritudo Lazari & mors, cum circumſtantijs alijs. In II. ut à Chriſto vitæ reſtitutus fuerit III. Deſcribitur conſultatio Pontificum de tradendo Chriſto in mortem. Illuſtria fuerunt miracula quæ Chriſtus Ieroſolymis edidit, primo in ægro decumbente ad piſcinam, ſup. c. 5. & in cæco. cap. 9. Hoc poſtremum autem,

magnitudine ſua reliqua omnia ſuperat, & Divinæ potentiæ in Chriſto argumentum eſt evidentiſſimum, quod fateri coacti fuerunt etiam hoſtes. v. 47. Matthæus Evangeliſta addit, Ieſum Ieroſolymam ingreſſum, plurima miracula feciſſe in templo: *Acceſſerunt*, inquit, *ad eum cæci & claudi in templo, & ſanavit eos*: cap. 21: 15. Et eſt argumentum in ordine XVI. quo probat Evangeliſta Chriſtum eſſe Meſſiam.

XVI. V. 1 Ἦν δέ τις. Prima Pars cap. Lazarus frater Mariæ, quæ unxit pedes Domini; inf. c. 12: 3. & Marthæ. Horum caſtellum dicitur Bethania, ſive ortu & inhabitatione, ſive poſſeſſione: familiam enim hanc fuiſſe opulentam patet, ex reſpectu eo, quem habuerunt apud Judæos, inf. v. 19. & cœna ſumptuoſa Chriſto exhibita, infra, cap. 12: 2. Ubi neq; precioſiſſimis unguentis parcunt; qui luxus erat opulentorum hominum: etiam ex converſatione Chriſti, quem ſæpius hoſpitio excipiunt, cum comitatu non minimo. Luc. 10: 37.

V. 3. Ἀπέστειλαν. Converſationis hujus & beneficentiæ confidentia effecit, ut fratris afflictionem Chriſto procul in Galilæa agenti ſignificarent. Amor qui Chriſto cum hac familia interceſſit, ex pietate originem duxit, alias enim non fuiſſet tanta inter ipſos & Salvatorem neceſſitudo; apparet etiã ex diligenti acuſultatione verbi, quæ Mariã cõmendat, Luc. 10. Beneficentia quoq; & favor quo Chriſtum & diſcipulos complectebantur, evidens erat ſinceræ fidei in illis argumentum. Pia cura ſororum erga fratrem eas movit, fides etiam in Chriſtum, ſibi amiciſſimum, quem noverunt Divina potentia morbos curare poſſe, alijs hominibus incurabiles. Modeſta erat & implicita petitio; quia non fuerunt auſæ ſalvatori quicquã præſcribere, cujus arbitrio vitam & incolumitatem fratris commiſerunt. V. 4.

V. 4. Ἀκούσας. Reſpondet Chriſtus ſororum nuncio, & declarat finem quem Deus intendit hac infirmitate Lazari, non ut mortuus pereat & in terra putreſcat, ſed ut declaretur & innoſcat hominibus Divina potentia Filij Dei. Extenuat autem languorem & mortem Lazari, quaſi non morituri, quem grandi omnibusq; conſpicuo miraculo, mox vivum ſororibus ſiſtere decrevit. Mora autem illa, mortis & ſepulturæ, qua ſpem vitæ ſororibus defuncti omnem ex hauſit, facit ad probationem fidei in illis: miraculum vero ipſum mirifice illuſtravit, quo magis incredibile viſum fuit, poſſe ad vitam revocari eum qui putredini proximus in quartum uſq; diem in ſepulcro recubuit: hinc virtus Divina in Chriſto fit omnibus conſpicua; & inimici fatentur; infra, v. 47. Teſtimonium perhibente turba eorum, qui ſpectatores erant miraculi, infra, c. 12: 17. Vera autem omnium afflictionum cauſa eſt peccatum, juxta ſententiam quam pronunciat Deus in paradizo, *Morte morieris*, & ex ſententia legis, *Maledictus omnis*, &c. Deut. 27: 26. *Non eſt autem homo in terris qui non peccat.* 1. Reg. 8. Itaq; & Lazarus peccavit. Pœnam itaq; quampeccato promeruit Lazarus, Deus dirigit ad ſuam gloriam, & ad manifeſtandam Divinam potentiam Chriſti. Atq; ſic accipienda ſunt verba Chriſti de cæco; ſup. cap. 9: 3.

V. 5. Ἠγάπα. Iterum inculcat Evangeliſta, amorem Chriſti peculiarem erga hanc familiam, ex cauſis ſupradictis, & quia Chriſtus verus homo, humano etiam affectu afficitur, propter fidem, ac beneficia & pium eorum affectum erga ipſum.

V. 6. Ὡς οὖν. Chriſtus accepto hoc nuncio, moram trahit in loco ad huc biduum; longiorem verò in itinere:

dum interim invalescente ægritudine Lazarus moritur, quod tamen sic futurum Salvatori non fuit incognitum, ut patet inf. v. 14: Sicq; volens locum dat ægritudini, usq; ad mortem Lazari, hominis sibi amicissimi: cum tamen ex amore solito nihil recedit, quod eventus declarat.

V. 7. Ἔπειτα. Tandem defuncto eo, & dolore maximo affectis sororibus, ac Lazaro sepulto, cum nulla amplius spes vitæ superesset; iter in Judæam suscipit.

V. 8. Λέγουσιν. Discipuli argumento ducto ab odio implacibili & insidijs Iudæorum, & quia nuper ab ipsis pene fuisset lapidibus enectus, sup. c. 10: 31. Unde concludunt temerarium esse, si se velit iterum inimicorum potestati committere. Respondet Salvator, & similitudine diei ac noctis declarat conditionem eorum, qui publice in docendi ministerio versantur; eos scilicet impingere non posse, dum Solis ac diei luce fruuntur, hoc est, Divina protectione, qui potens est suos protegere, ad tempus ministerio cujusq; definitum. Postquam verò cursus ministerij consummatus est; jam nox ingruit, & hora tenebrarum, ubi vel morte naturali cursus abrumpitur, vel impiorum violentia, sicut hoc explicat Christus, Luc. 22: 32. *Sed hæc est hora vestra, & potestas trnebrarum* Et Paulus, 2. Tim. 4: 6. *tempus resolutionis meæ instat*: &c. Et infra, cap. 21: 18 mortem crucis Petro salvator designat, ex violentia hostium veritatis.

V. 11. Ταῦτα. Nunc Salvator causam discipulis aperit, cur eat in Iudæam, ne putant, eum temerario voluntatis impulsu se commitere periculo; officium enim pietatis præcipuum declarare constituit amicis, Lazaro & familiaribus: itaq; amicum dicit, cujus, opera & beneficijs ipse cum di-

discipulis usus est sæpius; teneturq; ex amicitiæ lege, mutuum beneficium rependere: Sic Elisæus Propheta Sunamitidis filium mortuum excitat, cujus hospitio jam longo tempore usus erat. 4. Reg. c. 4. Quia vero discipuli verba Christi de somno naturali accipiunt, nec satis causæ esse putant, ideo Ierosolymam ire, seq; tanto periculo committere: itaq; clare denunciat mortuum esse Lazarum, seq: ire in Iudæam resuscitare ipsum ad vitam.

V. 15 Καὶ χαίρω. Lætatur Dominus propter discipulos, nam cedit obitus Lazari, ad argumentum fidei in discipulis, & sectatoribus alijs: 1 cum vident Christum absentem scire omnia, quæ circa Lazarum contigerunt, 2. cum vident Divinam potentiam Christi, qui vitam restituit corpori putrido, & ante dies plures sepulto.

V. 16. Εἶπεν. Thomæ impotentia animi hic notatur, qui non sine fermitu desperabundus moriendum dicit cæteris cum Lazaro, siquidem iter illud in Iudæam evitare nequeant. Notatur infra, cap. 20: 25. similis importunitas, in Thoma, cum Christi resurrectionem se credere posse negabat.

V. 17. Ἐλθών. II. Pars in qua Lazarus redivivus sororibus redditur: colloquium Christi cum sororibus, & miraculum ipsum, cum effectu & circumstantijs diligenter describuntur. 1. circumstantia, dies plures à morte Lazari, quæ mora diuturna vitæ restitutionem impossibilem facit. Sicut contra, vitæ restitutio facilior in puero, in quo adhuc hæreret amnia: Act. 20: 10. Distabat Bethania stadijs 15. faciunt 32. stadia milliare commune: distabat igitur à Ierosolyma milliari ferrè dimidio.

V. 19. Καὶ πολλοί. Altera circunstantia, multitudo præsen-

ſentium amicorum ex Ieroſolyma, propter vicinitatem, & propter celebritatem familiæ ut dictum eſt; fieriq; ſolet decedentibus honoratioribus amicis.

V. 20. Μάρθα. 3. Salvatoris adventum Martha prima intelligit, eiq; obvium procedit.

V. 21. Εἶπεν: 4. Colloquium mulieris cum Chriſto deſcribitur: ubi primum conqueritur de abſentia Chriſti. Apparent in his verbis veræ fidei ſigna, credidit enim Martha ſicut etiam Maria, inf. v. 32, Chriſtum potuiſſe ſanitatem ægrotanti reddere, ſi præſens fuiſſet; ſic Regulus credidit, ſup. c. 4: 49. Continet hic ſermo mulieris tacitam quærimoniam de diuturna mora Chriſti, qui accepto nuncio de infirmitate Lazari, non eveſtigio comparuit, quod requirere videbatur neceſſitudo & amicitia ſumma cum Lazaro.

V. 22. Ἀλλὰ καὶ. Correctionem adhibet Martha, ac robur fidei exerit, creditq; poſſe Chriſtum precibus ad Deum obtinere, ut vita reddatur Lazaro, quantumvis videatur hoc negocium impoſſibile. Reſpicit hic dolore affecta fœmina, ad priora miracula Chriſti, multa & magna, ubi ante operationem Salvator in cœlum ſuſpicit, ingemiſcit, orat, aliosq; geſtus præmittit: ſicut in muto & ſurdo. Mar. 7: 32. Neq; erat ſatis adhuc edocta an omnis plenitudo Divinitatis in Chriſto habitet; quamvis filium Dei eum eſſe fateatur, & Meſſiam: v. 27. Ambigit an in ſeipſo poteſtatem habeat, an verò à patre impetret, ut Prophetæ. Simplicitas eſt hæc & ignorantia, in muliere, horum myſteriorum non uſq; adeo capace, quæ ſit ratio naturarum & perſonæ Chriſti. Sic Naaman Syrus putat efficacem fore operationem Eliſæi, ſi Propheta ipſe præſens Deũ ſuum invocaſſet, locum lepra infectũ tetigiſſet; 4. Reg. 5:11.

V. 23.

V. 23. *λέγει* Iesus simplicitatem mulieris non aspernatus, misericordia movetur, promittit vitam mortuo, quod beneficium afflictis dolore familiaribus defuncti, jamdudum præstare constituit: sup. v. 11. Hanc promissione Martha, rei impossibilitate mota ut verborum Christi veritatẽ non neget, accipit de resurrectione in novissimo die. Unde notatur in muliere, 1. infirmitas intellectus ac fidei, cum nondum satis percipiat virtutem & omnipotentiam Christi, quam multis jam argumentis antea declaravit; in cæco, sup. c. 9. in filio viduæ in Naim. Luc. 7. Filia Iairi, Matt. 9. 2. Cum interim Martha profitetur fidem suam, & laudabilem cognitionem de resurrectione mortuorum in extremo die; contra gentilium prophanitatem, & corruptelas Sadducæorum, qui tunc non minimam habuerunt autoritatem in hac gente; ut patet ex cap. 22. Matt. Et Act. 5: 27. Pontificum collegium hoc errore in fectum legitur. Sic fructum profert mulier, ex conversatione & doctrina Christi, ut quamvis in hoc casu de morte Lazari, per vehementiam doloris variè fuerit affecta, non tameu hallucinatur in articulis fundamentalibus fidei Christianæ.

V. 25. *Εἶπεν.* Patientia & pius affectus Salvatoris conspicitur, qui hæsitantem mulierem, utili informatione erigit, docetq; se esse fontem vitæ. Quæstio hæc tractatur cap. 5: 25. & sequentibus: & cap. 6: 33. Et Act. 3: 15. dicitur Dux sive autor vitæ. Christus cum sit resurrectio & vita, causa scilicet prima efficiens vitam: habens id in seipso, sicut pater habet vitam in seipso, sup. cap. 5: 26. Deinde non solum est fons vitæ hujus temporalis, sed insuper etiam æternæ vitæ & beatitudinis in suis fidelibus; ut qui in ipsum credit habeat vitam æternam, & Christum in se manentem,

Ioh.

Ioh. 6: 56. & 15: 4. Et Spiritum ſanctum manentem nobiſcum in æternum· Joh. 14: 16: quo in nobis manente, non poterit mors nobis quicquã nocere, aut quid damni inferre. Hæ ſunt efficaciſſimæ adverſus mortem conſolationes, jucundiſſimæ & ſalutares omnibus, qui moriuntur in fide Chriſti.

V. 27. Λέγει. Ad quæſtionem hanc, & verba Chriſti reſpondet Martha, de univerſa fide Chriſtiana; credere ſe ſcilicet & jamdiu credidiſſe, quod ipſe ſit Chriſtus, filius Dei, & Meſſias promiſſus patribus, qui definito à Deo tempore venturus erat in mundum, ad vitam & ſalutem hominum. Et hæc eſt ſumma Chriſtianæ fidei; quam ut fateatur Martha, tamen de fratre mortuo quid fiet, adhuc ambigit.

V. 28. Καὶ ταῦτα. Abit verò ac ſororem vocat, quæ eſt 5. circumſtantia in hoc actu; ſperat enim adhuc facturum aliquid Ieſum, in gratiam familiæ afflictæ, itaq; ſororis præſentiam deſiderat, ſi quid ea precibus efficere queat; aut ſi contingat quicquam, ut comuni fruatur ipſa ſolatio. Illa intelligens adeſſe Chriſtum, repente egreditur, certiſſime ſperans aliquid ſolatij, ad amiciſſimæ familiæ conſolationem alaturum eum, cujus ſingularem gratiam ſæpè fuerant expertæ.

V. 31. Οἱ οὖν Judæi hoſpites ploratem ſubſequuntur, ut ad ſepulchrum planctnm mulieris ſiſtant, & ulteriore conſolatione afficiant, qui ob hanc cauſã in has ædes convenerunt. Deo dirigente hæc facta ſunt, ut in præſentia multorum teſtium mortuus reſurgeret, famaq; miraculi ad plumos perveniret.

V. 32. Ἡ οὖν. 6. Colloquium Mariæ cum Chriſto, & Iudæorum inter ſe: Maria ſoror magis devota, procidit ad pedes

Ieſu,

Iesu, eadem loquitur quæ ſoror antea; ut appareat crebrius repetita fuiſſe hæc verba inter ſorores, cum moriente fratre, fruſtra Chriſti adventum expectarent: mirantur enim non majore cura hominis amiciſſimi, affici eum, qui magnum numerum ignotorum hominum, à quibus nullo beneficio affectus fuerat, ſua ſponte curaverit. Carnalia hæc ſunt ex humano affectu iudicia, & quia ignorant, ut dictum eſt, finem hujus dilationis; amplificationem ſcilicet miraculi ac Divinæ gloriæ: & mulierum tanto majus gaudium exortum eſt, quo minor ſpes vitæ antea affulſerit.

V. 33. Ἰησοῦς. Poſt hæc verba Maria, muliebrem in modum tota in lachrymas & planctum ſoluta, triſtitiã indicat, ex inſperato fratris obitu, cum quo ſperabant ſe longo tempore amiciſſime potuiſſe vivere, ejusq; opera & auxilio frui ad curam & tutelam orbæ familiæ. Hoc ſuo ſingultu Ieſum ac circumſtantes amicos ad dolorem & lachrymas ciet. Ieſus miſertus calamitatis humanæ, & harum ſororum; concipit dolorem ex tyrannide, qua mors hominum genus inſectatur, & abripit ſæpe in florida ætate eos, quorum diuturna præſentia maxime deſideratur, inſuper lachrymas ac dolorem cum fremitu comprimit, quas tamen per vehementiam doloris continere nequit, veritatem humanæ naturæ declarans. Iam Salvator, ut cum aſtantibus ad Lazarũ properet, de loco quærit ubi ſitum eſt monumẽtum, non quod neſciat, qui omnia novit, ſed ut una attrahat turbam præſentem.

V. 36. Ἔλεγον. Iudæorum alij mirantur amorem Chriſti erga Lazarum: alij requirunt cur is qui miraculis potens, oculos cæci nuper aperuit Ieroſolymis, non item Lazarum ægrotum ſanum reddidit, à ſororibus rogatus. Unde ite-

rum apparet colloquium habitum inter ſorores,etiam cum hoſpitibus, cur Ieſus non venerit, præcipue ab amicis vocatus, putant alij inimicos fuiſſe hoſce poſteriores: ſed neq; id clare evincitur,potuerunt enim ex ſimplicitate mirari ſicut hæ mulieres, quæ cauſſæ fuerint hujus moræ, petentibus ſcilicet his, quos tantopere diligit, Affuiſſe plurimos non credentes aparet inſ. v, 45. & 46.

V. 38. *Ἰησοῦς.* Hujus iterati fremitus cauſſæ videntur fuiſſe eædem, quibus addatur miſeratio humanæ impatientiæ, non ſuſtinentis tolerare actiones & diſpoſitionem patris cœleſtis, circa res noſtras, cum aliqua noſtra moleſtia, licet brevi; cum tamen Deus pro paterno erga nos affectu, omnia dirigat ad noſtram ſalutem, ſæpe etiam utilitatem temporalem. Nam *diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum:* Rom: 8. 28. Sequitur autem nunc 7. loco miraculum ipſum cum circumſtantijs proximis. 1. Appropinquat ad locum. 2. Spelunca erat juxta morem ſepulcrorum in Syria, Paleſtina ac Ægypto; excavabantur ſubterranea montium, & fiebat ſpelunca, ubi involutum ſindone corpus defūcti demittebatur, & ſæpe ex ordine plures demortui, ejusdem familiæ, juxta ſe poſiti recondebantur: ubi advoluto grandiori lapide,poſtea claudebatur os cavernæ, ne violarentur corpora defunctorum: quæ unguentis delibuta, ſindone involvebantur, ſicut in ſepultura Chriſti, Matt. 27: 59.

V. 39: *Λέγει.* 3. Martha iam vicina ſepulcro, fœtorem ſentiens ex cadavere putrido demortui, præ deſperatione putat tentari rem impoſſibilem, nec fieri poſſe ut reſurgat, is que corripuit jā putredo. Facta ſunt hæc ad illuſtrationē miraculi, quo magis res videbatur impoſſibilis, ut præſentibus

tibus innotesceret virtus & gloria Dei in Christo. Hæc verba mulieris Iesus patienter excipit, nec antea informatam acerbe castigat, sed revocat ad potentiæ Divinæ considerationem, de qua eam superius admonuit, & ad promissionem datam: sup. v. 23.

V. 41. Ἦραν 4. In miraculi operatione, incipit à gratiarum actione, Deo gratias agens quod ipsum audiriet, orantem intellige: oravit frequenter Salvator, in horto ante passionem, in cruce, in miraculorum operationibus, & aliâs sæpius: non qui non habeat in se, ut verus Deus omnem potentiam: *Omnia enim tradita sunt ei à Patre*, Luc. 10: 22. Mat 11: 27. *Pater diligit filium & omnia dedit in manus ejus*. sup. cap. 3: 35. Hæc dona Christus habuit non solum naturaliter ut Deus, sed etiam ut homo, juxta quam naturā unxit eum Deus, deditq; Spiritum, non ad mensurā. sup. c. 3: 34. Psl. 45: 9. In statu verò exinanitionis constitus & infirmitatibus subjectus, patris auxilium implorat is, qui aliâs cum patre unum est; nunc ob susceptam infirmitatem Patris auxilio indiget. Altera causa: calumniabantur Judæi inimici eum non esse à Deo, sed habere commercium cum Diabolo, orat igitur & gratias agit, ut testentur circumstantes, quia dicit ante quam miraculum facit se jam esse exauditum à Deo; miraculum verò sequi, ut pateat Deum ei adesse, in tanti operis effectione quod diabolus facere non potest: qui neq; potest cæcorum oculos aperire, Joh. 10: 21.

V. 43: Καὶ ταῦτα. 5: Clamat vocè magna, ut omnes exaudiant, ac intelligant volente & vocante Christo, Lazarum vitam recipere, qui omnium confessione mortuus, & nunc videntibus Iudæis virtute & mandato Christi vivus ex mo-

numento prodijt. Prodijt verò ligatus manibus pedibusq;, adòq; non potens movere manus pedesve fascijs revinctos, sed quasi movente alio: ut hinc appareat quanta fuerit vis verborum Christi, qui & ipse sua voce excitabit similiter omnes mortuos in extremo die, ut dictum est sup. c. 5: 25. & 28. Neq; enim major potentia requiritur in excitandis omnibus, quam in uno, nihil obstante putrefactione; neq; enim potuisset hunc Lazarum ex mortuis resuscitare, nisi infinita ac Divina potestate fuisset præditus, quæ posset mortem vincere, privationem ad habitum revocare, quod solus Deus efficere potest.

V. 45. Πόλλοι. Virtus & operatio miraculi diversa in spectatoribus, quorum alij erant fideles; hi in fide confirmabantur, alij increduli, qui viso miraculo crediderunt Christum esse Messiam: alij adhuc sive increduli, sive dubitantes quid statuere oporteat de hoc miraculo, rem deferunt ad Pontifices: qui ex hoc eorum testimonio haudquaquam meliores effecti, in pristina aversione & odio persistunt, magisq; indurantur; quod sequens consultatio ostendit.

V. 47. Συνήγαγον. III. Pars capitis, consultatio Synedrij Ierosolymitani, de Christo Domino in mortem tradendo. Erat concilium publicum, ad quod erat summa seu ultima provocatio, in causis gravioribus: Habuit hoc collegium initium autoritatis suæ à Mose, qui hos judices primus constituit in castris, Exo. 18. Postea Numeri 11: 16. Deus ipse constituit septuaginta seniores, judices, qui judicarent, & una cum Mose præessent populo: collegium hoc collapsum iterum restaurat Iosaphat: 2. Chron. 19. ex sacerdotibus & Levitis & principibus familiarũ. Erat hujus collegij tanta

au-

autoritas, ut etiam Reges ſuos ad dicendam cauſam adigerent, ut refert Ioſephus, & Sigonius de rebus Iudaicis; duravit uſq; ad Herodis tempora, qui judices occidit & diſſipavit hunc ſenatũ. Conſultatio hæc graviſſima erat, de conſervatione ſtatus ac gentis Iudaicæ: ne ſcilicet prævalente doctrina Chriſti, fiat perturbatio & tumultus, propter mutationem religionis. Quia vero ſigna multa facit, fieri non poteſt quin ſectatores habiturus ſit plurimos; & inf. cap. 12: .19 *Videtis*, ajunt, *quia nihil proficimus, ecce totus mundus poſt eum abijt.* Non erit itaq: huic homini difficile, collecto ex concurrente multitudine exercitu, imperium invadere, & adverſus Romanos ſeditionem movere, quorum potentiæ vix reſiſtere poteſt gens Iudaica: illi autem offenſi, evertent remp. noſtram univerſam. *Tollent locum noſtrum*, hoc eſt, dignitatem, ſupremi judicij ac Sacerdotij ſplendorẽ, urbemq; evertent: neq; hoc ſolum, ſed gentem Iudaicam ac rempublicam exterminabunt. Sic reſpectu dignitatis externæ, de qua magis ſunt ſolliciti; veritatem cœleſtem amittunt: præcipuum verò reſpectum eos habuiſſe ad dignitatem propriam, Evangeliſta oſtendit infra c. 12: 42.

V. 49. Εἷς δὲ. Caiphas ejus anni Pontifex dicitur: unde patet Romanos mutaſſe veterem ſtatum & annuum feciſſe Pontificatum, qui ex lege Divina fuit perpetuus: idq; ne nimia perpetui Pontificis autoritas, occaſionem rebellioni præberet. 1. Caiphas objurgatione caſtigat diſſentiẽtes, nõ enim omnes conſenſerunt in necem Chriſti; ſicut Nicodemus ſup. c. 7: 51. ſeſe concilio oppoſuit, & Joſeph ab Arimathia, Senator, non conſenſit concilio. Luc. 23: 51. Hi ſine dubio habuerunt ſuæ ſententiæ plures ſocios in conſeſ-

ſu, qui latam poſtea ſententiam non probarunt, ſed ſuaſerunt contrarium, ſicut Gamaliel, Act. 5: 34. & cum res ultro citròq; diſceptaretur, erumpit Pontifex, moræ impatiens, in hanc objurgationem, eos inſcitiæ & ſtupiditatis accuſat; quia non attendunt ad rei magnitudinem, & periculum univerſi ſtatus. Deinde ſententiam primus ipſe profert, contra morem judiciorum, incipiendo ſemper, in ſenteitia dicenda ab infimis: præjudicium ergo facit collegio, metuens, ſi ad ſententiam dicendam ordine procedatur, ut abſolvatur Ieſus. Præſtat inquit ut unus moriatur, quam ut tota gens pereat; quicquid ſit de veritate doctrinæ Chriſti & miraculis, id ſusq; deq; habet, attendendum eſt ad id quod conducit Reip. & ſtatum publicum conſervat, & ſalus populi ſumma lex ſit: ait Cicero de legib. Sic ſolent potentes ſæpenumero, religionem ad ſtatum politicum accommodare: ſicut Ierobeam. 3. Reg. 12: 26.

V. 51. Τοῦτο δὲ. Judicium ſuum Evangeliſta interponit, & ſi ad conſilium Dei reſpicias, qui ſtatuit moriendum eſſe Meſſiæ, pro reconciliatione humani generis, vera loquutus eſt Pontifex, & hoc non ex intentione propria, ſed dirigente Deo; ſicut in vaticinio Bileã. Nam. 24. Sic impiorũ conatus Deus ſæpe flectit ad ſuam gloriam: ut etiam de hoc facto loquuntur Apoſtoli Act. 4: 24. Factum eſt id inſtinctu Sp. ſancti, ſine dubio, ut cogitare inciperent de morte Meſſiæ, prædicta in Prophetis, & inde Chriſtum agnoſcerent. Extendit hoc vaticinium Evangeliſta etiam ad Gentes, quos etiam appellat filios Dei, ſcilicet, propter futuram converſionem ad fidem Chriſti; quam ipſe paſſione ſua intendit, fecitq; prædicari Evangelium in toto mundo.

V. 53. Ἀπ᾽ ἐκείνης. Sententia Synedrij, facta in necem

Chri-

Christi, nequicquam repugnante parte meliore, & quod secum quisq; antea adversus eum conabatur, occasiones observans, jam publico decreto firmatur: addito insuper ex autoritate publica mandato, ut data opera omnes intenderent, studiumq; conferrent, ad prodendum & comprehendendum eum; mercedem etiam pacti sunt delatoribus, sicut ostendit exemplum Isciariotis.

V. 54. ὁ Ἰησοῦς Declinat Iesus insidias Judæorum, & abit in desertum, in civitatem Ephraim, ad gentem quæ imperium & ritus Ierosolymitanorum non agnovit, sicut cum ad Paschatos solennia vocabantur ab Hischia; nuncios ejus habuerunt ludibrio. 2. par. 30: 10. Judæi itaq; Christum quem contemnunt, amittunt, cum Evangelio & salute, & Paulo post, Templum, Sacerdotium, libertatem, ac omnia ea de quibus hic metuunt. Fugit verò ipse quia ut superius dictum est, hora passionis à Deo destinata non dum venit: inf 12: 27. Et ut ostendat licere fugere persequutionem juxta præceptum quod dedit Apostolis, Matt. c. 10. Tertio, ut timidis & formidine perculsis discipulis succurreret, qui iter in Judæam disuaserunt, sup. v. 8.

V. 55. Ἦν δὲ ἐγγύς Ultima narratio succedit, de his quæ gesta sunt post abitum Christi ex Judæa. Proximum erat Pascha ultimum ministerij Christi, quo scilicet Salvator in mortem traditus est. Ascendunt autem ante pascha ut sanctificarent se, scilicet ne immundi vescerentur agno paschali, mundabantur varijs ritibus leviticis, non solum populus, sed etiam Sacerdotes ac Levitæ, suo quisq; modo, ut videre est, 2. par. 29. & 30. Ascenderunt multi ex regione, intellige qua morabatur Christus, quia quamvis gens universa alienata est à Juda, per secessionem sub Ierobeam, tamen

tamen multi ex ilis ſacra Ieroſolymitana frequentabant. 2. par. 30: 18. Phariſæi vero cum viderent adeſſe alios hujus regionis homines, ipſum vero non adeſſe, putant proditum conſilium ſuum, & Ieſum cautiorem factum, ideoq; ad feſtum non venturum: dolent itaq; & verentur ne conſultatio ſynedrij irrita ſit futura, cum ipſe abſens comprehendi non poſſit. Hanc eſſe ſententiam, probant verba ſequentia, mandatum enim antea editum fuit de prodendo eo ad necem: quod Iudas poſtea exequitur.

C A P. XII.

Deſcribit hoc capite Evangeliſta reditum Domini Bethaniam, & ejusdem iter poſtremum, cum Ieroſolymam ingreditur. Partes cap. quatvor ſunt, In I. Confirmatur præcedens argumentum de reſuſcitatione Lazari; deſcribitur etiam convivium in Bethania.

V. 1. Ἰησοῦς. Quanto tempore abfuerit Chriſtus in Ephraim Evangeliſta non exprimit; tempus fuit ſine dubio breve, absq; longiore mora. Si enim Eucænia celebrabantur circa initium Decembris, ut dictum eſt cap. 10. Ieſus autem peracto feſto receſſit trans Iordanem cap. 10: 30. Et mora aliqua interpoſita revertitur ad excitandum Lazarum; ubi non diu moratus, iterum diſcedit in deſertum Ephraim; non potuit itaq; in ultima hac peregrinoatione, propter locorum modicam diſtantiam, diu abfuiſſe: trimeſtri enim ſpatio ferè hæc erant abſolvenda, ab Eucænijs uſque ad paſcha. Videtur tempori ſe accommodaſſe, ut ad feſtum paſchatos Ieroſolymis ſeſe ſiſteret, morti & paſſioni; ut agnus paſchalis, claudens paſcha antiquum, & initium novi paſchatis faciens, & ſanguine ſuo ſacrificium o-

mne

mne consumaret. Heb. 9. 28. *Stupebant* discipuli, *& sequentes timebant*; ait Marcus, cap. 10: 32. Erat hoc quartum & ultimum Pascha ministerij Christi, passioni destinatum.

V. 2. Ἐποίησαν. Convivium describitur cui Lazarus assidet, ut vere ex mortuis resuscitat⁹ appareat, nec subsit dolus aut phantasma. Convivio hoc gratitudinem præstant Domino, propter salutarem doctrinam qua eos imbuit, & miraculum, quo familiam hanc exornavit: forte etiam moti prædictionibus ejus de morte sua, quam Jerosolymis perferet, sicut prædixit discipnlis in via cum ascenderet: Luc. 18: 31. Matt. 16: 2. metuunt n. ne quid amplius ad eos sit reversurus. intellexerunt n. Jerosolymitanorum decretum crudele, ac insidias ei paratas: unde commoti nullum genus officij prætermittunt.

V. 3. Ἡ οὖν. Et Maria ungvento pedes ejus unxit. abstersit verò capillis propterea, quia capillis & lanæ maxime inherent ungnenta, & fragrantia per proxima se diffundit. Pedes vero inungit, humilitatem suam declarans: Matthæus dicit super caput effudisse ungventum, in domo Simonis Leprosi, cum ibi Jesus discumberet. cap. 26. unde colligunt nonnulli in ejus ædibus convivium factum esse: sive jam idem de quo Johannes agit, sive aliud in quo similiter murmuraverint de profusione ungveti, non multum id refert ad fidem Christianam. Propter responsionem tamen à Domino datam eandem quam Johannes refert, verisimile est fuisse idem convivium. Potuit n. & Simon leprosus dictus, à Christo fuisse curatus à lepra, & vel amicus fuisse aut propinquus Lazari, aut quia una Christi beneficia sit expertus, ideoq; Lazarum ad convivium invitasse, Marthamq; ministrasse.

Ungventum Nardus πιςικὴ potabilis, dicitur; ſicut à πίω πιςὸν, à χρίομαι χριςὸν.

V. 4. Λέγει. Murmurat Judas, profuſionem arguens,& velut habens curam pauperum, virtutem & caritatem Mariæ proprio vitio obtendens; rectius impenſum putat ungventum tanti precij in uſus pauperum, ſicut hodie multi murmurant de impenſa quæ fit in Scholas & uſus ſacros, ac putant rectiùs impendi in centuriones & milites: de pauperibus autem hodie pauci ſunt ſolliciti. Denarius eſt octava pars unicæ, quantum ſcilicet dabatur operarijs pro diurna opera, Matt. 20:9. facit 37½ uncias ſeu imperales. Notat Evangeliſta hypocriſin Judæ, qui aliud loquitur aliud intendit, & virtutis nomen vitio prætendit; quæ deceptio eſt in mundo frequentiſſima. Deinde qualia ſunt ſtudia Judæ, tale etiam fuit conſilium, ad ejus cupiditatem accommodatum. Ubi etiam notandum eſt Chriſtum cum diſcipulis vixiſſe ex liberalitate auditorum, ac donarijs ſpontaneis.

V. 7. Εἶπεν. Excuſat Dominus factum Mariæ ac geminæ objectioni reſpondet, 1. docet non eſſe intempeſtive adhibitum hoc unguentum, ſibi jam ad mortem abituro, ut ultimum officium quod ei exhibere potuit, jam morituro: nec eſſe rem ullam tam precioſam quæ Chriſto non debeatur, ad declarandam gratiam & caritatem noſtram, pro ineffabili dilectione ejus erga nos, & effuſo pro nobis ſangvine infiniti precij; nunc præſertim ipſo præſente, & imminente morte, quaſi in uſum ſepulturæ ungventum hoc reſervaſſet, ut quem mortuum ungere abſentem non poſſit, nunc inungat moriturum: non quidem ſine præmio; celebrabunt n. id factum uſq; in finem mundi, Matt. 27:13.

Sic

Sic frequenter ſalvator mortem ſuam inſtare ſignificat; ut intelligant omnino ipſum præſcire tempus mortis ſuæ; & volentem ad eandem properare. 2. Reſpondet ad objectionem de cura pauperum, nunquam non adeſſe pauperes quibus benefaciant qui cupiunt; Chriſtum autem, poſt dies paucos, non ipſis affuturum in ſtatu humilitatis, ut corporalibus beneficijs vel indigeat, vel ab ipſis affici in hunc modum poterit: nam de tali erga Chriſtum officio omnis eſt hic ſermo: ut vanitas eorum hinc appareat, qui inde concludunt humanæ ejus naturæ abſentiã ab Eccleſia.

V. 9. Ἔγνω. Fama de præſentia Chriſti moti Ieroſolymitani, excurrunt Bethaniam, duplici de cauſa, propter Ieſum, ut ipſum docentem audirent, item ut Lazarum viderent ac mirarentur; ad fidei ſuæ confirmationem: forte etiam nonnulli curioſè, ut de ſtatu mortuorum poſt mortem, aliquid ab ipſo cognoſcant. Verum notandũ hoc eſt, ubicunq; olim à prophetis & poſtea à Chriſto leguntur excitati mortui, nihil additur quid ipſi loquuti ſint de ſtatu futuro mortuorum: unde concludimus nihil novi ab ipſis allatum, præter id quod in ſcripturis continetur; ſic Abraham, Luc. 16. epulonem remittit ad Moſen & Prophetas. vis ſcire quis ſit ſermo reſuſcitatorum ex mortuis, diſce à Chriſto, quid poſt reſurectionem cum diſcipulis fuerit loquutus: quid Moſes & Elias; Luc. 9: 31. Oritur hæc curioſitas, ex diffidentia verborum Domini.

V. 10. Ἐβουλεύσαντο. Tertium genus excurrentium in Bethaniam, fuerunt proditores Chriſti, ſicut ſup. c. 11: 46. Principes autem populi peccata peccatis accumulant, qui cum antea Ieſum ad necem deſtinaſſent, nunc etiam Lazarum tollere conſtituunt; ne ex viſione, fide in Chriſtum,

conversatione ejus & familiarium credentium, plures ad Christum convertantur: talia sunt facta recedentium à Deo & verbo ejus, quos Deus deserit.

V. 12. Τῇ ἐπαύριον. II. Pars cap. de ingressu Christi Ierosolymam, in die palmarum, cum paulo post cruci affixus est; erat hoc pascha ultimum ministerij Christi: ingressus est autem, haud ignorans passionem quæ incidit, quam etiam, cum ascenderet, discipulis explicuit: Luc. 18: 31. Matt. 26: 3. Postero die, scilicet, post celebratum in Bethania convivium; præcurrit in urbem fama adventantis Christi, cum comitatu discipulorum. Erat tum civitas peregrinis hominibus completa, concurrentibus ex omnibus partibus Galilææ & Iudææ, ut fieri solet, magno numero. In his erat magna multitudo eorum, qui viderunt miracula & docentem audiverunt; accessit insuper fama excitati Lazari in Bethania, quibus omnibus persvasi crediderunt ipsum esse Messiam, sicut sup. cap. 6: 14.

V. 13. Ἔλαβον. Populus itaq; fidelis concurrit in occursũ Christi, ut ipsum pro vero Messia introducat. Præferunt ramos palmarum, quod Romanis alijsq; populis erat victoriæ signum; Plutarchus in vita Cæsaris dicit palmam enatam ad statuam ejus, quæ ipsi portenderet victoriam: Et Apocalyp. 7: 9. dicitur multitudo triumphantium in cœlis, tenuisse palmas in manibus suis, cantantes gloriam Deo & Agno victori. Quibus fidelis populus gratulatur victoriam Christo, qui superata invidia Pharisæorum immicorum, nunc à tota multitudine pro Messia agnoscitur ac recipitur. Matth. dicit insuper stravisse eos viam ramis ac frondibus ex arboribus, ac vestimentis, sicut in pompa & processibus magnorum principum, sæpe via panno strenitur.

Sic

Sic magno applausu omniq; officiorum genere Iesum venientem excipiunt. Acclamarunt autem Hosanna, prosperitatē ac successum: Et, *Benedictus qui venit in nomine Domini*, accinunt, ex Ps. 118. Quod autē subjiciunt *Rex Israel*, faciunt id ex opinione communi, quam ex Pharisæis acceperunt, Christum fore Regem terrenum. Jesus autem ingreditur insidens asello; quem unde assumserit, Matthæus & Lucas plenius describunt. Factum est hoc ut impleretur scriptura, Es. 62: 11. *Dicite filiæ Zion: Ecce venit salus tua: &c.* Et Sachar. 9: 9. *Lætare valde filia Zion, & tu filia Jerusalem exulta; Ecce Rex tuus venit ad te, justus auxiliator seu salvator, pauper, equitans super asino, & super pullo asinæ.* Iustus est ipse, justificans nos ex fide. Rom. 3: 29. Salvator, qui scilicet, salvat à morte & damnatione. Sic ingressum Christi cum omnibus circumstantijs Sp. sanctus prædixit. Hinc deducitur XVII. Argumentum quo probatur Christum esse Messiam, videlicet, ex ingressu in urbem, concordante cum vaticinijs prophetarum. Humilis erat hic ingressus, ut intelligeret eum regnum mundanum non affectare: principes enim hujus mundi ingrediuntur armati gladijs hastis & tormentis, ut si velit quispiam actum tam solennem & splendidum turbare, habeant ad manus armatos quibus se tueantur. *XVII.*

V. 16. Ταῦτα. Fatetur Evangelista discipulorum ignorantiam, qui quid sibi velit hujusmodi ingressus, tum quidem non intelligunt; id est finem & consilium Dei qui prædixit per prophetas, talem fore Messiæ ingressum, quem postea Christus salvator opere complevit: populus etiam fidelis instinctu Divino concitatus, ad congratulationem, Deo sic dirigente, ut ex his Messias agnosceretur. Pharisæi

ſæi autem populo admiſti, cum vident concurſum & acclamationes multitudinis, putant Ieſum nimium ſibi tribuere, qui admittit hos comitatus & acclamationes, jubent ut diſcipulos increpet: reſpondet ipſe, ſe id facere non poſſe, ut Divina conſilia impediat; clamaturos enim lapides, ſi hi ſileant, Luc. 20: 40. potens eſt enim Deus inſtitutum ſuum promovere, etiamſi totus mundus ſe ſubducat; ut loquitur Baptiſta: Luc. 3: 8. *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Intellexerunt verò iſta diſcipuli, poſtquam glorificatus eſt Chriſtus: ſcilicet poſt acceptum Sp. ſanctum, juxta promiſſionem Chriſti. inf. cap. 14: 26.

V. 17. ἐμαρτύρει. Confirmatio additur priori argumento, ex teſtificatione fidelium, qui viderunt eum evocantem Lazarum è monumento: qua probant rectè facere populum & diſcipulos, qui eum pro Meſſia agnoſcunt, & proclamant, qui miraculo tam illuſtri, oſtendit ſe à Deo miſſum, & Dei filium eſſe Divina virtute præditum; qui niſi vera dixiſſet, nunquam tanto miraculo doctrina eius fuiſſet Divinitus comprobata. ſup. c. 10: 37. Hac teſtificatione permoti, qui Ieroſolymis convenerunt ad feſtum, maximo numero effundunt ſe in occurſum ejus, & applaudentes introducunt ipſum in urbem. commota eſt itaq; civitas univerſa; ait Matt. cap. 21: 10.

V. 19. οἱ οὖν. Favet univerſa multitudo & gratulatur, nullo officij genere prætermiſſo: Phariſæi, doctores populi, qui ſcripturas norunt, quos primos eſſe decuit in regno Chriſti, ſecum ducentes alios, interpretatione ſcripturarum, hi acerrimè reſiſtunt; ut pateat eorum exemplo, Eccleſiam docentem poſſe errare. Et cum diu jam inſidias ei ſtruxerint, ſpemq; conceperunt tollendi eum: jam ex hoc

hoc multitudinis favore, in desperationem vertuntur, metuentes, ne illis frustra repugnantibus, pro Messia recipiatur. Ideoq; aperte nil tentare audent adversus Christum, quia multitudo eum pro Messia agnovit; aut saltem ut Prophetam eum habuerunt. Matt. 21: 11. *Timebant enim pleben* Luc. 22: 2. videlicet, si palam inspiciente populo manus injecissent, metuunt ne populus tumultu facto ipsum eripuisset, & ei in posterũ adhæsisset: factaq; fuissent posteriora deteriora prioribus. Studiũ Iudaicæ multitudinis erga Iesum, hactenus descripsit Evangelista: nunc gentilium quoq; desiderium infra commemorat, ut ostendat, quanta fuerit illo tempore expectatio Messiæ; vulgata enim erat fama ex computatione hebdomadum Danielis, tempus nunc adesse.

V. 20. Ἦσαν δέ. III. Pars cap. de Græcis cupientibus videre Iesum; cum voce de cœlo; Et est XVIII. Argumentum. *Græci*, gentiles erant, ait Evangelista; vocis hujus eam esse significationem, probatur ex modo loquendi Apostolis usitato, in illis locis, ubi Græci distinguuntur à Iudæis ut Gentiles: ut Gal. 3: 28. *Non est Iudæus neq; Græcus.* Item. Rom. 2: 9 nempe qui rejecto vano cultu idolorum, Iudaicæ religioni se adjunxerũt, sicut Cornelius Italus: Act. 10. Qui una cum alijs peregrinis venerunt ad festum Pascatos. ut orarent: sicut Eunuchus Æthiops, Act. 8: 27. Promisit enim Deus se velle exaudire adorantes Ierosomis. 3. Reg. 8: 30. Mandatum dedit, Deut. 12: 11. de quo loquitũr mulier Samaritana, sup. c. 4: 20. *XVIII.*

V. 21. Οὗτοι. Græci Christum ipsum compellare non audent, sed discipulos adeunt, Philippum primo, cujus patria indicatur etiam sup. c. 1: 44: qui propter reverentiam præce-

ce-

ceptoris, negocium ſolus proferre non audet; dubitat ipſe an Gentiles in colloquium admittere velit: prohibuit enim ſupra, Matt. 10. ne irent diſcipuli in viam Gentium: itaq; Andream conſulit, & una aſſumit, ut ſimul indicet petitionem Græcorum. Placuit ſine dubio diſcipulis hic Græcorum favor, unde augeri putant potentiam Chriſti, ad capeſſendum Regnum. Itaq; ut diſcipulos, ac ſimul hoſpites Græcos de morte ſua informet, adverſus ſcandalum crucis, & de glorificatione ſua, ac prædicatione Evangelij per orbem terrarum; eos hoc ſermone inſtruit. Et primo, ſimilitudine ſeminis in terra ſubacti, declarat conditionem ſuam, & ſuorum fidelium, in hoc mundo & in vita futura.

V. 23. ὁ δὲ Ἰησοῦς. Reſpondet poſita propoſitione, nunc adeſſe tempus, quo clarificetur, & innoteſcat mundo Meſſias, ut cognoſcant ipſum Iudæi pariter & Gentes omnes. Deinde ſimilitudine tritici modum clarificationis hujus deſcribit & explicat: talem fore ſcilicet, qualem videmus in tritici grano ſeminato: quod niſi in terra reconditum ac putrefactum non germinat, nec fert fructum: mortificatum autem, germinat & exurgit ac fructificat producitq; centuplum. Sic pati oportet Chriſtum, mori & in terra recondi, ut poſtea prædicetur paſſio ejus & victoria, ad multorum hominum ſalutem. Luc. 24: 46. Hac ſimilitudine declarat Apoſtolus mortuorum reſurrectionem. 1. Cor. 15.

V. 25. ὁ φιλῶν. Tertio oſtendit fidelium ſimilem fore conditionem in mundo, ſubjcientur affiictionibus & paſſionibus multis, ſicut triticum in terra frigore, imbribus, calore & æſtu ſolis maceratur. Sic quicunq; fidelium oderunt animam, hoc eſt, cum patientia perferunt hæc mala ac Dei gloriæ poſtponunt delitias & commoda

hujus

hujus vitæ. Odisse enim hoc & multis scriptutæ locis, non in simplici sensu accipitur, sed ut postponere: sic odisse patrem & matrem, Luc. 14:26. simpliciter acceptum, esset quarto præcepto contrarium. *Volens euim ostendere magnam aversationem, quæ habenda est erga concupicentias animæ, dixit, qui odit:* quæ est explicatio Theophylacti. id qui facit *custodit eam in vitam æternam*, immunem scilicet ab impedimentis carnalibus. Sic Paulus ac Barnabas docent, *quod per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Act. 14: 21. Non habent tamen passiones hæ rationem meriti, Christi merito totum debetur salutis negocium. Rom. 3. Eph. 2. Amare animam suam & seipsum, naturale est: *nemo enim unquam carnem suam odio habuit:* Eph. 5:29. hic verò intelligit carnales concupiscentias animæ: & cum ut lucretur vitam temporalem, aliquis deserit fidem & Christum ac salutem promissam futuræ vitæ. Sic de alijs cupiditatibus carnalibus loquitur, Matt. 10: 37.

V. 26. Ἐαν ἐμοί. Secunda pars hujus orationis, in qua præmia constituit suis sectatoribus, maxime his qui ministerio suo Christo inserviunt; quod faciunt fideles ministri, laboribus vocationis, constantia in professione fidei, etiam in periculis; sicut Apostoli cæteri, & Paulus coram Nerone: 2. Tim. 4. qui ad eandem constantiam Timotheum hortatur. 2. Ep. c. 2. Et fere per utramq; ad Tim. Proponit imitandum exemplum Christi, qui bonam confessionem edidit coram Pilato. 1. Tim. 6:13. Phil. 2. Nec contemnendum est eorum quoq; ministerium, qui in quocunq; vitæ statu constituti, se suaq; omnia Deo devoverunt; ac fidei confessionem retinent; præmia itaq; proponit, primo, ut sunt comites ac imitatores passionum, ita etiam

participes futuri ſunt gloriæ, & una cum Chriſto regnabũt. 2. Tim. 2: 12. 2. Theſ. 1: 7. Matt. 19: 28. Deinde pater cœleſtis honorificabit eum, cœleſti ſcilicet & æterna gloria: quam nemo ipſis auferet. Talia plurima ad fidelium conſolationem adfert inf. cap. 16. Sicut enim ſtella ſtellam ſuperat in claritate; ſic erit in reſurrectione mortuorum. 1. cor. 15: 41. Dan. 12: 3.

V. 27. Νῦν ἡ ψυχή. Tertia pars, in qua Chriſtus mortis horrore contremiſcit, & oſtendit ſe verum hominem eſſe, infirmitatibus ſubjectum, orat patrem, ut ipſi, adeſſe velit in tentatione: ne quis verò putet ipſum mortem fugere velle, correctionem addit, docetq; ſe ob hanc cauſam in mundum veniſſe, & paratum eſſe ad exequendum decretum cœleſtis Patris.

V. 28 Πάτερ. Iterum Patrem compellat, ut nomen ſuum opere illo paſſionis Chriſti clarificet: faciatq; id procedere, ut per id nomen Domini, gloriaq; ac miſericordia innoteſcat omnibus, ad credentiũ ſalutem. Huic petitioni aſſenſum præbet pater de cœlo, voce ſua; ut intelligat multitudo aſtantium Judæorum Græcorum ac diſcipulorum, Ieſum Dei filium eſſe, à Deo ob rem eam miſſum, ut paſſione ac morte genus humanum ab æterna morte ſalvaret; ſicut ipſe docuit, & prædixit ſæpius. Illuſtris erat hæc revelatio & argumentum evidens, teſtimonium ſcilicet Divinæ vocis, Chriſtum non eſſe à Diabolo, ſed à Deo miſſum: in quo eſt vis argumenti XVIII. quid itaq; amplius Iudæorum gens ſignum quærit de cœlo? Grandem fuiſſe hanc vocem, ac ſonoram ut tonitru, fatentur aſtantes; alij putant fuiſſe vocem Angelicam: unde patet terrore aliquo aut admiratione affectos fuiſſe. Teſtatur cœleſtis pater

de

de doctrina & miraculis Chriſti Divina illa fuiſſe, & à Deo, adverſus contumeliã calumniatorum, qui ea tribuunt diabolo: deinde ventura admiranda in paſſione ejus, morte, reſurrectione, aſcenſione, Apoſtolorum prædicatione à Deo provenire omnia ad ilius gloriam.

V. 30. Ἀπεκρίθη. Ideoq; oſtendit Chriſtus vocem hanc auditam de cœlo, non propter ſe, qui eſſentiali naturæ conjunctione cum Patre, omnia habet, cum ipſe in Patre ſit, & Pater in ipſo: inf. cap. 14. ſitq; inter Patrem & filium eſſentialis communicatio, non ceſſans, ſed æterna. Factam autem hanc vocem, propter ipſos, ut intelligant ipſum, & omnia ejus dicta & facta à Deo eſſe, etiam paſſionem mox ſequuturam. Hæc geſta ſunt Ieroſolymis in frequentia multitudinis, paulo ante paſcha: ut ſint inexcuſabiles, neq; habeant quod ignorantiæ aut contumaciæ prætendant.

V. 31. Νῦν κρίσις. Iudiciũ mundi, de quo hic vaticinatur, eſt confuſio ſequutura, per lucẽ & prædicationẽ Evangelij; cũ veritate convicti erubeſcunt propter ignorantiã & prioris vitæ turpitudiẽ, ut notat Apoſtolus: Rom. 2: 21. & ſequ. Et cap. 6: 21. *Quẽ ergo fructũ habuiſtis tunc in illis, in quibus nũc erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt.* Eijcietur enim foras princeps mundi, diabolꝰ ſcilicet, qui mundũ in ignorantia detinuit, & luce Evangelij ac morte Chriſti deſtruetur potentia ejus, ne poſſit fidelibus in poſterum nocere: ſiluerunt enim predicato Evangelio dæmonum oracula, abjecta ſunt idola, cremati libri ſuperſtitioſi, magici, Act. 19: 19. perierunt libri aruſpicum & religionis gentilis, adeo ut Paulo poſt aſcentionem Chriſti nec veſtigia eorum ſupereſſent. Sic ejecto ex Eccleſia fidelium diabolo, repente per univerſum mundum illuxit fides Chriſti.

V. 23: Κἀγώ. Mortem ſuam clarius, & mortis genus prædicit, cum effecto conſequente; non abolebitur morte Chriſti, prædicatio Evangelij ejus, ſed progredietur per omnes mundi partes, & prædicabitur omnibus, *ut omnes ubiq; pœnitentiam agant.* Act. 17:30. Sic non poterit mundus, non Pontifices, aut diabolus curſum Evangelij impedire. Modus quo ad trahendum utitur explicatur ſup. c. 6:44.

V. 34. Ἀπεκρίθη. IV. Pars cap. exceptio populi, & exhortatio Chriſti ad gentem Judaicam valedictoria; cui judicium ſuum in ſerit Evangeliſta. Intelligit populus loqui Chriſtum de morte ſua: itaq; ſive præſentes Phariſæi, ſive à Phariſæis informati ad hæc verba Chriſti excipiunt, Chriſtum regnaturum in populo Judaico, in æternum; medium probationis deſumunt ex ſcriptura; quæ ei victoriam prædicit, non mortē: Pſ. 72. 110. Eſa. 40: 10. & 17. Expreſſe de regno & æterna duratione prædixit Daniel, cap. 7: 13. cujus verba angelus adducit Luc. 1: 33. Mich. 4: 1. & 7. *Dominus rex erit ſuper eos in Sion, nunc & in æternum.* Hæc carnaliter interpretati ſunt Phariſæi, de regno terreno: non attendentes quid ſignificet ſacrificiorum & agni paſchalis immolatio; quid prædixerit Daniel, cap. 9: 26. de morte Chriſti, abolitione ſacrificij, everſione Ieroſolymæ, abominatione deſolationis, & finali Reipub. Iudaicæ deſtructione: quid Eſa. 53. David, Pſ. 22. 31. 69. 88. ita clare de paſſione & morte Chriſti loquens, quaſi ſpectator ipſe fuiſſet. Verum deſiderio carnalis felicitatis gloriæq; terrenæ excecata gens Iudaica, officium Chriſti ac liberationem ſpiritualem non percipit: & cum audiunt exaltari debere à terra, per crucis ſupplicium, filium hominis, quærunt quis ſit ille filius hominis? nam de Meſſia putant hæc accipi non poſ-

posse, qui regnabit in domo David in æternum. Sic infelices Judæi in hodiernum diem usq; torquent scripturas ad suam ipsorum perniciem. 2. pet. 3: 16. Efficacia autem mortis Christi ad spiritualem liberationem tendit, quia mortis & passionis suæ merito Deum reconciliavit hominibus, quibus erat offensus, ut nunc pacem habeamus cum Deo. Rom. 5: 1. Superavit mortem, vicit diabolum & infernum, quorum potestate abolita, victor surrexit à mortuis, ascendit in cœlum, Dominus omnium factus, Rex & protector fidelium. *Qui homines in delictis mortuos vivificavit, condonans delicta omnia: delens quod adversum nos erat chirographum*; &c. coll, 2: 9.

V. 35. Εἶπεν. Quia videt Salvator Iudæos ex tergiversatione sola & contumacia, vanis quæsticnibus doctrinam Christi dubiam facere, nec ullis miraculis moveri; concludit hoc colloquium gravissima exhortatione: & ostendit breve tempus superesse, quo costituerit Deus luce Evangelij sui ipsos fatigare: arripiendam igitur occasionem, si salvi esse velint; metuantq; ne si diututius in contumacia & contemptu oblatæ Divinæ gratiæ pergant, Deus ab ipsis recedet, relinquens eos in cæcitate & ignorantia, ut à vera Messiæ cognitione aberrantes, salute excidant. Christus est *Lux vera, illuminans omnē hominem venientem in mundum.* sup. c. 1: 9. In eū credere necesse est hos, qui per Divinā gratiam salvari cupiūt: qui autem eum rejiciunt, Divino judicio redduntur obnoxij. sup. c. 3: 18. *Et ira Dei manet super eos.* ibidem v. 36. Recessit itaq; ab eis Jesus: forte extra civitatem in Bethaniam, ut refert Matth. cap. 21: 17. unde mox summo mane reversus, longas cum Pharisæis disputationes habuit, multas exhortationes, comminationes, in-

formationes ad discipulos, vaticinia de excidio Jerosolymæ, de fine mundi: quæ à Matth. describuntur à cap. 21. usq; ad 26.

V. 37. Τοσαῦτα. Digreditur Evangelista in admirationem cæcitatis Judæorum, qui, cum tanta signa fecisset Iesus, non solum per universam Galilæam & Judæam, sed etiam Ierosolymis, in langvido, ad piscinam; sup. c. 5: 5. in cæco, cap. 9. in Lazaro. cap. 11. aliaq; plurima in cæcis & claudis, Matt. 21. 14. Sed & Deus de cœlo testatus est de eo; his tamen omnibus neglectis, impij in contumacia perdurant, nullis informationibus, concionibus, exhortationibus moventur, neq; miraculis aut voce cœlesti. Facta sunt miracula ista in frequentia multorum testium: quinq; panum miraculum viderunt viri quinquies mille, sup. cap. 6. Filium viduæ in Nain in vitam resuscitatum, vidit comitatus funebris universus. Luc. 7. Sanatum languidum ad Bethesda, viderunt Ierosolymitani, supra c. 5. cæcum item visum recipientem ijdem, cap. 9. Lazarum ex sepulcro evocatum, vidit multitudo Ierosolymitanorum & discipulorum cum habitatoribus Bethaniæ. Nihil horum in angulo gestum est; & ipsi fatentur: scire autem potuissent Iudæi, fieri non posse miracula tanta, nisi à naturæ domino, quod argumentum urget cæcus, c. 9: 33. Neq; sermonem Christi Deus tot tantisq; miraculis confirmasset, nisi veritatem juxta & voluntatem Dei loquutus fuisset. Cessissent utiq; huic veritati Judæi, nisi carnalibus cupiditatibus immersi, scientes volentesq; rejecta veritate cognita, Christo restitissent.

V. 38. ἵνα ὁ λόγος. ἵνα particula hîc non est causativa, sed indicativa veritatis prophetiæ: probatur ex universali omni-

omnium vaticiniorum conditione, de his quæ ex arbitrio humano eveniunt. Sic de Antichristo Daniel prænunciat, cap. 7: 25. &, c. 8: 12. *Blasphamabit Deum altissimum, & sanctos ejus vastabit: & veritatem destruet.* Prævisio hæc non est hujus impietatis caussa, sed indicium: quia enim hæc futura erant, ideo Deus ea prævidit ac prædixit futura, quæ prævisio, necessitatem agendi non imponit: loquitur itaq; hîc scriptura usitato more, sicut infra, cap. 15: 25. *Ut impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est; Quia odio habuerunt me gratis.* Psl. 25: 19. Dicat aliquis: Quid si credidissent? Respondetur: tum Propheta id futurum non prædixisset; Deus enim uno intuitu præterita & futura prævidet, sicut nos præsentia. Quod non animadvertentes quidam, Deum constiunt efficacem primamq; indurationis causam; quo posito, sequitur necessitate inevitabili, Deum fore cæcitatis, erroris ac peccati causam; consequenter etiam damnationis: quod ipsum naturæ divinæ esse plane contrarium, cum sit summe bonus, nec potest mali alicujus est causa prima. Si autem pœnā infert contumaciter delinquenti, non magis est causa perditionis impiorum, quam Magistratus puniens delinquentes, & pater qui hæreditate privavit filium imorigerū; præcessit enim iniquitas & contumacia, ut causa prima: & hic est ordo naturalis in moralibus; quid obstat si tale quid dicatur de Deo, patre & Rege hominum? Hoc vaticinium Christus ipse sic effert & exponit Matt. 13: 14. *Et adimpletur in eis prophetia Esaiæ, dicens; Auditu audietis & non intelligetis, videntes videbitis & non videbitis. Incrassatum est cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos suos clauserunt; ne quando videant oculis & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur & sanem eos.* Sic culpa, interprete Chri-

Christo, & prima mali causa in ipsis nolentibus residet quia noluerunt. Matt. 23: 37.

V. 39. Διὰ τοῦτο. Non poterant credere, intellige, quia nec doctrinæ evidentia, nec miraculis tot tantisq; moti, credere aut Christũ recipere volebant, itaq; contumaciter perseverantes ac repellẽtes verbũ Evangelij, & salutis media oblata, à Deo derelicti ob ingratitudinem & contemptum, excecantur: & Evangelij prædicatio transit ad gentes; cujus exemplum extat Actorum 13: 46. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.* Observandus est autem ordo quem servat Evangelista: 1. Obtulit gratiam conversionis Deus, verbo Evangelij, quod miraculis multis & magnis confirmavit. 2. Non crediderant, quantumcunq; laboravit Salvator docendo, demonstrando ex Scriptura & Prophetis, miraculis ostendendo veritatem doctrinæ, & missionis suæ, tã multis & magnis; tamen non creddierunt. 3. nec poterant credere jam excæcati, & à Deo propter contumaciam derelicti. Habent itaq; originem & causam mali in seipsis.

V. 14. Ταῦτα. Ostendit in visione peculiari, hoc vaticinium fuisse Prophetæ revelatum; cum vidit gloriam Dei: loquentis scilicet περὶ αὐτοῦ, de Messia, ejusq; advẽtu, & perversitate gentis Judaicæ: Respondet itaq; Evangelista exceptioni eorum, qui Christum recipere recusant, exemplo Judæorum: si enim non recipitur à suis, gentilibus ac cognatis, qui loquentem audierunt, & miracula viderunt, minus videtur recipiendus ab alijs, quibus hæc non contigerunt. Ostendit Evangelista primo, mirum id non esse, nec debere quenquam movere prædixit enim ita futurum Sp.

san.

ſanctus, Eſa. 6. Magis igitur hæc judæorum contumacia, à Prophetis prædicta, probat Ieſum eſſe Meſſiam, quo veniente vaticinia ſunt impleta. prædixit eandē Dan. cap. 9: 28. David, Pſ. 69. Et hinc extruit Evangeliſta argumentum confirmationis XIX. Deinde, neq; omnes erant increduli: Crediderunt enim plurimi, non ſolum ex multitudine, ſed etiam ex principibus gentis; Nicodemus ſcilicet, & Ioſeph ab Arimathia, ut dictum eſt, & multi alij, ſed occulte: ne ſcilicet ejicerentur è ſynagoga, conſtituerunt enim ejicere è ſynagoga omnes in Chriſtum credentes. ſup. c. 9: 22. Quæritur itaque an hypocritæ fuerint illi, præferentes gloriam hominum gloriæ Dei? Hic non auſim omnes damnare: duo fuiſſe genera horum apparet: alij credentes quidem fide hypocritica, ſeu ut Diaboli, qui credunt & contremiſcunt, Iac. 2: 19. qui contra teſtimonium propriæ conſcientiæ adhæſerunt mundi hujus commodis, relicto Chriſto: quem in conſcientia noverunt à Deo miſſum, ex miraculis & vaticinijs, tamen ne quid minueretur de ſplendore Sacerdotali, abolitis ritibus; itaq; prætendentes perturbationem ſtatus publici, ae indignationem Cæſaris, (minime metuendam ob hanc cauſam,) Chriſtum damnarunt. ſup. c. 11: 49. Hos non potuit fides hæc ſalvare, quæ præter hiſtoriæ conſenſum, nec Chriſto confidit, nec confeſſa eſt eum pro Meſſia & ſalvatore, ſed volens ab eo defecit, & amplexa eſt commoda mundi hujus. Alterum genus eorum eſt, qui miraculis & vaticinijs ac doctrina Chriſti convicti, crediderunt ipſum eſſe Meſſiam: verum & ipſi, moti externis commodis, verebantur ne ſi fidem ſuam manifeſtarent in Senatu, ex concilio & dignitate deturbati excommunicarentur: tales erant, Nicodemus, quem Ieſus ad ſe venien- XIX.

tem non reijcit; etiam Gamaliel, quorum uterq; pro Christo diſputabat: ille ſup. c. 7: 50. hic Act. 5. Ioſeph, officium præſtitit Ieſu mortuo, fidem declarans: non potuit autem hic metus eos damnare, magis quam Abdiam, qui prophetas domini occultavit: qui ſine dubio & ipſe clam tenuit in corde fidem veram in Deum, neq; id manifeſtavit coram Rege impio. Sic ſeptem millia, non adorantes Baal. 3. Reg. 19. In his ſi quid peccatum eſt, infirmitatis id eſt non diffidentiæ, declinãt enim periculum quousq; licet: nemo n. tenetur ſeipſum offerre periculo. Sic Paulus cum licuit effugit: protractus vero ut fidei ſuæ rationem redderet; coram Senatu Ieroſolymitano, & Nerone, clare confeſſus eſt, etiam imminente periculo vitæ.

V. 44. Ἰησοῦς. Revertitur Evangeliſta ad exhortationẽ Chriſti valedictoriam, quam, cum denuo prodit in conſpectum Iudæorum, iterat; ac ſummatim repetit ea quæ ſupra ſæpius & prolixe inculcavit genti Iudaicæ: quo minus conqueri liceat, non eſſe nunciatam ipſis voluntatem patris cœleſtis. Itaq; infert infra, cap. 15: 22. *Si non veniſſem & loquutus fuiſſem eis, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Tria autem ipſis denunciat, idq; ſevere, & ſonora voce ad mltitudinem. 1. Oſtendit ſe eſſe eundem eſſentiâ cum Deo Patre, ut qui ipſum videt & audit, Deum videre ſe credat & verba audire ejus, quæ conſilium æterni Dei exprimunt, de ſalute hominum. Docuit idem ſuperius cap. 5. Et cap. 8: 12. unde peti poteſt explicatio. Item infra c. 14. ad Thomam. *Ipſe eſt lux vera illuminans omnem hominem venientem in mundum.* Joh. 1: 9.

V. 47. Καὶ ἐάν τις. Deinde oſtendit eos qui non recipiunt ſermones ejus, pœnam effugere non poſſe; quamvis enim

nim nō venerit judex in mundũ, & ultor iniquitatis ac contumaciæ, nec usus sit potestate sua, qua potens est ad repridos puniendosq; contradicentes; pœna tamen non tradabit, sed, si in hoc mundo informationem & correctionem verbi Divini aliqui non admittunt, sciant tamen se judicandos, juxta verbum evangelij à Christo prædicatum in extremo die; *cum judicabit Deus occulta hominum secundum Evangelium meum per Iesum Christum.* ait Apostolus, Rom. 2. 16. Fit in hoc mundo, sæpè ut impij ultionem Divinam sentiant; sicut Iudæi, quibus devastatio reip. & sacrorum contigit, ab irato Deo: & quod mala omnia excedit à Deo derelicti, gratia Dei & salute exciderunt. Sic Christus potestatem tribuit Evangelio, judicandi impios, & contradicentes; quod Papistæ non admittunt.

V. 49. ὅτι ἐγώ. Tertio ostendit se Patris cœlestis esse legatum, nec ex affectu humano loqui, sed verba ac negocium sibi à Deo Patre commissum: loqui autem ex difinito consilio sanctæ Trinitatis, nec ab eo ulla in parte discedere.

V. 50. Καὶ οἶδα. *vita æterna est*, hoc est; via ad salutem, & ratio vitæ æternæ consequendæ, verbaq; sua quæ docuit in Iudæa, continere infallibilem scientiam, illius vitæ. verba hæc sunt quæ cap. 3. ad Nicodemum est loquutus, & postea passim toto hoc Evangelio ad Judæos & ad discipulos; quæ verba qui recipit, ac in Christum credit, per ea salvatur in æternum: & ab omnibus malis liberatur. Cætera quæ Ierosolymis his diebus ante cœnam ultinam gesta fuerunt, ab alijs Evangelistis descripta sunt.

C A P. XIII.

Absovimus in hac quarta parte hujus historiæ, con-

vivium Christo exhibitum in Bethania, cum his quæ Ierosolymis acta sunt quarto Paschate; nunc cœnam ultimam tractabimus, & quæ circa eam contigerunt. Quatuor sunt hujus capitis partes, 1. de cœna cum discipulis peracta. 2. pedum lotio. 3. indicium proditionis Iudæ. 4. Exhortatio ad discipulos. Πρὸ δὲ τῆς. tempus indicat, proxime ante festum, Paulus 1. Cor. 11. dicit, ea nocte qua traditus est: Matthæus cap. 26. dicit id contigisse prima die azymorum. Lucas, die azymorum in quo oportuit mactare Pascha. Matthæus dicit biduo ante Pascha cap. 26: 2. quod erat biduo ante egressum populi per mare ex Ægypto, eo scilicet quo mactabatur primũ Pascha in Ægypto: Exo. 12. Commendat autem Evangelista caritatem Christi, qua fideles suos prosequutus est, dum viveret in hoc mundo; dilexit enim auditores suos, viros ac mulieres credentes in se: eandem caritatem continuavit in omnes etiam deinceps credituros. Declaravit eam hac cœna, in qua Sacramentum instituit profuturum credentibus, ad fidei confirmationem usq; ad finem vitæ, per omnia mundi tempora; exhortatione quoq; ad dilectionem mutuam: tertio, passione & morte, quo nullum beneficium majus hominum generi contigit, per quod Deus est reconciliatus, & salus reddita: ut docet Apostolus Rom. 5.

V. 2. Καὶ δείπνου. Cœnæ hujus breviter meminit Iohannes, ad sequentia properans, quia à reliquis Evengelistis luculenter est descripta, cum circumstantijs omnibus & sermone habito. Diabolum ait immisisse in cor Iudæ proditionem Christi, seu injecisse; à βάλλω, βέβληκα. Est igitur potestas diabolo in impios, immittendi, cogitationes & desideria mala, in corda eorum: operatur enim in incredu-

dulis ut docet Paulus, Eph. 2:2. *Non fit per aurem sed per cogitationem: suggestione spirituali*; ait Aug. tract. 55. *Spiritualis* hæc est *nequitia*, adversus quam nobis lucta est. Eph. 6:12. Cui cogitationi Iudas non restitit; sed superatus cessit suggestioni Satanæ: causa erat, avaritia & habendi cupiditas, fur enim erat, sup. cap. 12:6. Et Matthæus indicat, ipsum à Sacerdotibus postulasse præmium proditionis. cap. 26:14. Ubi simul ostendit, Jesum signis verbisq; clarissimis, indicasse ipsi & Apostolis futuram proditionem; ipsum tamen non destitisse, quia jam per avaritiam & securitatem, diaboli laqueis implicatus tenebatur.

V. 3. Εἰδώς. Constantiam Domini Iesu in proposito Evangelista commendat, qui, quamvis sciret Divina potentia se excellere supra creaturas, ut posset omnem Judæorum violentiam ac Judæ institutum avertere: tamen in patris voluntate acquievit, & in demandato sibi mediatoris officio progredi constituit; cum sciret se per mortem & passionem ad patrem iturum.

V. 4. Ἐγείρεται. II. Pars in qua lotionem pedum ab alijs Evangelistis omissam, describit. Augustinus dicit factum id esse, cœna jam parata discumbentibus cæteris: nam accubuit postea, & buxellam porrexit proditori: videtur autem unum post alium evocasse, & post pedum lotionem iterum accubuisse.

V. 6. Ἔρχεται. Connivent ad ministerium exhibitum cæteri, & vel reverentia præceptoris non audent inquirere, vel expectant hujus actus rationem à Magistro. Usitatum fuisse Iudæis pedes hospitum lavare, patet ex colloquio Christi cum Simone Pharisæo, Luc. 7:44. cum quo Dominus Iesus expostulat, quod pedes sibi non laverit: Soleis e-

nim utebantur veteres, quib. externis ſolum pedum digitis tegumentum fuit additum, ſuperiora pedum nuda erant: unde inter ambulandum pulvis ſudori pedum adhæſit. Calceamentis enim uſos fuiſſe inde conſtat, quia Baptiſta de calceamentis Chriſti loquitur, Matt. 3: 11. Mar. 1: 7. Luc. 3: 16. Joh. 1: 27. Et calceamenta diſcipulis non defuiſſe legimus: Luc. 22: 35. Neque enim nudis pedibus ambulabant, ut fingunt pictores: prohibitio autem quæ extat Matt. 10: 10. plura ſaltē calceamenta portare vetat, quibus utantur in itinere, detritis primis; promittit enim eos habituros neceſſaria ab auditoribus. Excipit Petrus ac quærit, an conveniat Dominum & Magiſtrum debere pedes ejus lavare? primo reprehendit inſtitutum Domini, quaſi parum decens: deinde cæteros condiſcipulos tacite redarguit, quod id admittant. Inſtat Salvator, & docet juſtam ſubeſſe cauſā cur id faciat, quam Petrus non intelligit: pollicetur autem informationem peracto miniſterio lotionis. Aparet hic tarditas ſenſus in Petro, quem in hac Salvatoris cautione acquieſcere oportuit.

V. 9. Λέγει. Reſpondet Petrus & pertinaciter perſiſtit in ſenteutia ſeq; id permiſſurum in univerſum negat; atq; ſic ignorantiæ ac contemptui priori contumaciam ſuperaddit. Mirabitur autem quiſpiam, cur tanti æſtimet Dominus hanc pedum lotionem, ut ea omiſſa, vel non admiſſa, Petrus ſalvari non poterit. Sed reſpondetur non lotionis omiſſio damnaſſet; (Chriſtus enim pacuorum hominū pedes lavit, plurimi vero ſunt ſalvati) hoc vero mandatum Chriſti peculiariter directum ad diſcipulos, improbare Petrus non debuit, nec impedire: habuit enim Deum autorem, cujus mandatis qui reſiſtit contumaciter, peccatum

mor-

mortale committit, & maledictioni subjicitur; juxta sententiam legis. Saul mandatum habuit internetione delendi Amalechitas: putabat completum esse mandatum, si deleta maxima parte, servaret Regem & pecorum partem. 1. Sam. 15. Sed sensit vindictam irati Dei, & perijt. Sic Eva in Paradizo sprevit mandatum de arbore scientiæ, cum suo & humani generis malo maximo. Baptismi vile ministerium utentibus salutare est; contemnentibus damnosum. Naaman Syrus, nisi lavisset in Jordane, mundatus non fuisset. 4. Reg. 5. Accipit autem hic Salvator lotionem pedum conjunctam cum mandato dilectionis, quod inde deducit: *Caritas enim ex Deo est; & omnis qui diligit ex Deo natus est, & cognoscit Deum.* 1. Joh. 4: 7. *Hæc autem est caritas Dei, ut mandata ejus custodiamus.* 1. Ioh. 5: 3. Et cap. 3: 14. *Qui non diligit manet in morte.*

V. 9. *Λέγει.* Petrus hac objurgatione superatus, in alteram partem deflectit, non contentus dispositione Domini, ulteriorem lotionem poscit, cum iterum oporteret in Magistri voluntate acquiescere. Respondet Salvator, non opus esse lotis antea, lotione ulteriore: ideoq; his, qui per baptismi & sangvinis seu meriti Christi salutarem ac sufficientem purgationem, semel purgati sunt, non opus est purgatione alia; sed repetitione ejusdem non per lotionem, sed per pœnitentiam & sacræ cænæ usum, ac emendationem vitæ: si iterum in peccata prolabantur. August. tract. 56. Quod autem excipit, non esse mundos omnes: id de Juda Evangelista explicat, cujus proditio non erat Christo incognita qui quia constituit jam secum de hoc facinore, jam gratia Dei excidit, & salute: de spirituali igitur mundicie hic agit.

V. 12.

V. 12. ὅτι οὖν. Peracta pedum lotione, ſequitur quod in hoc actu Dominus præcipuè intendit; Exemplo ſuo diſcipulos hortatur ad dilectionem mutuam, ideòq; ſe pedes eorum laviſſe oſtendit, ut hoc actu memoriæ eorum tenaciter inhæreat admonitio, neq; progreſſu temporis obliteretur. Accommodat itaq; actionem hanc ſuam ad informationem diſcipulorum, ut quia ipſe magiſter eorum, morti vicinus erat; ipſi ſe mutuo amore complectantur, miniſteria ſibi mutua, præcipue perſequutionis, ad defenſionē doctrinæ, exhibeant, alij aliorum portent onera; Gal. 6: 2. noverintq; conſervationem incolumitatis ac ſtatus ſui, conſiſtere in concordia & officijs caritatis, quibus ſibi invicem proſunt: mutuis admonitionibus pareant, externam autoritatem ac potentiam non captent, ad mutuam offenſionem aut oppreſſionem. Exemplum ſuum imitandum proponit, qui Magiſter ac Dominus eorum exiſtens, non ſubterfugit miniſterium hoc viliſſimum obire, ut & illi ad ſimilia excitentur. Sic Lucas Paulo ſerviebat, in captivitate & mortis anguſtia, reliquis ſe ſubducentibus. 2. Tim. 4. Johannes cruci Chriſti aſtitit, fugientibus cæteris. Neq; iactantia hæc dici poteſt, qua ſe eorum magiſtrum ac Dominum profitetur: vera enim loquitur, & fatentur omnes, *& quia Deus eſt, extolli ſupra modum nequit;* ait Aguſtinus. Nec inſolens dicitur Paulus cum hiſtoriam paſſionum ſuarum recenſet. 2. cor. 11.

V. 16. Ἀμὴν. Majorem argumenti confirmat ex principio communi: non eſſe ſcilicet inconveniens, ſi faciat inferior quod vidit facere ſuperiorem.

V. 17. Εἰ ταῦτα. Ulterius monet, non ſatis eſſe ad piam vitam Chriſtiani hominis ſcire quid fieri oporteat, niſi hoc

etiam

etiam factis exprimat: sicut concionem suam concludens docuit Christus, Matt. 7:24. *Qui audit verba hæc mea, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam super petram.* Nec miseri futuri sunt tali officio, sed beati; quamvis ad securitatem temporalem sæpè videatur prodesse hypocrisis & fuga, cum imminente calamitate & periculo: etiam ministri sæpe se mutuo deserunt, aut etiam insuper produnt: sicut Iudas, qui tamen ex pecunia quam proditione lucratus est, felicitatem quam sperabat, non est adeptus.

V. 18. Οὐ περὶ. Ita exemplum Iudæ mox subjicit, eumq; ex consortio eorum excipit, & ex electorum suorum numero: & ostendit insuper eum esse de quò scriptum est, Ps. 41:10. Et verba Prophetiæ adducit, quibus securitatem, impietatem, atq; detestandem proditoris ingratitudinem digito quasi attingit. Estq; XX. argumentum quo probat Christum esse Messiam. Gravis hæc erat admonitio, quæ tamen ad cor hominis indurati & impij non penetrat; tanta est vis diaboli, in impijs longa meditatione maleficij obfirmatis, & à Sp. sancto propterea derelictis. *XX.*

V. 19. Ἀπ' ἄρτι. Cum prævideat hæc futura Christus salvator, nec admonitionibus pariturum proditorem; itaq; dirigit exhortationem hanc ad fructum meliorem, in his qui credunt: ut scilicet hinc cognoscant, Iesum verè esse Messiam promissum, de quo Sp. sanctus hæc futura prædixit. Hæc cum ad proditoris emendationem nihil faciant, conferunt tamen ad fidelium in fide augmentum & corroborationem, cum intelligunt dicta, facta, passionem, genus mortis & omnia ad scripturæ vaticinia quadrare.

V. 20. Ἀμὴν. Dicta fuerunt præcedentia plurima in

proditorem, jam ad consolationem discipulorum aliquid addit; ne desperabundi post crucis supplicium Christum & officium deserant: repetit itaq; promissionem datam, Matt,10: 40. docetq; etiam post mortem & resurrectionem duraturam eandem; præmiaq; ingentia manere eos, qui legatos ejus recipiunt, eos defendunt; ipsis & Evangelio obediunt, fidem adhibent. Recepturos promittit eoipso Christum, cum omnibus meritis ac beneficijs: patrẽ quoq; cœlestem, cum gloria, benedictione & salute æterna. inf. c. 14: 23. & 1. Joh. 2. 23. *Qui negat Filium nec Patrem habet; qui confitetur Filium, & Patrem habet.*

V. 21. Ταῦτα. III. Pars capitis, in qua claro indicio discipulis patefacit proditionem Iudæ: 1. Perturbatur Christus animo, naturali commotione, qua afficitur ex præsentia Iudæ, qui quidem, indicio, notatus supr. v. 10. & iterum v. 18. tamen non movetur, quamvis facinoris conscius. Perturbatio hæc non erat similis eorum qui impotentia odij aut iræ effervescunt, sine modo, adversus inimicos affectu inordinato; sicut Cain; qui viso fratre, vultum immutat: hæc autem commotio, justa est, adversus prefidiam & ingratitudinem, indignatio; sicut cum dominus peccanti servo irascitur, aut pater filio, quæ fit cum commotione tali, ut ex affectu & vultu, aut voce gestuve sæpe deprehendatur, & est naturalis ac licita: Propius itaq: rem designat, esse scilicet inter duodecim Apostolos proditorem, ut rei indignitate omnes moveantur, & proditor resipiscat, cum audiat rem non latere, cæterosq; propterea commoveri: etiam ob vaticinium Ps. 55: 14. Discipuli, ut fieri solet, turbantur, circumspiciunt, si rubor aut vultus cujusquam facinus indicet, aut si quisquam sit conscius: quærunt autem

de-

de se singuli; etiam Iudas: *Numquid ego sum?* Matt. 26: 22.

V. 23. Ἦν δὲ. Discipulus qui ad sinum Iesu recubuit Iohannes erat, qui sic accubuit, more orientalium discumbentium in terra, cibo in medio apposito: ubi singuli brachio sinistro innixi, accumbunt, alius ad sinum seu pectus alterius, mensæ appropinquat capite & dextera manu, pedibus extra positis. Nomen ipse non exprimit, ob verecundiam: Diligebat omnes usq; in finem Iesus; sup. v. 1. Hunc autem propter eximiam innocentiam, mansuetudinem ac simplicitatem, ait Theophylactus. Forte peculiaris dilectio intercessit, non solum propinquitatis, sed etiam ob tutelam matris, quam ei commisit, infra: c. 19: 26. ubi etiam hujus dilectionis Evangelista meminit, sicut etiam c. 21: 20.

V. 25. Ἐπιπεσὼν. Petrus ei innuit, ut tacite geratur negocium, sine magna alicujus consternatione aut confusione. Iesus itaq; porrigendo proditori bolum intinctum, clarum reddit indicium. Quod autem post hanc buccellam dicitur introijsse in eum Satanas, non est quod antea Satanæ laqueis non fuerit implicatus, nam Lucas dicit intrasse Satanam in ipsum, cum iret ad Sacerdotes & de proditione cum ipsis ageret: c. 22: 3. Amplius nunc intravit in eum, ut plene eum possideret: cum spreto etiam hoc tam claro indicio, tamen in proposito persistit: augetur enim potestas diaboli ex mali propositi continuatione & ex admonitionum contemptu; sic Cain etiam Deo voce sua monente, tamen in proposito persistit: sic impij seipsos indurant, & à dibolo indurantur. *Postquam palam factus est, licenter jam irrupit, (diabolus) neq; inemendabilis, erat amplius in aliorum numero tolerandus; ideo jam eijcitur, quem mox diabolus*

comprehendit. Chrysostomus in hunc locum. Et iterum: *Illud autem verbum (fac citius) non imperantis est neq; consulentis, sed exprobrantis & revocantis ad emendationem, sed cum esset inemendabilis, dimisit eum; & hoc nemo intellexit discumbentium.* Habet ergo hanc vocem Chrysostomus, pro excommunicatione, qua Christus Iudam, Satanæ potestati reliquit, quem emendari non posse vidit. Non est itaq; mirum si induretur is qui se totum diaboli potestati tradit. Putat tamen Chrysost. spem aliquam fuisse reliquam correctionis, dum mansit in societate discipulorum & informatione Christi: exiens autem ab eis postquam Ecclesiam ipse deseruit, jam exclusus, mansit in potestate diaboli, à quo postea regebatur, usq; in interitum. Cæteri non sperantes tantam in eo impietatem, verba Christi mitius interpretantur. Iudas offensus magis, quia proditionis indicium factum est in Apostolorum consessu, discedit, ultionis cupidus, sine dubio, noctisq; tenebris utitur, ad perficendum tenebrarum opus, & eadem nocte satellitium Pontificum in locum opportunum adducit, ad comprehendendum Dominum: inf. c. 18. dum interim prolixo sermone Iesus discipulos informat & consolatur.

V. 31. Ὅτε οὖν. IV. Pars capitis, in qua succedit narrationis seu historiæ pars V. continens orationem Christi Domini exhortatoriam & consolatoriam, ad discipulos; ubi etiam de persequutione ejusq; causis prædicit, jubet bono animo esse, ac eventum felicem sperare: orat etiam pro discipulis & Ecclesia fidelium; idq; parte reliqua hujus, ac totis quatuor capitibus sequentibus. Prædixit antea se esse pastorem bonum, & ponere animam suam pro ovibus suis: cap. 10: 11. ponere cũ volens. Ibidem v. 18. genus mortis etiã: cap: 12: 32. Et Matt. 26: 2. *Scitis quia post biduũ Pascha fiet, &*

filius

filius hominis tradetur ut crucifigetur. Et Luc. 22: 15. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum ante quam patiar.* Et: *non bibam* (vobiscum) *ante quam patiar.* Ex hîs omnibus intellexerunt discipuli, parum superesse ipsi temporis ad mortem. Addidit insuper hic de proditione: Et noctem instantem indicat esse captivitatis suæ tempus; inf. v. 37. Ne igitur consternati nimium discipuli, Christum & fidem deserant, itaq; præcepta dat, & consilium: Et consolationis argumenta validissima præbet, quibus se munient adversus imminentem persequutionem. Unde finem hujus sermonis exprimit, cap. 16: 1. & 4. Ne scilicet scandalizentur: & ut reminiscantur eorum quæ dixit, cum viderint ea fieri, & confirmentur in fide. Propositionem hujus sermonis primo loco ponit, cujus primum membrum est; Spectare hanc passionem suam, ad Dei gloriam, quæ hoc modo illustratur: in filio obedientia & amor patris, dilectio quoq; hominum, ac salutis meritum, resurrectio & glorificatio: in patre misericordia ineffabilis, & dilectio hominum, atq; justitia, cum sapientia & infinita potentia, in excitando filio & glorificando. Id nunc à Deo inchoatum & constitutum esse ostendit, & adesse tempus.

V. 33. Τεκνία. Altera pars propositionis, præceptum de dilectione: Compellatio blanda. Exordium ducit à brevitate temporis, quo cum ipsis manebit, unde attendent diligenter, & mandatum servent discipuli: deinde à desiderio, quo eum absentem prosequentur, cum solita præsentia Domini frui non licebit. Tertio quia nequeunt abeuntem comitari, & unà esse; hoc est mortem pati sicut ille, & glorificari: tolerare tam vehementem perturbationem non possunt, carnales adhuc, expectantes regnum terre-

num; quod ostdndunt sequente contentione de primatu. Luc 22:24. Et cum quærunt de restauratione regni israelis. Actorum 1:6. Nec dum ipsis est finis malorum, quos adhuc multa perferre oportet pro nomine Christi.

V. 34. ἐντολὴν. Mandatum nunc profert de dilectione mutua, suumq; exemplum imitandum proponit; toleravit ipse infirmitates eorum, condonavit offensas, erudijt, juvit, pavit, vitam pro salute ipsorum impendit: qua dilectione nulla potest esse major. inf. c. 15: 13. 1. Ioh. 3: 16. Hæc enim est nota veræ fidei in Christum, *Qui diligit ex Deo natus est.* 1. Ioh. 4: 7. Et; *In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere.* cap. 3: 16. Quare hoc mandatum dicatur novum quæri potest; nam naturæ insita videtur dilectio mutua, econtra odium proximi est naturæ contrarium: Lege etiam Mosis prohibetur, *Ne oderis fratrem in corde tuo,* Lev. 19: 17. Et præcipitur dilectio: *Diliges proximum sicut teipsum;* ibidem v. 18. Verum Lex antiqua cogit, minis terret; Mandatum novum spiritu spontaneo ad operandum ducit: quã differentiam Dominus suo exemplo explicat; *Sicut ego dilexi vos.* Neq; enim ipse lege adactus fuit & territus, sed amore hominum ductus, sponte atq; volens, nobis bona æterna meruit. Hoc est quod præcipit Apostolus, Eph. 4: 24. *Induite novum hominem.* Et 1. Joh. 2. Novi & veteris præcepti fit mentio. Conveniunt ea, quia utrumq; dilectionem præcipit; utrumq; Deum autorem habet, promissionem etiam: verum differentia in modo agendi & causis impellentibus consistit, ut dictum est. videatur etiam differentia à Paulo posita, Gal. 1. & 3.

V. 36. Λέγει. Petrus quamvis de abitu Domini sæpius ad-

admonitus ſit & informatus, quærit tamen quo vadat? putat enim ſubeſſe aliud: ſi n. de morte loquatur, exiſtimat Petrus id ſibi non eſſe impoſſibile, præſertim quia conſtituit cum ipſo pati omnia, etiam mortem, ſi ſit opus. Reſpondet Ieſus, Petrum nunc quidem id facere non poſſe; ut dictum eſt: facturum tamen aliquando. Et quia fortitudini viribusq; ſuis multum tribuit Petrus; reprimit eum Dominus, & oſtendit quanti ſit hæc oſtentatio vana, cum nec primos impetus tolerare poſſit: Prædicit itaq; ei ſuturam abnegationem eadem nocte, ante cantum galli, ut diſcat Petrus, non temere multum polliceri, nec ſibi nimium fidere, propter naturæ infirmitatem, ſed cum timore Deum invocare, ejusq; auxilium ſperare; quod cum ipſe negligat, id ejus loco efficit Chriſtus inf. cap. 17. & Luc. 22: 41. *Ego rogavi pro te ne deficiat fides tua.* Sic ſtudium Petri non ſufficit ad præclari operis effectum, niſi accedat auxilium Divinum potuiſſet enim hac defectione in æternum perire, niſi oraſſet pro ipſo Chriſtus, & ſalutari ſuo intuitu ipſum ad pœnitentiam revocaſſet. Quod autem Judas non fuerit revocatus ad pœnitentiam, etſi ſæpè, ut dictum eſt, graviterq; fuerit admonitus, cauſa eſt, quia non ex infirmitate, ut Petrus, ſed ex deſtinata malitia lapſus erat; nec admonitiones & ſalutaris verbi media admiſit: Petrus vero, ſolo intuitu revocabatur ad pœnitentiam, caſum hunc Petri deſcribit Evangeliſta, c. 18.

CAP. XIV.

In hoc capite hortatur diſcipulos ad conſtantiam in fide, in Deum Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, cujus auxilio & ope facile erit omnes perturbationes & pericula ſupe-

ſuperare, pacem & tranquillitatem conſcientiæ retinere, bona Spiritualia aquirere, & in æternum ſalvari. Turbantur diſcipuli ex imminente morte Chriſti, vident deficere Iudam, & ex Apoſtolo proditorem factum; Petri quoq; lapſum ſalvator prænunciat, unde augetur perturbatio. itaq; conſolationis remedium Chriſtus adhibet.

V. 1. Καὶ εἶπε. I. Pars capitis, in qua tertia pars propoſitionis ponitur, qua ſimul indicatur vehementioris perturbationis cauſa, & ejusdem remedium. 1. pars propoſitionis eſt cap. 13: 31. Cauſa perturbationis externa quidem eſt perſequutio impiorum; ſed interna eſt hæſitatatio & infirmitas fidei, nam vacillante fide robur accipit illa externa: contra, ſi adſit fides firma, in Deum, & Chriſtum ſalvatorem, ac Sp, ſancti auxilium, nihil movemur procellis violentiæ externæ, mundi & impiorum. Propoſitio talis eſt: Quicunq; rectam fidem tenet in Deum Patrem, & Filium, facile ſuperabit omnia pericula externa, Diaboli etiam perturbationes, & conſcientiæ terrores; quibus piorum cor turbatur. Creditis in Deũ, & in me credite: *Conſequens n. eſt, ut ſi in Deum creditis etiã in me credere debeatis: quod non eſſet conſequens, niſi Chriſtus eſſe Deus*; ait Auguſtinus, tract. 67.

V. 2. Ἐν τῇ οἰκίᾳ. Sequuntur argumenta confirmationis. I. Argumentum ab immenſo & univerſali dominio cœleſtis Patris, qui cum ſit cœli & terræ & omnium dominus, ubiq; præſens, dominium obtinet, poteſt itaq; credentes in ſe ſervare quocunq; in loco; ut ſi Ieroſolymis eſſe non liceat, aut in Iudæa, licebit inter gentes, & ubicunq; terrarum: ſi in terris non relinquatur locus fidelibus, remanet cœleſtis habitationis ſpacioſiſſima habitatio, ubi Deus erit omnia in omnibus. Sic ſupra Chriſtus Petro circum

ſpi-

ſpicienti de habitatione reſpondit: Luc. 18: 28. Matt 19: 28. Nec eſt quod dubitet quiſquam fidelium de bonitate Patris & adeptione hujus felicitatis, quia peccati labe affecti inveniuntur indigni cœleſtis habitationis incolæ: Chriſtus enim paravit locum, & mortē ac paſſione reconciliavit Patrē generi humano, ut venientes ad ſe benigna voluntate recipiat in habitacula ſua æterna. Neq; vero hîc imaginatione concipere oportet cœnacula, cubilia & atria domiciliorum humano more, quales ſunt conceptus pueororum, aut eorum qui ſpiritualis ſenſus minus ſunt capaces: ſed mentem elevare oportet ad cœleſtia & æterna, *quæ oculus non vidit, quæ auris non audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe. Eſa.* 64: 4. 1. Cor. 2: 9.

V. 3. Καὶ ἐάν. Occurrit exceptioni de ſuo abitu per mortem; ſi enim moriendum eſt; ergo fruitione præſentiæ ipſius carebunt in perpetuum, qui ab ipſo perſuaſi, Evangelij fidem receperunt, ipſumq; ſequuti ſunt: nunc ab ipſo derelicti, manebunt crudulitati hoſtium expoſiti, ſine ullius auxilio; quæ res fidem in Chriſtum haud parum debilitat. Reſpondet itaq; & oſtendit falſum eſſe quod ſupponunt: non derelinquet eos in perpetuum, ſed reverſus reducet ad cœleſtia gaudia, ut converſatione & aſpectu ejus frui liceat in æternum. Veniet ad eos primo poſt reſurrectionem, ſeq; juxta promiſſionem vivum eis oſtendet, deinde, affuturus eſt eis uſq; ad finem ſeculi, Matt. 18: 16. Tertio adducet eos in extremo die ad cœleſtem gloriam, ut dictū eſt. De his plura infr. c. 16: 20. & Matth. 28: 20. Oſtendit inſuper eos ſcire viam: quia manifeſtavit eis nomen Patris, infra. c. 17. *Hæc enim eſt vita æterna ut cognoſcant te ſolum verum Deum & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Et ſup.

c. 5: Ex ſcripturis & Moſe probat ſe eſſe Meſſiam. Sic cap. 6. *Hæc eſt voluntas Patris mei, qui miſit me: ut omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* Id poſtea pluribus argumentis probavit.

V. 5. *Λέγει αὐτῷ.* Exceptio Thomæ adverſus verba Salvatoris, qua fatetur ſe neſcire viam hanc, quæ ducit ad cœleſtia illa habitacula. Reſpondet Dominus; *Ego ſum via:* nempe non eſt alia ratio veniendi ad patrem ſeu ad gaudia cœleſtia, niſi per Chriſtum, per meritum ſcilicet, & fidem ejus. Sic ſup. cap. 10. dicitur oſtium ad ovile: Et Act. 4. *Non eſt in alio aliquo ſalus.* Rejiciuntur itaq; legis opera, & omnis cultus ab hominibus ex cogitatus. Neq; etiã ſola informatione nobis ad ſalutem profuit, aut exemplo; ſed merito ſalutis; cum morte Deum humano generi reconciliavit: & hoc eſt quod de manducatione carnis ſuæ, & ſanguine bibendo diſſeruit, ſup. cap. 6. Nec dixiſſet Baptiſta: *qui credit in filium,* ſed qui credit filio: Joh. 3: 36. Sic ſup. 6: 29. & 40 cap. 12: 37. & v. 44. *Qui credit in me* &c. Thomas autẽ imaginabatur Splendidam quandam Patris cœleſtis regiam, in qua carnalibus oculis poſſunt Deum videre; à quo Chriſtus poteſtatem terrenam & exercitum acciperet, ad occupandum regnum terrenum: itaq; litigabant poſtea de dignitate ſuprema, Luc. 22: 24. Reſpondet Ieſus ſe eſſe viam. 2. eſſe quoq; veritatem; eſt itaq; etiam & Deus: *Deus enim veritas eſt*, 1. Joh. 5: 6. *Chriſtus eſt veritas.* Non poteſt autẽ dici de homine aut creatura quod ſit veritas, ſed verax dicitur: à qua tamen poteſt deficere; Deus autẽ eſſentialiter eſt verax, ſeu veritas. Loquitur vero hic Salvator etiam in particulari, de veritate per quam venitur ad Patrem; hoc eſt ſalvifica: quæ alias dicitur *veritas Evangelij*,

Gal.

Gal. 2: 14. Et *Lex veritatis*. Mal. 2. 6. *veritas* quæ nos *liberat*, ſup. c. 8: 22. 3. Dicitur & *vita*, 1. Joh. 5: 12. *Qui habet filium, habet & vitam: qui non habet filium Dei, vitam non habet.* Et ſup. c. 5: 26. *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo.* Et hoc juxta humanam naturam, ut Cyrillus declarat, lib. 2. cap. 144. in Iohan. Et accipiendum eſt de vi vivifica qua nos vivificat, ad vitam non ſolum animalem, ut creator, ſed Spiritualem & ſalutarem, ut Salvator: Sine hac nemo poteſt ſalvari, qui ex carne natus eſt: ſup. c. 3.

V. 7. Εἰ ἐγνώκειτε. Altera pars reſponſionis Chriſti, qua leviter innuit & redarguit oſcitantiam diſcipulorum in cognoſcendo Chriſto, nam per cognitionem ejus potuiſſent pervenire ad notitiam Patris: limitat tamen correptionem, & docet etiamnum contigiſſe eis ex his quæ audiverunt & viderunt, aliquam Patris cognitionem, ex viſione ſcilicet & converſatione Chriſti. Audiverunt enim Evangelium ſalutis & viderunt opera mirabilia, Chriſtum Dei filium confitentur, quem viderunt incarnatum.

V. 8. Λέγει. Philippus Thomæ exceptionem urget, petitq; ut Patrem ipſis videndum præbeat: ſicq; cotentos fore putat doctrina & ſvaſionibus Chriſti, ſi Patrem videant oculis & audiant eadem approbantem, quæ ipſe docuit. Ignorantia hæc erat in Thoma & Philippo, ſimul atq; incredulitas: ſi enim ſerio crediſſent Chriſtum & filium Dei eſſe, & eſſentia eundem cum Patre, ſicut docuit Salvator, ſup. cap. 5. Et cap. 7: 16. Et quod opera filij ſint opera Patris, cap. 10: 37. utiq; & in filio vidiſſent Patrem. Deũ autẽ nemo videre poteſt carnalibus oculis & vivere; quomodo Moſi reſpondit Deus ipſe, Exo. 33: 20. Poſteriora autẽ videre licet, & à tergo; hoc eſt, ex operibus De⁹ cognoſcitur:

alias *habitat lucem inaccessam.* 1. Tim. 6:16. Hæc novisse oportuit Apostolos ex scripturis & diuturna informatione Domini; quod cum neglexerint, ideo castigationem exasperat, quamvis magna cum moderatione, ne tristitiam adaugeat.

V. 10. Οὐ πιστεύεις. Itaq; media & indicia ipsis ponit, ad cognitionem valida, & sufficientia in hac vita; verbum scilicet Evangelij, & opera, quæ per Filium protulit & operatus est Deus: est enim vox Evangelij vox patris cœlestis, miraculorum quoq; opera Divina; suntq; testimonia infallibilia de Christo, quod sit Deus in ipso: ut ait Paulus, 2. Cor. 5: 19. Quod etiam supra ostendit cap. 10:37.

V. 11. Πιστεύετε. Concludit itaq; oportuisse discipulos verbis & doctrinæ Christi credere, concordanti cum Mose & vaticinijs Propheticis: sup. c. 5: 46. Nunc vero videntes opera Divina à Christo facta, firmiter credere decet, nec dubitare, quin Filius, idem sit cum Patre, essentia: potentia & virtute, missus ad salutem hominum.

II. V. 12. Ἀμὴν. II. Pars capitis habet II. Argumentum consolationis, donum scilicet, & gratiam Sp. sancti tribuentis; 1. virtutem faciendi miracula, similia miraculis Christi, & his majora. Multa & frequentia miracula ab Apostolis facta legimus in historia Apostolica, talia quidem, ut de Iesu salvatore ejusmodi historia Evangelica non commemoret: ut cum Ananiam & uxorem ejus Saphiram Petrus Apostolus verbo necavit. Act. 5. cum umbra Petri transeuntis ægros sanaret: sudaria Pauli langvidis imposita morbos tollerent, Act. 19: 12. Sepulchrum Babylæ martyris oraculo Apollinis silentium intulit, ut notat Ruffinus l. 1. cap. 35. Provenit autem hoc bonum ex abitu

Chri-

Christi ad Patrem 2. dabit donum orationis & exauditionis, : formam autem orationis præscribit talem, quæ sit in nomine Christi, hoc est, qui vult exaudiri propter meritum & passionem ejus, non propter merita aut dignitatem propriam: deinde, quæ petit ea bona quæ diriguntur ad glorificandum Deum Patrem, propter beneficia nobis prestita. Promittit verò se recte petentes exaudire vere velle; non quidem quidvis postulantes & modo quocunq;, sed ut supra dictum est: exempli gratia; cum Paulus orat *ut sermo Dei currat & clarificetur: Et ut liberemur ab importunis & malis hominibus; & ut custodiat nos à malo.* 2. Thess. 3: 1. Et qualia Dominus discipulis præscripsit in oratione Mat. 6: 9. *Hoc faciam*, inquit, ostendens se ubiq; adesse, audire orantes & facere velle ac posse, quod petunt: est itaq; Deus omnipotens.

V. 15. Ἐὰν. 3. operatio Sp. sancti, in his qui diligunt Deum & mandata ejus servant: illuminatio in veritate, ac perseverantia in eadem ad finem vitæ, & in æternum. *Alium paracletum* hoc est, majora Sp. sancti dona quæ nobis impetrabit Christus discedens à nobis. Oravit sæpius secedens â multitudine, sine dubio pro fidelibus: oravit infra, cap. 17. oravit in cruce; nunc *ad dexteram Dei collocatus interpellat pro nobis.* Rom. 8: 34. Heb. 7: 25. Quo fit ut orante pro nobis Christo; & juvante, illuminante, confortante Sp. sancto, perseverare possint fideles usq; in finem, & certi esse etiam in hac vita de sua salute. *Alius paracletus*, dicitur, personali differentia à Filio Dei distinctus, notat enim suppositum & personam, cum dicitur vel ille aut alius: describit eum primo quia est fons veritatis, hoc est, veritas, ut modo dictum est, autor enim est omnis veræ cogni-

tionis de Deo, de Christo & salutis medijs. Deinde diversus est à mundi & impiorum spiritu, qui non est autor veritatis sed erroris: & mundus hujus non est capax, propter cæcitatem cordis ac obscuratum tenebris intellectum: Eph. 4: 17. Nisi enim adsit fides, intellectus non percipit hæc Divina. 1. Cor. 2. Fides autem detergit nebulas & mentis oculos aperit. Tertio manebit in eis & habitabit in eis, non solum in congregatione fidelium; sed in singulis. 1. Cor. 2: 12. *Nos spiritum hujus mundi non accepimus, sed spiritum qui ex Deo est: ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Et, cap. 3: 16. *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis.* Est itaq; Deus.

V. 18. οὐκ ἀφήσω. Ex supradictis nunc infert, non fore ipsos velut pupillos parentibus orbos, quos ipse discedens tanto præsidio munijt: qui Deum patronum habent, ac defensorem perpetuum. Interim tamen & ipse redibit ad eos, post modicam absentiam, cum mundum relinquit. Discipuli vero & fideles ipsum resurgentem videbunt, & vivet in eis semper, quod ijsdem verbis expressit Paulus, Gal. 2: 20. *vivit in me Christus.* Mundus autem viventem Christum non videt, quem mortuum putat & abolitum manentemq; in morte, nec unquam revertentẽ in vitam.

V. 20. Ἐν ἐκείνῃ. Tunc cognoscent, completis his promissionibus, de resurrectione Christi ac dono Sp. sancti, quem mittet, in cœlum ascendens; qui cum sit Spiritus veritatis, imbuet eos vera cognitione de Deo Patre & Christo filio, sufficiente ad informationem salutis.

V. 21. ὁ ἔχων. Docet nunc, quinam sint futuri participes hujus doni Spiritualis: illi scilicet, qui recipiunt mandata Domini, & servant ea, fidem & dilectionem, Dei, &

mu-

mutuam interſe; nam ex mandatorũ obſervatione fides apparet, & dilectio Chriſti: hos pater & filius diligit, ac deducit in cognitionem adhuc pleniorem, quam abſolvet in vita futura. Spiritus enim excitat, & adauget ſemper in fidelibus dona hæc ſpiritualia, eaq; conſervat in finem.

V. 22. Λέγει, Quærit Judas, (non Iſcariotes: ille enim abijt ad abſolvendam proditionem: ſup. c. 13: 39.) cupiens ſcire cauſam cur non manifeſtabitur mundo? Mundi vocabulo hic comprehendit incredulos qui Deum non diligunt. Τί γέγονεν. Reſpicit ad decretum Divinum præcedens, cujus cauſam quærit: an ſcilicet noluerit Deus, maximam partem hominum hujus ſcientiæ fieri participem? Reſpondet Jeſus: contingere ſalutem hanc diligentibus Deum, his ſcilicet, qui cum gaudio verbum Evangelij recipiunt, ſalutaribus exhortationibus obediunt, Deum diligunt, præcepta ſervant, ſtudium adhibent; hos Pater cœleſtis mutuo amore complectetur, Et in corde eorum habitabit, cum filio & Sp. ſancto. ſup. v. 16. fit igitur hic mentio trium perſonarum Divinitatis. Si quis autem hinc infere velit. Ergo dilectio noſtra prima cauſa eſt cognitionis & dilectionis Dei? Reſpondet Paulus, Rom. 8: 28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum ijs qui ſecundum propoſitum vocati ſunt.* Loquitur itaq; hic de vocatis, quos Deus prævenit gratioſa vocatione: Dilexit enim Mundum, Joh. 3. Et 1. Ioh. 4: 10. *Non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe dilexit nos.* Et v. 19. *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* Non igitur Deus aliquos à ſalutis medijs excluſit, ſed vocavit omnes, Matt. 11. *venite ad me omnes.* Et trahit ad ſe omnes: ſup. c. 12: 32.

V. 24. ὁ μὴ. Contra, qui Chriſtum non diligunt, ſed aver-

versi, fidē non recipiunt, mandata non servant, media salutis reijciunt; hi non salvantur, quia, extra Christū, nulla est alia ad salutem via: sup. v. 6. Ratio est, quia verbum Christi est sermo Patris; decretum ex quo constituit salvare credentes, quod medium qui spernit, salute excidit, & perit in æternum. Sic iterum atq; iterum inculcat Salvator mandatum de dilectione Dei, & caritate mutua; est enim veræ fidei nota infallibilis & comes indivisus. Et qui non diligit manet in morte, ait Johannes 1. Ep c. 3: 14. Contra *Qui confessus fuerit quoniam Iesus est filius Dei, Deus in ipso manet, & ipse in Deo.* cap. 4: 15. Et v. 19. *Deus prior dilexit nos* Infra c. 15: 16. *Non vos me elegistis.* Initium itaq; & prima salutis causa in Deo est; quæ incrementum in nobis accipit amore; dilectione Dei, & studio pietatis.

V. 25. Ταῦτα. III. Pars cap. In qua alias operationes Sp. sancti indicat. Transit ad sequentia & hortatur ad observationem verborum suorum, quæ præsens loquutus est cū eis, jam discessurus.

V. 26. Παράκλητος. Iterum redit ad declarandas operationes Sp. sancti quem mittet Pater in nomine Christi: infra cap. 15: 26. *quem ego mittam vobis à Patre.* Egreditur itaq; à Patre & Filio. Sanctus dicitur, voce transcendentali, quæ, ut alia attributa, Deo soli competit. 4. operatio Sp. sancti, memoria & plena informatio discipulorum & Ecclesiæ, in his, quæ Christus discipulis loquutus est, dum viveret in terris, quæ discipuli tum quidem satis non intellexerunt; sicut & in omnibus necessarijs ad salutem: instruxit enim Sp. sanctus veniens, Christi Apostolos recordatione & intellectu antea dictorum: sicut de destructione templi, Joh. 2: 22. de ingressu in urbem. sup. c. 12; 16. Cognitione omnium

um linguarum, intellectu vaticiniorum; ſcientia perfecta myſteriorum fidei. Eph. 3: 5.

V. 27. Εἰρήνην 5. Operatio Sp. Sancti, Pax conſcientiarum; quam per theſin & antitheſin deſcribit, qualis ſit: 1: Pacem ſuam dicit, quæ alias pax Dei dicitur, Phil. 4:7. quam Deus operatur in fidelibus mediante merito Chriſti; hanc etiam per Sp. ſanctum conſervat. Oritur ea ex ſenſu gratiæ & reconciliationis cum Deo, ex merito Chriſti; unde fideles lætitia Spiritus magnopere afficiuntur in corde: ſicut de his agit Paulus Rom. 8. & poſt multam gratulationem exultat; v. 33. *Quis accuſabit adverſus electos Dei? Deus qui juſtificat. Quis eſt qui condemnet? Chriſtus Ieſus qui mortuus eſt*: &c.

V. 28. Ἠκούσατε. Concluſio qua diſcipulos confirmat in doctrina ſuperius tradita, jubet bono eſſe animo & de ejus abitu bene ſperare, hoſtes & inimicos non metuere, neq; diabolũ; ſed in exaltatione Chriſti lætari, ac perſeverare in fide. Propoſitio verſu ſuperiore. *Non turbetur cor veſtrum*: repetit propoſitionem initio cap. poſita. *Non turbetur*: hoc eſt, non dimoveatur fides ex eo ſtatu qua fuit hactenus, rebus ſalvis; cum vident Chriſtum morientem ac deſerentem mundum. 1. Ratio, quia reverſurus ſum ad vos, vita meliore, paſſionibus vacua. 2. Quia vado ad patrem ad gloriam, & plenam uſurpationem cœleſtis illius potentiæ ex unionis gratia acquiſitæ, quæ in ſtatu exinanitionis latuit: ut quamvis eos deſerat ſecundum externam converſationem, ex uſurpatione tamen cœleſtis gloriæ ac majeſtatis Divinæ, potens eſt in cœlo & in terra, ut poſſit eos adverſus hoſtes potenter defendere; unde magis lætari decet diſcipulos, ſicut poſtea lætabatur Apoſtolus, 1. Pet. 1: 3. &, Hebr.

cap. 1. rem melius intelligens. Pater major Christo, secundum humanam naturam; quamvis exaltata sit humana Christi natura, & assumpta in Divinam gloriam, tamen id totum habet ex gratia, quod indicat vox ἐχαρίσατο: Phil. 2: 9. gratia scilicet unionis, ad redemptionem nostram. Interim quia Christus ex natura Deus, per essentiam Divinam à Deo non differt, cum sit *Deus benedictus in secula* Rom. 9: 5. itaq; patri est æqualis secundum Divinitatem, & virtus una; sicut ex factis superius miraculis declaravit, & vivificandi virtute, sup. cap. 5: 17. Et ex judicandi potestate.

V. 29. Καὶ νῦν. 3. A spontanea Christi voluntate ac Divina prædestinatione, antea à Christo prædicta: ut credant discipuli sponte ea suscipi à Christo, propter illorum & ominum credentium salutem.

V. 30. Οὐκ ἔτι. Abrumpit colloquium, & ostendit appropinquare abitum ad mortem: mala autem quæ ei inferet ex dispositione ac permissione Divina, princeps mundi Diabolus, qui & Deus hujus seculi dicitur. 2. cor. 4: 4. Christo non competere ratione culpæ aut pœnæ, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*. Esa. 53: 9. 1. Pet. 2: 21. sed propter delicta nostra: sicut id clare explicat Propheta, ibidem, v. 4. *Vere ipse pertulit infirmitates nostras, & vulneratus est propter transgressiones nostras*: &c.

V. 31. Ἀλλὰ. Finem præcipuum hujus suæ passionis exprimit: ut ex his intelligant homines mutuum amorem Patris & Filij, & Christi obedientiam, ac ineffabilem dilectionem generis humani; qui propter salutem hominum seipsum obtulit ad mortem: *Et relicto quo frui poterat gaudio, pertulit crucem, confusione contempta*. Heb. 12: 2.

CAP.

Argumentum alterum coſolationis ſuperiore cap. duxit ſalvator, ab operationibus varijs & gratia Sp. ſancti in diſcipulis. III. Argumentũ nunc ſequitur, ab unione qua fideles Chriſto inſerti per fidem, patris cœleſtis cura & protectione ſervantur à malo, ne deficiant. Et eſt I. Pars cap. habens etiam exhortationem ductam à ſimilitudine vitis. III.

V. 1. Ἐγώ εἰμὶ. Palmes ex vitis trunco aut radice expullulans, ſi fructum producit, colitur & purgatur; ſi ſterilis eſt, excinditur & areſcit: Sic qui Chriſto inſerti per fidem expullulant, ac fidem per opera bona exerunt; horum curam gerit cœleſtis Pater; ſanctificat eos, & donorum augmentis exornat; ſteriles vero, qui fidem jactant, opera autem non habent, horum fides mortua eſt, ait Iacobus, cap. 2: 26. quia vitales actiones non exerit: Tales à Deo ut inutiles reijciuntur, hypocritæ ſunt enim, Deum & ſeipſos ludificantes; qui *confitentur ſe noſce Deum: factis autem negant, cum ſint execrabiles, increduli, & ad omne bonum opus reprobi. Tit.* 1. 16. Eſt autem Eccleſia vinea Domini, Eſa. 5: 1. pſ. 80: 9. vitis tranſlata ex Ægypto.

V. 3. Ἤδη. Applicat ad diſcipulos: diſcipuli ſanctificati ſunt & amici Dei facti, ſup. c. 14: 21. idque non ex natura aut operibus ſuis, ſed ex fide Evangelij & doctrinæ Chriſti, per quam Chriſto, uniuntur, qui *fide purificat corda eorum.* Act. 15: 9. Habent itaq; fideles vitam ſpiritualem, ſuccum & vigorem omnem à Chriſto, cui dum adhærent, vivunt in fide ejus. Gal. 2: 20. *Vivo autem jam non ego, vivit in me Chriſtus.* Sicut palmes non ex ſe, ſed ex vite ſuccum & vitam habet. Sic nos ſine Chriſto nihil facere poſſumus. *Hoc verbo* (ait Auguſt.) *initium finemq; comprehendit*; puta noſtræ juſtificationis, de qua ibidem agit: Cont. duas Epiſt. Pel. l. 2: 8.

Extra Christum autem nulla est sanctificatio, reconciliatio, neq; justificatio, aut salus: sed damnatio & interitus. Non possunt itaq; in ordine & respectu ad salutis meritum, fide homines salvari, aut pia opera ac Deo placentia facere; ex naturæ viribus: juxta opinionem Pelagianorum, aut aliorum qui hos sectantur; sed arescunt & pereunt, ac *excidunt gratia*; Gal. 5: 4. Neq; etiam satisfacit excusatio Papistica, de merito vitæ æternæ; cum dicunt fideles per infusam Sp. sancti gratiam legem implere & ita salutem mereri: haud secus ac si quis accepta ab alio pecunia, propria industria mercari potest & comparare quicquid velit, sine alterius adminiculo. Ut enim ad vitam animalem non sufficit generatio & vita à Deo data: nisi Divinæ virtutis ambitu & influxu, continuo conservetur; juxta illud, Act. 17: 28. *In ipso vivimus movemur & sumus.* Sic præter regenerationem sanctificationem & adoptionem, egemus auxilio Divino ad omnia spiritualia, *qui operatur in nobis velle & perficere, pro bona voluntate.* Phil. 2: 13.

V. 7. ἐὰν μείνητε. Manendum tamē est nobis in Christo, id est non negligenda gratia nobis data, sed addendū studium persistendi & permanendi in fide: in assiduo studio verbi, ac Evangelij, cum debitis exercitijs operum pietatis. Quamvis enim nihil possimus ex nobis, ut docet Apostolus 2. cor. 3: 5. Tamen auxilio & invocatione Sp. sancti Deo cooperamur ad salutem nostram. Phil 2: 12. Fructum hujus studij & constantiæ indicat: 1. Præcum exauditio, in omnibus quæ petimus: Est autem hîc sermo de augmento donorum spiritualium, & de perseverantia in fide, quæ bona Deus petentibus non denegabit: Neq; etiam temporalia, si petant juxta voluntatem ejus. 1. Joh. 5: 14. 2. Ex hac con-

constantia in fide, & donorum incremento glorificatur Deus: & plurimi ad fidem convertuntur. Mat. 5: 16. 3. Crescunt & augentur dona Spiritualia, ut sint imitatores Christi, & veri ejus discipuli.

V. 9. Καθώς II. Pars cap. habet IV. Argumentũ exhortationis & consolationis adversus mundi incommoda: Sic veri Christi discipuli effecti, imitentur dilectionem ejus, primo erga patrem, quia obediens factus patri, opus redemptionis perfecit; Phil. 2: 5. ad quam filij erga patrem obedientiam, & dilectionẽ, respondet mutua & reciproca dilectio Patris, qui exaltavit filiũ, & collocavit eũ ad dexterã suam, inimicos omnes ei subjecit & dedit ei omnẽ potestatẽ, sicut testatur Baptista. sup. c. 3: 34. Et sup. c. 5: Petrus, Act. 2: 30. David ps. 8. & 110. & 16. Dilexit verò Christus suos usq; in finem; sup. cap 13: 1. Repetit itaq; mandatum quod supra tradidit, cap. 13: 34. Et exemplum suum ipsis servandum proponit, quod in observatione mandatorum consistit: sicut supra loco citato explicatum est. Qui omnia bona ipsis præstitit, curam eorum gessit in mundo, informavit, mala plurima pertulit, sine murmure mortem etiam, ad reconciliationem fidelium cum Deo: sicut id explicat Petrus: 1. Ep. cap. 2: 21. *Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum: etc.* Hanc Christi dilectionem decet fideles omnes imitari. *In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* 1. Ioh. 3: 16. IV.

V. 11. Ταῦτα. Finem duplicem hujus suæ exhortationis exprimit *ut* scilicet, *gaudium meum in vobis sit.* 2. *ut gaudium vestrum impleatur.* Dixit signum esse gratiæ Dei & sinceræ dilectionis, cum præcepta servamus: si enim dicat aliquis

ſe Deum deligere. cum oderit proximum, mendax eſt, ut docet Jacob. cap. 2: 15. 1. Joh. 4: 19. Jam quia carni inimica & moleſta eſt talis dilectio, infert enim maximas ſæpè calamitates, ſæpè etiam mortem; quæritur itaq; quale ex his paſſionibus oriatur gaudium. 1. perficitur in nobis hoc exercitio gaudium Chriſti, & dilectio ejus, ut diſcamus, ſpe atq; fiducia in ipſum ferri eiq; arctius adhærere, & ſiquid patimur propter juſtitiam, beatos nos reputamus, nec timemus, nec conturbamur, ſed ſanctificamus dominum in cordibus noſtris; 1. Pet. 3: 14. Deinde, impletur gaudium noſtrum, juxta promiſſionem, Matt. 5: *Gaudete & exultate quia merces veſtra multa eſt in cœlis.* Et *ut peccatis mortui, juſtitia vivamus.* 1. Pet. 2: 24. Et *Comunicantes Chriſti paſſionibus gaudete; ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeamus exultates.* 1. Pet. 4: 13. Quo gaudio completi ſancti martyres, læti per-
IV. tulerunt ſupplicia graviſſima. In hoc gaudio conſiſtit 4. arg. conſoltaionis quam fideles in cordibus ſuis ſentiunt: Rom. 6. & c. 5: 3.

V. 12. Ἀύτη. Præceptum repetit & iterum iterumq; inculcat, ut intelligant Chriſtum rem ſerio agere. Eſt ve-
V. ro hoc V. Argumentum conſolationis, quia fideles ſunt amici Chriſti; quod quatvor rationibus probat. 1. Quia mortem perfert pro ſalute eorum: quo officio & qua dilectione nulla poteſt eſſe major; ſicut explicat Paulus Rom. 5: 8. Eph. 2: 5. 1. Joh. 4: 9. Et c. 3: 16. unde petatur explicatio uberior. Non enim habet quisquam precium majus, quod pro amicis pendat, quam vitam. Eramus quidem nos tunc filij iræ, in peccatis mortui; Eph. 2. Et odio ferebamur magis erga Deum, propter judicium ac ſeveritatem legis, accuſantis delicta noſtra. Deus autem dilexit nos ini-

mi,

micos, & tradidit filium pro nobis. Sic Paulus dicit Judæos *inimicos secundum Evangelium: secundum electionem carissimos*, Rom. 11:29. Nec potuimus amici Dei fieri ex voluntate nostra, antequam nos Deus per Evangelium converterat, data nobis fide & gratia per Sp. sanctum: unde oritur dilectio erga Deum.

V. 14. Ὑμεῖς. 2. Ratio: ab operibus bonis, quibus illustratur ac lucet in conspectu Dei & hominum vita fidelium: neq; enim extra Christum quicquam boni ab hominibus provenit, quod Deo placeat; Phil. 3:7. *Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta.* Et sup. v. 5. Et quamvis imperfecta sint fidelium opera, & multis infirmitatibus obnoxia; tamen acceptantur à Deo ut bona propter Christum, cujus merito teguntur peccata ex carnis infirmitate profecta: sic salvator in horto condonat somnolentiam discipulorum; quos tunc maxime vigilare oportebat, & orare imminente periculo. Matt. 26:41.

V. 15. Οὐκέτι. 3. Ratio, confirmans rationem præcedentem, ex dignitate & præemientia ac prærogativa amicorum Dei, præ amatoribus rerum mundanarum. Et primo illustrat argumentum antithesi servi & amici; amicorum enim sunt bona communia, sunt consilia cognita, & consensus voluntatis: cum servis nulla est consiliorum, præsertim secretorum, communicatio; sic qui sunt extra Ecclesiam, & qui Evangelij doctrinam respuunt, consilium Dei de salute hominum nesciunt. Sed fideles quia sunt amici Dei, itaq; ea omnia quæ filius audivit à Patre ea ipsis revelavit, & consilium Dei manifestavit discipulis Christi, ipsi vero suis discipulis: sic Paulus presbyteris Ephesinis aperuit omne consilium Dei, Act. 20:27. Non universam scien-

entiam Dei, cujus non est capax ulla creatura, est enim infinita; sed quæ filius ut mediator à Patre audivit, quantum satis est ad salutem: diciturq; à Sp. sancto *scientia salutis?* Luc. 1:77. Nec fuit hominum generi cognita, sed est revelata per Prophetas & per filium. Eph. 3:5. Heb. 1:2.

V. 16 ἐχ ὑμεῖς. 3. Ratio, duo membra habet: 1. à gratia Dei, qui nos elegit ante ullam dispositionem aut operationem nostram, ex mera gratia Eph. 2. Deinde, non solum elegit Apostolos sicut communiter omnes credentes, ad salutem; sed ut alijs quoq; salutis autores existerent: hoc est, ut prædicarent Evangelium per universum mundum, redundante fructu ad multa millia conversotum credentium, quorum fide ac ministerio, pervenit ad omnes fines terræ; duratq; hodie Euangelium Christi & prædicabitur in Ecclesia, & manebit usq; ad finem seculi, juxta mandatum & promissionem Christi, Matt. 28. 19. Et Act. 1:8. *Eritis mihi testes in Ierusalem & Judæa & Samaria & usq; ad fines terræ.* Nec minimus fructus est hujus prædicationis, quod conversi ad Deum, impia opera tenebrarū relinquentes, Deo serviunt in sanctitate & justitia, sicut vaticinatur Zacharias; Luc. 1. &, glorificetur Deus per virtutes & bona opera fidelium; dona etiam Spiritus & gratiam, qua freti Deum orant in nomine Christi & exaudiuntur.

V. 17. Ταῦτα. Conclusio hujus loci de dilectione: sequitur pars tertia cap.

VI. V. 18. Εἰ ἐκ]ὅ. III. Pars cap. continet VI. Argumentum consolationis adversus persequutiones & odia impiorum & mundi: in quo quatvor validissinis rationibus erigit & consolatur discipulos, adversus violentiam impiorum: deinde totidem rationibus exaggerat magnitudinem

nem peccati eorum, qui Evangelio non obediunt. Argumentum tale est: Discipuli habent Iesum salvatorem & Deum Patrem socium suarum afflictionum itaq; non est ipsis metuendum á crudelitate & odio impiorum. 1. Ratio probationis, quia non est res nova aut inopinata: Christum enim prius fuerunt persecuti. Nam intuenti historiam Christi Domini, non est ignotum, quomodo à prima nativitate ipsum Herodes ad necem quæsiverit; ad famam nativitatis eius Ierosolyma sit exterrita, ab initio prædicationis calumnijs, odio, insidijs, violentia fuerit à præcipuis gentis Judaicæ impetitus.

V. 19. Εἰ ἐκ τȣ̃. 2. Ratio. Mundani homines mundana tractant, & diligunt eos qui eadē sectantur, avaros laudant ut industrios, violentos & iniquos ut fortes, ebrij ebrios amant, segnes ignavis se sociant; *Est* autem *mundus totus in maligno positus*, 1. Ioh. 5: 19. itaq; Christianos hortatur Apostolus, ibidem c. 2: 15. *Nolite diligere mundum, neq; ea quæ sunt in mundo.* Et: *Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum & superbia, non sunt à Patre sed à mundo. Et mundus transit, cum concupiscentia ejus.* Qui hæc studia deserunt ac damnant, hos mundus odit atq; persequitur. Prov. 1: 7. Sap. 2: 12. Caussa hujus odij est, quia per vocationem, conversionem, sanctificationem, illuminationem Christi, segregati sunt à consortio malorum, ad sanctitatem vitæ.

V. 20. Μνημονεύετε. 3. Ratio ab admonitione Christi & vaticinio superius tradito Matt. 5: 11. cap. 10. Luc. 14: 26. Recepti sunt discipuli in societatem Christi, ergo pari conditione fruentur, sicut discipuli unius Magistri, & unius domini domestici: nec convenit eos fatum melius expectare,

ſupra dominum aut Magiſtrum, cujus informationi ac miniſterio ſe tradiderunt; niſi relicta ſtatione, ad impietatem mundanam redire cupiant.

V. 21. Ἀλλὰ. 4. Ratio, qua immunes facit dicipulos ab hac culpa, ſunt enim coram mundo innocentes, cui nihil deliquerunt; magna autem eſt conſolatio, ſi propter nomen Chriſti & Dei gloriam hæc perferant, qui ipſis retribuet præmia maxima. Matt. 5: 12. & cap. 19: 28. Cauſa vero hujus inſaniæ impiorum eſt, ignoratio Dei & juſtitiæ ejus; nec agnoſcunt beneficium quod ipſis Deus offert & paravit in Chriſto: ideoq, miniſtros & prædicatores hujus gratiæ mundus perſequitur. Aliâs ſi velit Deus pios impijs affligendos permittere, non eſt coram Deo juſtus quisquam vivens. Pſ. 143: 2. Job. 15: 4. Rom. 3: 10.

V. 22. Εἰ μὴ ἦλθον. Nunc quatvor rationibus ſequentibus amplificat & declarat magnitudinem peccati eorum, qui Chriſtum & diſcipulos perſequuntur; quod etiam animum addit & confidentiam fidelibus, expectantibus juſtum judicium Dei adverſus impios. 1. Ratio deſumitur à contemptu filij Dei, qui non ſolum per Prophetas & legatos ad eos venit, ſed nunc etiam in perſona propria; afferens verbum æterni patris, declarans ſe eſſe filium Dei Meſſiam. Heb. 1: 1. Huic qui non obtemperat, majora ſuplicia meretur, quam hi qui rebellarunt adverſus Moſen. Heb. 12. 25. Peccatum rebellionis ſeu contumaciæ hic urget Salvator, ſeu peccatum in Sp. ſanctum, cum reijciunt ſalutis media oblata: itaq; Judæi excuſationem ab hoc peccato non habent; venit enim Chriſtus & loquutus eſt eis, & ſe filium Dei eſſe oſtendit ſecundum Prophetias: ſunt itaq; inexcuſabiles. Rom. 2: 1. Et pœnas graviores merentur quam gentes.

tes. Luc. 12. 47. Matt. 11: 24. Alias non eſt dubium Judæos ut omnes homines fuiſſe peccatores, quod etiam Paulus oſtendit, Rom. 2: 17.

V. 23. ὁ ἐμὲ. 2. Ratio oſtendens magnitudinem peccati, quia odium quod adverſus Filium dirigitur, in Deum Patrem tendit: non poteſt autem quicquam efficere odium creaturæ adverſus creatorem, ſed eſt, inſolens, temerarium, diabolicum, vanum, impium: quo argumento ſævientes Judæos Gamaliel repreſſit, Act. 5: 39. Et Stephanus, Act. 7: 51. Deinde qui non honorat filium non honorat Patrem, Joh. 5: Non poteſt itaq; placere Deo adoratio & cultus Turcarum & gentilium, quia excludunt filium.

V. 24. Εἰ τὰ ἔργα. 3. Ratio, à neglectu & contemptu operum Chriſti, quæ ipſe tot & tanta effecit quanta nemo alius unquam: ſicut fatetur cæcus, ſup. c. 9: 32. & populus, Joh. 7: 31. *Christus cum venerit nunquid plura ſigna faciet quam quæ hic facit?* Fecit autem Jeſus ea quæ ipſum facturum Eſaias prædixit. c: 35: 4. Qualia Johannis diſcipulis Salvator commonſtrat; Luc. 7: 22. Hæc quia Iudæi negligunt, contemnunt, diabolo aſcribunt, Matt. 12: 24. Ioh. 8: 48. & c. 10: 20. ſigna alia quærunt, ſup. c. 6. 30. ubi etiam Chriſtum Moſi poſtponunt: itaq; in Sp. ſanctum peccant, & adveſus Patrem cœleſtem, qui miſit filium, & de adventu & miraculis & doctrina: tempore etiam adventus per Prophetas prædixit: itaq; non ſalvantur.

V. 25. Ἀλλ᾽ ἵνα. 4. Ratio; quia de hac Iudæorum cœcitate & contumacia David vaticinatur, pſ. 35: 19. *Reſpice quia tam multi ſunt inimici mei, qui oderunt me ſine cauſa.* Et, Pſ. 35: 7. & 69: 5: & 119: 161. Ideoq; non mirabuntur fideles velut de re nova, quam Sp. ſanctus dudum prædixit, quam Iudæi

ex Prophetis observare debebant, & in timore Dei declinare; quod quia à Sp. sancto admoniti, tamen negligunt, itaq; pœna graviore punientur.

V. 26. ὅταν. Conclusionis loco, promissione Sp. sancti tristes discipulos consolatur, adversus odium & contumaciam persequutorum, ne nimia formidine deficiant, sed fiducia Sp. sancti roborentur ad exequendum officium. Est vero etiam in hoc loco fundamentum fidei Christianæ de Sacrosanctæ Trinitatis mysterio: Sp. sanctus qui à Patre procedit, mittitur per Filium in Ecclesiam & in corda fidelium. Dicitur Spiritus veritatis, fons scilicet & principium primum veritatis, vel ipsa veritas: sicut etiam filius mittens veritas dicitur. 1. Ioh. 5: 6. & est unum cum Patre & filio ibidem v. 7. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo; Pater, verbum & Sp: sanctus: & hi tres unum sunt*: testimonium hoc Dei est: v. 9 itaq; Sp. sanctus est Deus. Deum itaq; Sp. sanctum socium testificantem, veritatis fontem secum habent: non est igitur quod metuant odia, persequutiones & violentiam hujus mundi, potens est enim fulcire eos. Rom. 14: 4. Ipsi etiam testabuntur, itaq; dicuntur cooperarij veritatis. 3. Ep. Ioh. v. 8.

CAP. XVI.

Quatvor partibus hoc caput absolvitur, Exordio, & tribus argumentis consolationis.

V. 1. Ταῦτα. Exordium, in quo clarius adhuc prædicit discipulis suis, de imminente persequutione, postquam sex argumentis præcedentibus animos eorum præparasset; intentos Regno & præmijs temporalibus: quos ab his terrenis abstractos, Salvator ad calamitates tolerandas instruit; ne

ne à fide aversi, vitæ genus antea usitatum arripiant, & ad incredulitatem & ignorantiam priorem relabantur. Ostendit itaq; necessariam esse hanc admonitionem, ad tale scandalum vitandum: & est propositio exordij.

V. 2. Ἀποσυναγώγους. Narratio sequitur, qua genus & vehementiam persequutionis exprimit. 1. Eijcient eos ex Synagogis, ut impios, blasphemos in Deum, ut seductores, hoc est. Abutentur impij excommunicationis fulmine, adversus Evangelij ministros; qua tamen potestate Dominus Ecclesiam armavit, non adversus bonos, sed ad repridos contumaces, ut patet Matt. 18: 15. Sic hodie Romani adversus innocentes veræ fidei confessores, hac spirituali potestate abutuntur, addita insuper vi externa. Sic impij huic Ecclesiasticæ animaversioni, addiderunt vim externam. Apostolos in carcerem conijciunt, Act. 5: 18. Stephanus morte mulctatur. cap. 7. Saulus in Christianos grassatur, cap. 9. Petrus capitis damnatur, cap. 12. Et quod afflictos vehementer afficit: fama mala superadditur, qua ut malefici apud multitudinem traducuntur: ut Paulus, Act. 22: 22. *Tolle de terra hujusmodi, non enim fas est eum vivere.* Et v. 28. *Hic est homo, qui adversus legem & locum hunc, omnes ubiq; docet;* &c. Sic impij Divinæ gloriæ studium prætendunt.

V. 3. Καὶ ταῦτα. Proficiscitur hæc insania ab ignorantia Dei, non solum quia fidem Dei profitentur, factis autem negant. Matt. 15. 8. 2. Pet. 2: 1. sed quia consilium Dei de salvandis hominibus non percipiunt, vel oblatum reijciunt.

V. 4. Ἀλλὰ. Causam reddit cur ipsis prædicat hæc mala; scilicet, ne repleti spe vana terrenæ gloriæ, & securi malorum imminentium, repentina & insperata calamitate obruantur: magis vero præmoniti, semper de his cogitent &

animos obfirment, ad toleranda hæc mala cum patientia & ſpe, memores conſolationis à Chriſto datæ. Deinde oſtendit non fuiſſe neceſſariam antehac talem admonitionẽ, quia præſente ſponſo nulla erat indigentia. Matt. 9: 15.

V. 5. Νῦν δὲ. Iam vero hanc exhortationem neceſſariam eſſe cum abiturum ſe oſtendit ad Patrem: deſerens diſcipulos ſecundum converſationem hanc mundanam. Reprehendit autem diſcipulos, quia informationem pleniorem de hoc Chriſti abitu non expetunt: eſt ea hominum infirmitas, ut de rebus proſperis & ſucceſſu atq; commodis temporalibus potius audiant, quam de malis & adverſis. Spes diſcipulorum erat de Regno terreno, qua fruſtrati perturbantur: contriſtantur autem, & inviti non ſine dolore animi hanc ſpem deſerunt, & ad ſtatum hunc afflictum cogitationes convertunt ægro animo : maxime quia jactura amiſſi boni ſperati certa eſt, ex prædictione Chriſti: quid vero boni ex hoc abitu Chriſti ſequatur, & quis ſit tribulationũ exitus, non ſatis apparet. Quærenda igitur fuit ratio, & cauſa mortis Chriſti & ejus ſalutaris operatio, ut per mortem ejus Deo reconciliati, bona cuncta ſperare poſſint à Deo, in hoc & futuro ſeculo.

V. 7. Ἀλλ' ἐγώ. II. Pars cap. & VII. Argumentum conſolationis à fructu ſalutari mortis Chriſti : mittet enim paracletum, qui ipſius vice diſcipulos defendet & tuebitur, robur animi addet, ornabit donis illuſtribus, & eis aſſiſtet in periculis. Παράκλητος advocatus, accerſitus ad auxilium, conſolator: ut qui vocatur ad cauſſæ defenſionem, ad belli ſocietatem, &c. Et quamvis ipſi ut omnes fideles per baptiſmum ſanctificati, accepta fide, Sp. ſanctum ſimul acceperint, per afficaciam meriti Chriſti; tamen poſt mortem

&

& ascensionem in cœlum, illustrioribus Sp. sancti donis ornati fuerunt, Sup. cap. 14: 15. *Alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Et Act. 1. *Accipietis virtutem supervenientis Sp. sancti.* & v. 4. *promissum à patre.*

V. 8. Καὶ ἐλθών. Officium Sp. sancti erit, 1. Arguere mundum de peccato incredulitatis, quia resistunt Deo, filium Dei & Evangelium ac salutem, cum medijs oblatis non recipiunt. Arguet hanc incredulitatem ex vaticinijs prophetarum, promissionibus, typis vet. testamenti, additis miraculis, quibus Evangelij prædicatio firmabitur. Sicut Petrus Act. 2: 16. Paulus, Act: 13: 7. & 16. 14: 9. Et hoc modo deducta fuit prædicatio Evangelij per orbem terrarum, revelata fuit turpitudo idololatrica, recepta fides Christi, & mundus victus atq; subditus Deo. v. 10. 2. De justitia, quia mundus veram justitiam quæ valet coram Deo non intelligit, pleriq; putant justitiam acquiri ex operibus bonis, & per eas salvari homines. Cicero in somnio scipionis gloriã & im̃ortalitatẽ putat acquiri ex præclare gestis pro repub. Iudæi *propriam justitiam statuere volentes, justitiæ Dei non sunt subjecti.* Rom. 10: 3. Hos erroris convincet Sp. sanctus & ostendet quæ sit justitia vera, in qua consistet vita æterna; in fide scilicet Christi, qui vadit ad Patrem. acquisiturus justitiam credentibus, per mortem crucis.

V. 11. Περὶ δὲ 3. De judicio; *quia princeps hujus mundi,* dictus *Deus hujus seculi,* 2. Cor. 4: 4. judicatus est, *principes & potestates, rectores mundi, tenebrarum hujus seculi, spirituales nequitiæ in cœlestibus:* Eph. 6: 12. quibus exprimit Sp. sanctus ingentem potentiam Diaboli; etiam Iob. 41. sub voce Leviathan potentia ejusdem describitur. Ab hoc spiritu seductore excæcatus mundus, Christum & Evangelium ejus ini-

quo

quo judicio damnavit: poteſtas hæc erat tenebrarum, ait Salvator cum comperhenderetur in horto. Damnata eſt hæc iniquitas in morte, re ſurrectione Chriſti, aſcenſione in cœlum, ut deſtructa poteſtate infernali, Sp: ſancti operatione feliciter procedat prædicatio juſtiæ Chriſti, damnatis & extirpatis erroribus gentilium & Iudæorum: Et Chriſtus vicit mundum inf. v. 33. Et Portæ inferorum non prævalebunt adverſus fidem Chriſti Matt. 16. Sic quicquid patiuntur fideles ab impijs, læti tamen triumphum agunt in Chriſto, de victoria in ipſo parta, & ſalute promiſſa: ipſe enim *nobiscum erit usq; ad conſummationem ſeculi.* Matt. 28: 20. *Captivam duxit captivitatem.* Eph. 4: 8. Col. 2: 14. Sic evacuato mundi perverſo judicio, Chriſtus ſe victorem in Eccleſia oſtendit, ſublatis erroribus gentilium & Iudæorum.

V. 12 Ἔτι πολλὰ. 4. Explicuit Salvator officium Sp. ſancti, & quæ ſit ejus operatio adverſus mundum & hoſtes fidelium: nunc operationem ejusdem declarat erga diſcipulos & Eccleſiam, qua ipſos inſtruet & muniet adverſus impios. Et primo, exordiolo indicat, quare adhuc eos ſufficienti & perfecta informatione non imbuat; quia videlicet eminentiſſimæ hujus ſcientiæ, (quam ſic nominat Paulus, Phil. 3: 8) non ſunt capaces; omnia enim ad temporalem prærogativam trahunt, ut patet ex quæſtione diſcipulorum; Matt. 18: 1. Petri, Matt. 19: 27. Filiorum Zebedei. cap. 20: 20. Luc. 22: 24. Act. 1: 6. Itaq: defecerunt tempore perſequutionis; in horto, cum comprehenderetur Chriſtus fugiunt, Petrus Salvatorem abnegavit, cæteri Chriſtum reſurrexiſſe non credunt: Sic Iohan. 6: 66. Chriſti ſermone offenduntur & ipſum deſerunt, Iudas Salvatorem prodit. Iudæi blaſphemant. Matt. 12. Ioh. 8. poſtea verò accepto Sp. ſancto, aliter ſe gerunt.

V. 13.

V. 13. Ὅταν δὲ. 1. Spiritus veritatis, autor ſcilicet & fons omnis veritatis, qui eſt ipſa veritas, ſup. c. 14: 17. docebit eos omnem veritatem, non ſæpius eadem inculcando, prolixa & operoſa informatione, ut hactenus; ſed repente, modo ſupernaturali & miraculoſo, imbuet eos cognitione perfecta, ut intelligant omne conſiliũ Dei, de redemptione hominum. *Non loquetur à ſemetipſo*, ſicut Montanus, qui ſe appellabat Paracletum, novas revelationes jactabat, de quo Epiphanius Tom. 1. l. 2. hæreſi 48. Sicut etiam Romani qui traditiones venditant; verbo Dei contrarias: ſed loquetur verba Dei, ſicut eſt idem eſſentiâ cum Patre & Filio. Audit autem Sp. ſanctus non auribus ut homo, ſed per proceſſionem à Patre & Filio; unde ſcientia & veritas ipſi eſt eſſentialis & eadem quæ Patris & filij, ut ſupra dictum eſt. 2. Prædictio futurorum & vaticinia Prophetica, Sp. ſanctum habent autorem, cujus inſtinctu loquuti ſunt Prophetæ, 2. Pet. 1: 21. hujus doni eximij etiam adveniens participes faciet diſcipulos.

V. 14. Ἐκεῖνος. 3. Genus doctrinæ univerſum reſpiciet Dei & Chriſti gloriam, neq; enim metuendum eſt Chriſto mortuo, ceſſare oportere doctrinam Evangelij; nam morte Chriſti & adventu Spiritus, illuſtrabitur gloria Evangelij Chriſti, ut illuminetur totus mundus: & agnoſcat per miniſterium Apoſtolorum, & confiteatur omnis lingva, *quod Chriſtus ſit Dominus ad gloriã Patris*. Phil. 2: 11. Ratio eſt, *quia de meo accipiet*, hoc eſt eandem doctrinam, eandem veritatem ipſis ingeret, quam Chriſtus docuit. Completa autem eſt hæc promiſſio in die Pentecoſtes. Act. 2.

V. 15. Πάντα. Confirmat rationem præcedentem ab unitate eſſentiæ Patris & Filij & Sp. ſancti, trium perſonarum

Divinitatis, quorum ſicut eſt una eſſentia, ſic una ſcientia & eſſentialis, Patris & Filij,& procedentis ab utroq́, Sp. ſancti. *Data eſt etiam* filio *omnis poteſtas in cælo & in terra:* Matt. 28. Phil. 2. Divinæ naturæ per æternam generationem; humanæ per unionis gratiam in tempore.

V. 16. Μικρὸν. III. Pars cap. in qua vaticinatur ulterius, de perſequutione & violentia impiorum, & addit VIII. Argumentum conſolationis, de reditu ſuo ad diſcipulos, & fideles ſuos,cum preducet eos ad felicitatem æternam. Repetit breviter ſupradicta, cap. 14. de habitationibus in domo Patris: hic verò conſolationem addit de brevitate temporis; ut ſi per mortem temporalem ad Patrem abeat, poſt pauca tamen ſe ipſis videndum præbebit, itaq; hîc etiam de reſurrectione ſua vaticinatur, etiam & inſuper de reditu ad judicium. Diſcipuli vero ex antiquo errore de regno terreno, iterum in ſpem erecti putant, ſi revertatur, nec diu abſit, regnum adhuc inſtaurari poſſe, ad quod etiam propendere multitudinem intellexerunt, ſup. cap. 6: 14. itaq; jam ulteriorem hujus rei explicationem deſiderant; ſicut cum in cœlũ aſcenderet, ſpem eandem adhuc retinuerunt. Act. 1: 6. *An in hoc tempore reſtitues regnum Iſraelis?* Itaq; partim ex ignorantia, quia rationem regni Chriſti non intelligunt, partim ex incredulitate curioſitas iſta proficiſcitur; carnales enim erant,indigentes uberiore illuminatione Spiritus.

V. 19. Ἔγνω. Id intelligens Dominus, verba prolata iterat: cerbra hæc verborum repetitio, oſtendit multum fuiſſe diſcipulorum diſcurſum, cum anxietate cognoſcendi, quid ſibi velit iſte reditus: nam de abitu per mortem ſæpius audiverunt, de reditu jam ulterius audire deſiderant, ac reſtitutione Regni, ex quo gaudium maximum

per-

percipient. Ex hoc desiderio & cognoscendi studio, Iesus occasionem arripit iterum admonendi de re omnium gravissima, & tristitiæ plena, cruce scilicet, persequutione & afflictione, quã ipsis inferent impij, & de futura calamitate Ecclesiæ, ad finem usq; mundi, contra vanam spem discipulorum, de felicitate temporali.

V. 20. Ἀμὴν. Clarius exprimit afflictionis vehementiam, & crucis acerbitatem, quam describit: 1. ex magnitudine doloris, ut fieri solet, ut etiam lachrymas afflictis exprimat. 2. Ex gaudio & insultatione inimicorum, qui super afflictione fidelium exultant; sicut Ps. 35: 21. *Os dilatant & dicunt: sic sic, quod optavimus.*

V. 21. Ἡ γυνὴ. 3. Ab exemplo parturientis mulieris; quæ licet imminente hora partus, metu, & postea doloris vehementia supra omnes afficiatur, repentina tamen conversione cessat dolor, & succedit gaudium; ex acquisita sobole sana & omnibus membris integrã: adeò ut lætitia ex felici partu, & amicorum congratulatione, omnem doloris memoriam aboleat.

V. 22. Καὶ ὑμεῖς. Consolationem nunc adhibet, & 1. docet, talem fore conditionem Ecclesiæ, *nunc*, id est in hoc mundo; sed revertetur Dominus ad eos, sicut mulier à partus labore & cruciatu, cum ad summum pervenit, repente liberatur. Sic Paulus sæpè mirabiliter evasit impiorum manus. Et in ultima sua defensione, cum damnaretur ad mortem, lætatur se ereptum ex ore leonis: Diaboli scilicet, qui Paulum tyranni indignatione terruit, ut deficeret à fide, Deus autem ei astitit: itaq; videns mortem imminere, lætatur in gloria cœlesti & corona vitæ, quam accipiet, omnium laborum suorum mercedem. 2. Tim. 4. Sicut

mulieres sanctæ sæpè in partu vitam amittunt, lætantur tamen, & eriguntur spe æternæ gloriæ, quia in opere à Deo sibi imposito moriuntur in fide, & spe venturæ felicitatis. Iosaphat 2. Chron. 20. *Nulla vis in nobis.* Hischia. Esa. 37. Ps. 31: 23. *Dixi in excessu meo projectus sum à facie tua; attamen cum clamarem ad te audivisti vocem deprecationis meæ.*

Πάλιν IIII. Pars cap. in qua promissionibus eos confirmat & solatur. 1. Revertetur & gaudio eos afficiet infinito; æternum erit hoc gaudium, non interrumpendum injuria
IX. inimicorum; sicut fit in mundanis. Et est IX. Argumentum consolationis.

V. 23. Καὶ ἐν. Deinde, ornabit eos perfecta scientia ut non egeant ulteriore informatione, in rebus fidei, adveniente Sp. sancto, qui deducet eos in omnem veritatem, sup. v. 13. intellige quantum suficere possit ad salutem & cognitionem Dei in hac vita: sed in adventu Domini perfectissima. *cum Deus erit omnia in omnibus*; 1. Cor. 15: 28. cujus cognitionis differentiam explicat Paulus, 1. Cor. 13: 12 Ἀμὴν Ἀμὴν. Tertio promissione exauditionis eos erigit, & munit adversus imminentes calamitates, docetq; eos in posterum petere debere in nomine ejus, quod hactenus factum non est, nisi in figura, ad propitiatorium, veteris testamenti ritu, de quo adorationis modo cum Christo egit mulier Samaritana, sup. cap. 4: 20. Ex Deut. 12. Sermo Christi consolatorius est hoc loco, adversus incomoda hujus mundi, cui malo remedium attulit, promissiones iam dictas: huc referendum est illud ὅσα ἂν αἰτήσητε. Quicquid petieritis, juxta promissiones datas, & in nomine Christi; quæ spectant ad Dei gloriam, & Evangelij predicationem; & alias, *quæcunq; petimus secundum voluntatem ejus*. 1. Ioh. 5: 14. Iac. 4: 3.

Nunc

Nunc vero ſuadet & præcipit ut juxta datam informationem aſſidue petant, cum certiſſima ſpe exauditionis, ut in re percipiant, quod ſperando expectant.

V. 25. ταῦτα. 4. Iterat promiſſionem, de venturo dono ſupernaturali Sp. ſancti; loquitur autem in ſimilitudine, quia quæ verbo promittit, reipſa diſcipuli non experiuntur, itaq; ſat firmiter ut oportet credere non poſſunt, nec ſatis percipiunt. Mittet itaq; Sp. ſanctum, juxta datam promiſſionem: ut palam, omnibus videntibus, dona ſupernaturalia, miraculorum, linguarum, cognitionis myſteriorum percipiant, & quod verbis promittitur, tunc reipſa ſentient. Confirmat datas ſupra promiſſiones, ex eventu quem, ſentient, cum ipſi aucti donis promiſſis, abundabunt ſcientia ſalutis, ut non ſit neceſſe ulterius quærere. Ier. 31: 34 *Non docebit vir proximum ſuum, neq; frater fratrem*; etc. Eſt igitur nunc multo illuſtrior cognitio Sanctæ Trinitatis & Meſſiæ ac beneficiorum Dei, etiam conſilij Divini de ſalute hominum, quam olim in veteri teſtamento. Et Eccleſia novi teſtamenti orat in nomine Chriſti, ut det nobis Deus omnia per ipſum.

V. 26. καὶ ὐ λέγω Quod Chriſtus dicit ſe non orare patrem pro illis, eſt intelligendum, non hoc ſolum, ſed effecturum merito & paſſione ſua, ut & ipſi reconciliati Deo, etiam abſente Chriſto, poſſint Deum orare, in nomine ejus: Nam ipſi nunc Deo dilecti ſunt, quia receperunt verbum Chriſti, & crediderunt ipſum eſſe legatum Dei, Meſſiam, ſalvatorem mundi, Dei filium. Interim non ceſſat Chriſtus orare pro ſuis, reſidens à Dextris Dei, Rom. 8: 34. & infra cap. 17: 9. pro eis orat prolixe & multis.

V. 28. ἐξῆλθον. Hac conſolatione eos afficere voluit,

qui ſicut à Patre in mundum venit, antea in mundo non viſus, ita nunc mundum relinquet & revertetur ad Patrem: dum interim bene ſperent diſcipuli, & attente conſiderent conſolationis rationes datas; & confidenter petant à Patre auxilium adverſus impios, & bona corporalia ac Spiritualia, cum certiſſima ſpe exauditionis. De acceſſu Chriſti in mundum & abitu, eadem eſt ratio, quæ eſt aſcendentis in cœlum & deſcendentis, ſup. cap. 3: 13. unde petatur explicatio.

V. 29. Λέγουσιν. Exceptio diſcipulorum, qua cupiunt à ſe depellere objectam ignorantiam; ſup. v. 12. Et v. 25. Quaſi probe intelligant informationem Chriſti, claram ſatis & non proverbio aut ſimilitudine prolatam. Inſuper fidem ſuam profitentur, de Chriſto, quem omniſcium & à Deo miſſum confitentur; ideo quia non rogatus novit cogitationes ac dubitationes eorum, & ad eas bene reſponderit.

V. 31. Ἀπεκρίθη. Reſpondet Ieſus & arguit temeritatem eorum, qui nunc cum periculum non vident, nec intelligunt, ſcientiam & conſtantiam magnam profitentur: prædicit autem fore poſt pauca, ut viſo periculo fugiant, relicto ipſo in poteſtate hoſtium; quod etiam factum eſt. Et licet magno animo Petrus periculo ſe conmittere tentavit, tamen tolerare non potuit, ſed gravius cæteris lapſus eſt, abnegando Salvatorem; Iudas etiam Dominum prodidit. Sic inimici eum excruciant; amici laborantem deſerunt: ſicut prædixit David, Pſ. 38: & 102. Ipſe vero ſolus relinquitur, omni humano auxilio deſtitutus. Conſolationem vero accipit ex aſſiſtentia Patris, qui ei affuit & auxilium præbuit in paſſione: niſi enim Divino auxilio ſublevatus fuiſſet, ſuccubuiſſet in morte, obrutus tanta hoſtium

mul-

multitudine; Deus itaq; cooperatus eſt cum humana natura, in redemptionis opere, ut ſit Chriſtus mediator noſter ſecundum utramq: naturam.

V. 33. Ταῦτα. Concluſio præcedentis exhortationis, in qua repetit conſolationis & exhortationis argumenta præcipua, 1. de pace & gaudio ſpirituali quod habituri ſint in Chriſto & fide Evangelij. 2. ut animum obfirment adverſus perſequutiones venturas ſperantes lætum exitum. 3. Confidant in Chriſto victore qui hoſtes eorum vicit, ut potens ſit eos defendere ab omnibus malis, ne quid ſaluti eorum noceat impiorum violentia; neq; curſum Evangelicæ prædicationis impediat.

C A P. XVII.

Sequitur in hoc capite X. argumentum conſolationis, in quo precibus ardentibus Deum orat pro ſe & pro diſcipulis & Eccleſia. Et his tribus partibus hoc caput abſolvitur. Validum eſt hoc Chriſtianis fidelibus conſolationis argumentum, cum ſciant ſe habere Dei filium pro ſe orantem, & nunc collocatum à dextris Dei, itaq; precibus aſſiduis interpellantem pro nobis. Rom. 8: 34. quæ eſt pars officij mediatoris non poſtrema.

V. 1. Ταῦτα. I. Pars cap. in qua Deum patrem orat, ut ſibi adeſſe velit in perficiendo redemptionis opere; levat in cœlum oculos, quo geſtu oſtendit ſe ſerio ad Deum in cœlis orationem dirigere. *Venit hora*: Unde patet horam ſeu tempus definitum eſſe paſſioni Chriſti, & eam eſſe in poteſtate Patris, non in arbitrio inimicorum; quod etiam ſuperius innuit, cum dixit duodecim eſſe horas diei; ſup c. 11: 9. & Luc. 22: 53. cum comprehenderetur in horto dicit:

Hæc

Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum. Orat vero ut clarificet eum Pater, hoc est, ut adjuvet, eum eiq; adsit in passione, resurrectione, ascensione in cœlum; ut filius vicissim Patrem clarificet, videlicet, ut spargatur gratia & misericordia Patris per orbem terrarum. qui in Christo Filio voluit genus humanum sibi reconciliare. 2. Cor. 5: 19.

V. 2. Καθὼς. Argumentum ducit à priore benevolentia seu gratia, per unionem carni Christi communicata, omnipotentia scilicet: ut superaddat felicem successum, electis suis conferendi donum vitæ æternæ. Datur itaq; vita æterna ex gratia Patris & merito Christi: non per merita nostra, quamvis in fide facta.

V. 3. Ἄυτη δὲ. Nunc media, seu viam ad vitam æternam perducentem indicat: ea est, 1. cognitio Dei, qui solus est Deus verus; ubi ostendit unum esse Deum, & excludit idola & omia gentilium fictitia numina; Est autem Deus unus, æternus, pater domini nostri Iesu Christi; *Ego solus sum & non est Deus præter me.* Deut. 32: 39. 1. Sam. 2: 2. Cognoscendus est hic Deus in unitate essentiæ, & personarum trinitate, sicut manifestatus est, præcipue circa baptismum Christi. Matt. 3: 16. Et in institutione baptismi fidelium: Matt. 28: 19. Hic verò præcipuè, præter hanc cognitionem etiam respicit misericordiam Dei & amorem humani generis, qua misericordia calamitatis nostræ motus decrevit per Christum nos salvare: quod denotant verba, *quem misisti.* 2. Consistit meritum vitæ æternæ in Christo, misso ad revelandum hoc consilium Dei: & ad reconciliandos nos Deo per mortem; qui etiam meruit nobis sanctificationem per Sp. sanctum, nobis missum, ut justificati á peccatis, vitam æternam habeamus per nomen ejus.

V. 4.

V. 4. Ἐγώ σε. Explicat verba suprapoſita v. 1. Clarificavit Chriſtus Patrem, aſſumptione carnis, ſignificando hominibus voluntatem Patris per Evangelium quod attulit: quod etiam miraculis confirmavit; ut innoteſceret angelis & hominibus Dei miſericordia: *Et quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis ejus in nos qui credimus ſecundum operationem potentiæ virtutis ejus: quam operatus eſt in Chriſto*; &c. Eph. 1: 19. Et cap. 3: 10. *ut innoteſcat principibus & poteſtatibus in cæleſtibus*: &c. Conſummavit Chriſtus hoc opus; hoc eſt, abſolvit terminum prædicationis ſuæ, & mirabilium operum, quæ dedit ei Pater ut efficiat ea. ſup. c. 10; 37. & cap. 5: 36. Et quæ facienda reſtant in procinctu ſunt, diliberata & concluſa; Iudæ proditori & cohorti negocium à Pontificibus datum, ut jam transactum & confectum ngocium videatur. Hora adeſt, Chriſtus ipſe ad mortem ſe offert: ad quam inferendam parati ſunt inimici; poteſtate & Dei permiſſione validi. inf. c. 19: 10.

V. 5. Καὶ νῦν. Quia autem ea in ſe peragenda ſuſcepit, ideo orat Patrem cœleſtem, ut his peractis ipſum clarificet, claritate cœleſti & æterna, ut quam habet & habuit ab æterno ut Deus, hanc aſſumptæ humanæ naturæ tribuat in plena uſurpatione, & ex ſtatu exinanitionis ſolutum ad dexteram majeſtatis collocet, & hoſtes ei ſubijciat, ut ſit dominus omnium. Sicut de hac exaltatione illuſtris eſt oratio Petri Apoſtoli, Act: 2. Et Pauli; Phil. 2.

V. 6. Ἐφανέρωσα. Clarius nunc explicat ſupradicta v. 4. Revelavit credentibus nomen Dei Patris, hoc eſt, conſilium & beneplacitum de liberando genere humano, à damnatione; dilectionem ineffabilem, qua homines complexus eſt ab æterno, Dati ſunt ſunt Chriſto à Patre credentes; hoc eſt, ad ipſum vocati & adducti, per ordinata à Deo me-

dia & operationem Sp. ſancti, ut ſupradictum eſt, ad v. 44. cap. 6. Tui ſunt, videlicet quia initia habuerunt cognitionis Dei, & nunc Sp. ſancto illuminati, & fideles, Dei peculium facti, curæq; & informationi Salvatoris commiſſi ſunt, ut confirmati in fide Chriſti credant Evangelio, itaq; dicuntur ſervare ſermonem Dei.

V. 7 Nῦν. Deinde lætatur Chriſtus propter cognitionẽ ac illuminationem fideliũ, quia ex Patris cœleſtis diſpoſitione, voluntate & conſilio, Filius in mundũ venit, opus redemptionis in ſe ſuſcepit, ut revelatio Evangelij, & redemptio à Deo Patre habeat initium; quem etiam de cœlo loquentem audiverunt; Matt. 4. & 17. Et quamvis ſolus Filius Dei carnem aſſumpſerit, Pater tamen cooperatus eſt operi redemptionis, & Filium in mundum miſit. Fatentur id diſcipuli, Matt. 16: 16. *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Et ſup. cap. 16. 30. *Credimus quod à deo exiſti.* Summa eſt hæc Chriſtianæ fidei, quæ in prima hujus cap. parte continetur, quam non poteſt intelligere qui non credit Evangelio: itaq; Turcæ & Iudæi qui in Deum credunt quidem, ſed quia Patrem eſſe negant, nec Filium recipiunt, nec miſſum confitentur à Patre ad ſalutem hominum; itaq; non ſalvantur.

V. 9. Ἐγὼ περὶ. II. Pars capitis, in qua Chriſtus pro diſcipulis orat, ut velit eos cœleſtis Pater ſervare in fide, & in periculis defendere adverſus inſidias ac tentationes diaboli, & perſequutiones impiorum: & ut per eorum miniſterium afficax ſit Evangelij prædicatio. Non orat nunc pro mundo, quia conſtituit peculiariter primum pro diſcipulis orare, ut eos præcipue Pater in ſuam tutelam ſuſcipiat; propter miniſterium ipſis commiſſum, ne deficientibus ipſis,

ſis, ceſſet Evangelij prædicatio, & impediatur hominum ſalus. Non orat pro mundo, ut ſcilicet ſalvetur mundus in impietate ſua, niſi convertatur & per fidem Evangelij ſalvari velit; & ſic comprehenditur etiam mundus, in oratione Chriſti; itaq; etiam infra, v. 21. & 23. orat ut credat mundus, & in cruce orat pro inimicis: & ipſe paſſus eſt pro peccatis totius mundi. ſup. c. 1 . 29. & 1. Joh. 2: 2. dilexit mundum. Joh. 3: 16. inimicos, Rom. 5: Paulus orare jubet pro omnibus hominibus. 1. Tim. 2: 2. Jubet prædicari gratiam hanc omni creaturæ, & univerſo mundo. Falſum itaq; dicit Calvinus, cum ex hoc loco docet Chriſtum impijs denegare ſalutis media: in loco de prædeſt. Addit ad conſolationem diſcipulorum, quia quæ ſunt ipſius, eadem etiam ſint Patris: nemo itaq; eos rapere poteſt de manu ipſius. ſup. c. 10: 28. *clarificatus* eſt *in eis*, per Evangelium quod prædicarunt, & per miracula innotuit mundo, per miniſterium eorum.

V. 11. Καὶ οὐκ ἔτι Aliam rationem addit hujus ſuæ petitionis, Quia ipſe non amplius erit in mundo, ſed ad Patrem ibit, deſerens eos juxta externæ & viſibilis converſationis modum. Orat itaq; Patrem, ut tempore paſſionis ipſius eos in fidei unitate ſervet, ſicut infra, v. 21. Sicut Patris & Filij ſententia & conſilium de ſalutis humanæ reparatione unum eſt.

V. 12. Ὅτε ἤμην. 3. A ſuo exemplo; ut eo diſcedente nõ minore ſecuritate fruantur ſub tutela patris, quã ipſo præſente: qui eos cuſtodivit in nomine Patris, hoc eſt, in fide decreti Patris, in Evangelio patefacti. Nec moveat eos defectio Iudæ, magis autem confirmentur in fide Chriſtum eſſe Meſſiam; quia contigit id juxta vaticinium Davidis,

qui id prædixit. *Amicus meus cui credidi, qui vescebatur pane meo, conculcavit me pede suo.* ps. 41: 10. Et ps. 108: 8. & adducitur à Petro Apostolo, Act. 1: 20. idq; non impellente Deo, sed prævidente: & volente ipso, qui perditionem quam diu meditatus erat, volens perfecit, non obediens admonitioni magistri.

V. 13. Νῦν. 4. Ratio cur sic orat, scilicet, ut intelligentes dilectionem & curam de se, Christi simul & cœlestis Patris, de salute sua certificati, ac de protectione adversus impios; gaudium spirituale concipiant, & solatium firmum contra omnes tentationes Diaboli, & mundi insidias.

V. 14. Ἐγὼ. 5. Propter odium & insidias impiorum, qui oderunt sermonem Christi quem Apostoli prædicant & sequuntur: & mundus tenebras amat; sup. c. 3. Et est in maligno positus, 1. Joh. 5: 19. Ego vero & illi mundana studia non probamus sed arguimus: qualia sunt *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, superbia vitæ, quæ non est ex Pater sed ex mundo*. ait Joh. 1. Ep. c. 2: 15.

V. 15. οὐκ ἐρωτῶ. 6. Ne contristentur discipuli propter immaturam mortem, explicat Dominus quid à Deo petat; non scilicet, ut per mortē eripiat eos ex afflictionibus hujus mundi, prædixit enim multis afflictionibus obnoxios fore, Matt. 10. Joh. 16. quæ Deus certo consilio & fine permitit, ad carnis & concupiscentiæ castigationem, ad fidelium probationem, ad patientiæ & constantiæ declarationem: orat autem ut eos cœlestis pater servet, ne malis hisce succumbant, & deserant professionem ac in æternum pereant. Sic Paulum à malo servavit, 2. Tim. 4: 18. Ne tyranni minis ac metu mortis imminentis, à fide quam antea prædicavit, ipse deficeret: hoc malum est, à quo nos ut Deus servet, quotidie oramus, *libera nos à malo*.

V. 17. Ἁγίασον. 7. Peculiari oratione petit, ut quemadmodũ ex mundo non ſunt, ſed Chriſto traditi ad miniſterium; ita eos Pater ſanctificet, ſegreget à mundo, & ornet Sp. ſancti donis & perfecta Evangelij notitia, quæ eſt Dei veritas, hominibus ad ſalutem data; verbum Dei, à ſeculo ignotum, Rom. 16:25. revelatum autem ſecundum conſilium æterni Dei; per filium, Dominum Ieſum, ad ſalutem credentium.

V. 18. Καθὼς. Ut à Chriſto in mundum miſſi, feliciter procedat per miniſterium eorum Evangelij prædicatio, per uuiverſum orbem.

V. 23. Καὶ ὑπὲρ. 8. Ratio quia Chriſtus ideo in mundum venit, ſeq; ad mortem obtulit. Eſtq; finis adventus Chriſti, ut peracto hoc ſacrificio, prædicaretur Evangelium in univerſo mundo.

V. 20. Οὐ περὶ. III. Pars cap. In qua pro omnibus credentibus orat, & paſſim etiam mundum ſua interceſſione dignatur. Primo autem & principaliter pro credituris, in quibus maxime conſpicitur efficacia mortis Chriſti; ad Patrem intercedit, ut ſint unum, id eſt, ut idem ſentiant de fide, de miſericordia Dei erga nos, & de ſalutari merito Chriſti: ſicut de his una eſt ſententia Patris & filij, ſic ſit inter omnes fideles perpetua concordia. Concernit etiam hæc oratio Chriſti, doctrinæ identitatem per omnia mundi tempora, uſq; ad finem: finem ſeu intentionẽ ſubjungit, non ſolis credentibus ſalutiferam, ſed toti mundo ſi credat, Ideo enim Chriſtus paſſus eſt, ideo miſit evangelium per omnes mundi partes, *ut omnes ubiq; pœnitentiam agant.* Act. 17:30. Itaq; mundo & impijs non denegat ſalutis media. Nam ſi crederet mundus Ieſum eſſe à Deo miſſum ſalvatorem,

rem, etiam per ipſum ſalvaretur: ſufficit itaq; mors Chriſti pro totius mundi ſalute, & eſt pretium ſuficiens; Et *Deus dilexit mundum*. Joh. 3.

V. 22. Καὶ ἐγὼ. Gloria quam Chriſtus ſuis dedit, ſunt dona illuſtria Sp. ſancti, lingvarum, miraculorum, dona intelligendi, docendi, ſup. c. 16: 13. *me clarificabit*. Eph. 4: 11: Lucet itaq; lux fidelium in operibus bonis: Matt. 5: 16. Unde glorificatur Deus. 1. Pet. 2. 12.

V. 23. Ἐγὼ ἐν. Conſummati ſunt fideles, cum in caritate perfecti, ſicut Chriſtus vitam poſuit pro Eccleſia, etiam fideles pro fratribus parati ſunt vitā ponere, Deo id volente. 1. Joh. 3: 16. Hac Apoſtolorum & piorum martyrum conſtantia moti, confirmabantur fideles, & impij Plurimi fuerunt ad fidem converſi.

C A P. XVIII.

VI. Pars hiſtoriæ Evangelicæ nunc ſequitur, & continet hiſtoriam paſſionis & mortis Chriſti, quam juxta prophetias, ſecundum decretum æterni patris pertulit, pro reconciliatione & redemptione huminum. Et eſt argumentum XVI. quo confirmat Evangeliſta Chriſtum eſſe Meſſiam: Poſtquam enim quatvor capitibus præcedentibus,
XVI. digeſſione prolixa deſcripſit exhortationem Chriſti ad diſcipulos nunc ad argumenta confirmationis redit, oſtendens illum eſſe Meſſiam qui pro peccatis hominum paſſus eſt, ſecundum Prophetarum vaticinia, qui mortuus qui ſepultus eſt, qui etiam reſurrexit & apparuit diſcipulis vivus. Diſtribuitur hiſtoria paſſionis Chriſti uſitatè in ſex actus. 1. De cœna ultima. 2. de his quæ in horto geſta ſunt. 3. in domo Caiphæ. 4. apud Pilatum & in curia. 5. de cruce Chri-

sti. 6. sepultura. Memoriæ causa hoc versu comprehenderunt veteres:

Cœna, hortus, Caiphas, Pilatus, cruxq́;, se-pulchrum.

Cœnæ sacræ institutionem cæteri Evangelistæ plenius descripserunt; Iohannes paucis attigit, properans ad sequentia, supra c. 13. descripturus salutarem exhortationem & consolationem ad discipulos, quam cæteri omiserunt. In hoc capite tres actus sequentes Evangelista persequitur, quæ in horto, quæ in Senatu potificum, & magnam partem eorum quæ apud Pilatum gesta sunt: Duas partes muneris Sacerdotalis hactenus Christus absolvit 1. Doctrinam, interpretando scripturas & vaticinia, aperiendo consilium ac decretum patris de salvandis hominibus, quod insignibus miraculis confirmavit. 2. oravit pro discipulis & Ecclesia, sup. cap. 17. Sicut ex Ps. 110. probat Apostolus Heb. 5: 6. *Tu es Sacerdos in æternum*; &c. *Qui in diebus carnis suæ. preces supplicationesq́ ad eum qui possit salvare ipsum à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est.* 3. Pars officij Sacerdotalis est offerre pro peccatis hominum. Heb. 8: 5 *Omnis enim pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur: unde necesse est & hunc habere quod offerat.* Et cap. 9. 11. *Christus itaq́ assistens Pontifex futurorum bonorum, non per sangvinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sangvinem, introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.* Hujus sacrificij explicatio nunc restat.

V. 1. Ταῦτα εἰπών. Prima pars cap. in qua secundus actus passionis describitur. Hæc cum dixisset, id est, post peractam cœnam, & post diuturnum colloquium cum discipulis: Media nocte, (ait Theophyl.) iter facit, flumen transit, festinatq; ut veniat in locum proditori notum. Non dubium est in multam noctem tractam moram; cœna scilicet

cum

cum discipulis ultima, pedum lotione, prolixa exhortatione, quatvor præcedentibus capitibus comprehensa. Torrens Kidron, ab orientali parte, inter muros urbis & montem oliveti per vallem Iosaphat, influit in Asphaltiten: hunc pertransiens Iesus, ivit juxta consvetudinem, in montem olivarum: ait Lucas c. 22: 39. in villam quæ dicitur Gethsemane. Matt. 26: 36. Stadijs quinq; distabat à Ierosolymis. Hortus erat, in quam sæpius divertit ipse, cum discipulis: *erat enim diebus docens in templo, noctibus verò exiens morabatur in monte qui dicitur Oliveti.* Luc. 21: 37. Scilicet, ut insidias Iudæorum declinaret, usq; ad horam à Deo definitam: & ut quietus in precibus ageret. Jam vero hortum ingreditur, offerens se proditori, & satellitibus Pontificum: neq; enim erat incognita proditio, quam etiam prædixit: Matt. 26: 21. & 31. Itaq; ad locum proditori notum properat.

V. 3. ὁ οὖν ἰούδας. Sceleris magnitudo in Iuda amplificatur, qui diuturna consulatione ad facinus perpetrandum, Deum offendit, Sp. sanctum amittit, in diaboli suggestiones consentit, secum cogitat quomodo malum quod constituit in effectum ducat, non jam à Sp. sancto revocatur, quem amisit, sed diaboli laqueo implicitus ducitur. Cohortem accipit, hoc est militum manum armatam, ministros etiam Pontificum ductores, militibus imperantes: præit ipse & locum designat, ac personam comprehendendam. Ipse verò ne quis proditionem animadverteret, osculo Dominum salutat. Matt. 26: 49. quem omnia scire satis antea didicit, etiã cogitationes: sic à Diabolo excæcatus, altum securitatis somnũ stertit in nefando proposito, quæ est peccati concepti natura, sicut describitur Iac. c. 1:

13. Sa-

12. Satanam verò hujus cogitationis autorem fuisse, Lucas expresse ostendit v. 22:3. Mira est potestas Diaboli insinuantis cogitationes & consilia mala, actione spirituali, quam carnales & securi non sentiunt: & his sæpenumero, pios alioquin homines, abduci videmus ad flagitia. Sic David ad adulterium perpetrandum, adductus fuit, & homicidium, 2. Sam. 9. Et ut numeraret populum: cap. 24: 1. Quæ Diaboli stratagemata sentiunt & declinare noverunt, qui à Sp. sancto illuminati, vigilant in precibus & pietatis studio. Diabolo Judam tentandi occasionem dedit avaritia, *Radix omnium malorum*. 1. Tim. 6. fur enim erat: sup. c. 12: 6. Et quia in initio cum posset, non restitit, sed Satanam admisit: itaq; sensim prævaluit Diabolus, & eum in hæc mala conjecit.

V. 4. Ἰησοῦς. Ostendit Evangelista Iesum non ex improviso aut invitum in manus eorũ pervenisse, sed sponte processisse in conspectum; nox enim erat, & locus spaciosus, ut fugere potuerit, si voluisset: deinde sciens in quæ mala deveniret; novit enim omnia. Quia enim venit hora quam Pater constituit, itaq; obedientiam præstat filius, & se offert, ut perficiat sacrificium justitiæ Divinæ debitum, pro peccatis mundi: simul etiam declarans dilectionem ineffabilem, qua genus humanum prosequitur. Ideo nõ fugit amplius, sed in conspectum prodit intrepidus, & se comprehendendum ad mortem offert: certissimè sperans Deum cujus jussa exequitur, directurum hæc omnia ad suã gloriam, finemq; Christo filio gloriosum, & hominibus salutarem. Adest Judas, cum primis, & osculo magistrum indicat, sicut notant Evangelistæ; ut dilectionis prætextu proditionẽ tegat, coram eo qui cor intuetur & cogitatio-

nes: unde ſtupenda ſecuritas & cæcitas in Juda notatur.

V. 6. ὡς οὖν Tantum verò terrorem incuſſit apparitoribus reſpoſio Chriſti, ut retro lapſi & in terram proſtrati caderent: ut appareat quantum poſſit vox judicis in extremo die, adverſus ſecuros & tergiverſantes impios: quod etiam Pontificibus in judicio minabatur Matt. 26: 64. Non terruit tamen impios, hæc majeſtas Divina, quos Pontificum impietas prava opinione imbuit, miracula hæc, eſſe impoſturas & faſcinationes diaboli. Matt. 12. ſup. c. 8 *Diabolum habes*; itaq; poſtquam ſpiritum recipiunt, Chriſtum comprehendunt.

V. 31. Ἀπεκρίθη. Iterum ſe offert impiorum manibus, ſed mandato addito, ut diſcipulos liberos permittant, qua voce muniti diſcipuli permittuntur illæſi: ubi iterum ſe exerit Divina potentia ſalvatoris. Cum tamen tot indicijs patefacta ſit Divina Chriſti potentia, tamen non intelligunt, nec credunt ipſum eſſe Meſſiam, quod etiam miratur Euangeliſta, ſup. c. 12: 37. Dinde, apparet ſpecimen exauditionis Chriſti ſup. cap 17. *Non rogo ut tollas eos de mundo, ſed ut ſerves eos à malo:* ut inde reliquæ orationis efficaciam metiamur. Etiam, ut ſciamus Chriſtum verè eſſe Meſſiam, de quo hæc prædixit Sp. ſanctus: de proditione Iudæ. Pſ. 41: 10. Et 109. Itaq; impletur vaticinium Chriſti ſup. cap. 17: 12.

V. 10. Σίμων. Alterum membrum hujus primæ partis, qua deſcribit Euangeliſta exorbitationem Petri; qui ut promiſſa ſervaret, ſup. c. 13: 37. & fidem erga Magiſtrum declararet, videns periculum, & nunc tempus adeſſe ratus exerendæ fortitudinis; quæ in periculis maximè conſpicitur, & homines dominis fidos, ac fortiter ſe gerentes nobilitat

litat: promtus itaq; hostem adoritur, &, ut ipse putat tempestive. Lucas dicit quæsivisse Petrum, an gladium in hostes stringere oporteat? verum non expectato responso, præ fervore animi, hostem ferit. Proficiscitur hic error Petri ex fidei defectu & infirmitate, qui sæpius antea admonitus de morte Christo perferenda, tamen credere non potuit, imbutus Pharisaica opinione, regnum Christi esse mundanum, itaq; armis occupandum. Temeritas hæc maxima videri potest, cum binis saltem gladijs armati essent discipuli, Luc. 22: 38. Petrus solus ausus fuerit in cohortem tam armatam gladium stringere. Sed sine dubio confidentia magistri id effecit, qui verbo potuit armatos sternere, quem sibi non defuturum sperabat: erat itaq; studium Petri, non malignum, ut Judæ, sed ex bono zelo profectum, defendendi scilicet magistrum adversus vim injustam. Verum, modus reprehenditur; Petrus alienam potestatem usurpat, gladij sibi non commissi: cujus usus homini privato non competit, nisi ex permissione legum, aut magistratus civilis. At dices, vim vi repellere semper licuit: vim faciunt illi, ad quos spectabat defensio, qui cum innocentem defendere debebant, ipsi injuriam faciunt, quam avertere alia ratione non potuit. Sciendum hîc est primo, adversus vim publicam, privato homini auxilium aliud non superesse, nisi in fuga, si liceat; nam si vim faciat, fit rebellis: ideo jubet Salvator Petrum gladiũ suum recondere in vagina. Et Prophetæ, ipse Christus, Apostoli & sancti martyres, paruerunt, mortem perferentes, à tyrannis illatam: potuit autem Iesus duodecim legiones Angelorum ad sui defensionem petere à Patre, Matt. 26. sed volens cessit violentiæ, ut in autoritatem magistratus publi-

eam non peccaret. Hæc si observaret is qui se pro vicario Christi, & Petri sucessore gerit: non arriperet gladium quem salvator Petro ademit; nec Reges Regnis expellere tentaret, aut sibi non subjectam potestatem impie invaderet. Secunda ratio, erroris erat in Petro, quia non intellexit, licet id Iesus sæpius indicasset, Christo moriendum esse, pro peccatis homin[illegible]n, juxta voluntatem Patris. Matt. 16: 21. Ubi Petrus volens id dissuadere, audit à Domino: *Vade post me Satana.* Quod cœlestis Patris institutum generi humano salutare Petrus temerario hoc facto, licet aliud intenderet, tamen impedit: grave itaq; erat delictum Petri. Notandum est etiam beneficium in hostem editum, cujus resecavit auriculam Petrus, hanc Iesus restituit & sanavit: quo miraculo neq; permoti impij manus à Christo abstinent, sed comprèhensũ abducunt, adeoq; nec verba nec miracula securos ac seductos permovent. Illud magis mirum, quantopere voce Christi perterriti, qua discipulos immunes permittere jussit, nec Petrum comprehendere audent, à quo tanta injuria fuerũt affecti, multitudine & armis feroces, legati pontificum & præsidis: ut hinc appareat quæ fuerit efficatia verborum Christi, quibus modum posuit ferociæ hostium, ne ultra permissionem Divinam progrederentur; ut & hostium animi, consideratione tantæ virtutis perculsi, Divinam virtutem cognoscerent; & discipuli consolationem acciperent, ex accepto privilegio, cujus efficaciam in primo hostium insultu sentiunt; id enim supra prædixit salvator, cap. 17: 12. *Cum essem cum eis, ego eos servabam in nomine tuo.*

V. 12. Ἡ δν. II, Pars cap. in qua continetur actus III. Passionis Christi, eorum quæ gesta fuerunt in ædibus pontificum

ficum, coram Anna & Caipha. Στρατεία καὶ χιλίαρχος, à ministris Iudæorum discernitur: habuerunt itaq; cohortem & centurionem à præside Romano: Pilato scilicet. Dicit Caipham fuisse Pontificem illius anni; recesserunt itaq; ab ordinatione Divina, & lege, quæ pontificatum continuat per vitæ tempus illius qui officio fungitur, & filium succedere jubet, in locum defuncti. Primum hujus mutationis autorem fuisse Antiochum Syriæ Regem Maccabæorum historiæ prodiderunt: Et Iosephus Antiqu. lib. 20. cap. 8. universam pontificum seriem & mutationes, ab Aarone, usq; ad sua tempora recenset. Mutationis in aliam familiam primum autorem facit Antiochum Eupatora; nunquam vero tanta fuit pontificum mutatio sicut sub Herode, qui quibusvis ex Sacerdotum genere, etiam obscuris Sacerdotium commisit. Ante ipsum verò Quirinus hunc Annam seu Ananum fecit esse pontificem: huic Valerius Gratus Ismaelem substituit: quo dejecto Eleazarum Anani filium jussit esse pontificem. Iterum anno exacto Simoni pontificatum tribuit; rursum anno elapso eum dejecit, & in locum ejus collocat Iosephum qui Caiaphas cognominabatur; Refert Ioseph antiquit.lib.18. cap. 3. Vitellio deinde Ionatha deposito in fratrem ejus Theophilum pontificatum transtulit.l 18. c. 7. Unde annuus iste Pontificatus sine dubio initium habuit: ut crebris hisce mutationibus minueretur pōtificis autoritas, ne autor esset seditionis adversus Regem. Sic Regnum translatum est in gentem aliam, Sacerdotiū quoq; perturbatum erat; ut appareret imminere jam utriusq; ruinam, veniente Christo, juxta vaticinium Patriarchæ. Gen. 49:10. Sub pontificibus Anna & Caipha dicit Lucas, factum esse verbum Domini super

Iohannem cap. 3: 2. Erat itaq; ſacerdotium inter hoſce diviſum, ut alternè annuũ quiſq; pontificatum gereret, ab initio prædicationis Baptiſtæ, uſq; ad mortem Chriſti & ulterius; nam poſt aſcenſionem Chriſti Annas iterum erat pontifex, ut patet, Act. 4: 6. Meminit autem iterum Evangeliſta conſilij ejus, quod dedit Caiphas Iudæis ſup. c. 11: 49. Ut oſtendat quanta cum voluptate Ieſum captivum uterq; viderit: veluti ſuæ dignitatis æmulum, qui adverſus templum & Sacerdotium docuerit, ut deſtructor veteris ſacerdotij & inſtaurator novi; quo nomine ipſum etiam accuſant: Matt. 26: 61. & Stephanum, Act. 6: 13. *Ieſus Nazarenus deſtruet locum iſtum; & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyſes.* In Annæ ædibus nihil memorabile Evangeliſta commemorat, niſi quod Ieſum vinctum miſerit ad pontificem Caipham; infra, v. 24. cetera quæ hic commemorat Evangeliſta in Caiphæ domo Matthæus recitat, ubi concilium ſcribarum & Seniorum convenit. cap. 26: 57.

V. 15. Ἠκολούθει. Alter Lapſus Petri deſcribitur, abnegatio Salvatoris, ubi etiam interſeritur examen cum Ieſu habitum coram pontifice & ſenatu: ad hujus rei tractationem primò noctem eligunt, ne ſentiatur in populoſa civitate tumultus, & credentium in Chriſtum multitudo, concurſu facto ipſum è manibus eorum eripiat. Deinde, in ædibus privatis rem agunt, ob cauſam eandem, & quia inſtabat feſtum, curiam non ingrediuntur, ne immundi facti, ex forenſi proceſſu, ut illi putant, agno paſcali veſci nequaquam. inf. v. 28. Alter ille diſcipulus putatur fuiſſe Iohannes, de quo ſic Theophylactus: *Quis erat alius diſcipulus ille qui hæc ſcripſit. Occultat autem ſe propter humilitatem: &c.* Ideo hæc commemorat, ut certior ſit fides eorum quæ intus

tùs gesta fuerunt, quia quæ narrat, ipse præsens vidit: *notus erat pontifici*, Et hoc erat modestiæ signum, ne sibi majorem fortitudinis laudem videatur tribuere; ipse etiam Petro aditum paravit, ut socium secum haberet testem eorum quæ gerebantur. Petrum sibi præponit, hunc nominat, suum nomen reticet, quæ omnia sunt modestiæ indicia.

V. 17. Λέγει. Vidit ancilla ostiaria Petrum sollicite laborantem de ingressu, suspicatur eum esse discipulum Iesu: quærit igitur an sit ex discipulis ejus? *hominis illius*, dicit, quæ est vox miserantis, sicut Pilatus loquitur; *Ecce homo.* inf, c. 19: 5. Petrus exterritus ad vocem mulierculæ, veritus ne quid ei, in atrium ingresso, mali sit paratum; negat se esse ejus discipulum: nam si affirmasset, veritus erat ne & ipse productus, in idem cum Magistro periculum incideret. Perseverat tamen, ut videat exitum; nam negatione hac existimat se superrasse periculum, cum servorum multitudini admissus non facile dignosceretur. Interim cũ Petr⁹ cæteris ad ignem astans, primæ abnegationis peccato non multum afficitur, intuentur eum cæteri & agnoscunt, partim ex facie partim ex sermone, sicut infra dicetur.

V. 19. Ὁ οὖν. Examen nunc sequitur, quod cum Iesu Pontifex instituit, de discipulis, quinam sint, quantus numerus, & in quem finem collecti; de doctrina quoq; quam à Mose diversam esse putabant: & Mar. 1: 27. dicunt esse doctrinam novam, ideo respondent cæco; *Tu discipulus ejus sis, nos Moysi discipuli sumus; nos scimus quia Moysi loquutus est Deus; hunc autem unde sit nescimus.* Joh. 9. 26. De discipulis quæstio suspicionem etiam continet ambitionis, sive regni affectati; quia forte in hunc usum colligeret tantam auditorum multitudinem: sic Herodes tali de causa Iohannem necavit,

vit, quia cum tanto favore plebis valeret; facile multitudinem quocunq; vellet impelleret; sicut indicat Iosephus antiquit. l. 18. c. 7. Et hoc nomine Iesum accusant coram Pilato, *Commovet populum*, Luc. 23: 5. & v. 2. *dicit se esse Christum Regem.* Sic Iudas Galilæus circa hæc tempora discipulos congregavit, & spiritu Anabaptistico docuit omnem principatum abolendum, libertati studendum & solum Deum habendum pro principe. Act: 5: 37. Joseph. antiquit l. 18: cap. 1. & 2. Doctrinam similiter suspicione gravabant calumniantes ipsum prohibere, ne dent censum Cæsari. Luc. 23: 2. Et quia nimis magna sibi tribuit, Messiæ honorem, & quod sit filius Dei: ideo etiam de his eum interogant, Matt. 26: Luc. 22. unde judicant ipsum seditiosum & in Deum blasphemum.

V. 20. Ἀπεκρίθη. Respondet Iesus & provocat ad auditores; latere non potest quid ipse docuerit, quia semper in magna hominum frequentia docuit, aut in locis minime obscuris, in templo scilicet, & Synagogis, Iudææ & Galilææ: nunc autem adesse ex omni loco non minimam multitudinem, eorum scilicet, qui ad festum convenerunt, ut non desint testes. Negat verò ab his quæ palam docuit, se quicquam diversum docuisse in occulto, sed totum genus doctrinæ esse publice notum: ne opus sit ab eo quærere cui loquenti non credunt: ideoq; hypocrisin eorum acriter redarguit, Luc. 22: 67. ostenditq; neq; eos credere loquenti, nec dignatos respondere quærenti, neq; si sit innocens, cum dimittent, quem neci distinarunt. Insolentiam hanc pugnis corrigendam putat impij domini minister impius, & Iesum in faciem cædit; vinctum, innocentem, non convictum, in judicio consistentem, ubi sedes erat justitiæ: &

ho

hoc tolerant judices, ac ſilentio probant. Notetur verò innocentia Chriſti: crimen nullum obijciunt, nec probant; falſos teſtes producunt, haud ſufficientes. Matt. 26: 59. Neq; excuſationem & defenſionem innocentis admittunt, ſed verberibus reprimunt, ut tacito præjudicio neci deſtinatum, palam in judicio opprimant.

V. 23. Ἀπεκρίθη. Proteſtatur adverſus hanc injuriam Ieſus, oſtendens ſe innocentem neq; convictum verberibus iniquè affici, contra morē judiciorum, quia vera & juſta loquebatur, nec poteſt contrarium probari. Sic Paulus majore cum vehementia, ob injuriam eandem, judicij præſidem objurgat, Act. 23: 3. & uſitate mulcta graviore puniuntur, qui vinctum reum, aut etiam ſine vinculis in judicio conſtitutum, reali aut verbali injuria, etiam levi, afficiunt; ubi ad elicendam veritatem liber permittitur tam reus quā actor, ut ab omni perturbatione vacuus, objecta crimina diluere poſſit; Et judex vel ex defenſione, confeſſione, ſignis, circumſtantijs, aut commotione rei, verum perſpicere valeat. Tolerat tamen hanc injuriam Salvator, quam fulmine de cœlo punire potuiſſet: ſeq; ad toletandum accingit, & exemplo ſuo comprobat, præceptum diſcipulis datum, Matt. 5: 39. adverſus ultionem privatam.

V. 24. Ἀπέστειλε. Miſerat; hanc enim interpretationem aoriſtus Græcus admittit: & cæteri Evangeliſtæ examen hoc judiciale totum, cum trina abnegatione Petri, in ædibus Pontificis Caiphæ commemorant, ut ſupra dictum eſt.

V. 25. Ἦν δὲ Σίμων. Nunc ad delictum Petri, & abnegationem Ieſu Domini, deſcribendam redit Evangeliſta, cum ab alijs aſtantibus indicio proditur: ancillam Matthæus fuiſſe dicit, Lucas alium, ſcilicet ex miniſtris, Johannes plures ad-

hibet; unde intelligimus à pluribus fuisse tentatum Petrum, qui testimonia conferentes, volebant eum convincere & ad pontificem deferre. Accedit, post horæ intervallum, ut refert Lucas, tertius servus qui in horto adfuit cum comprehenderetur Iesus, & testatur quod ipse præsens vidit. Hic omni auxilio & excusatione destitutus Petrus, periculum sentiens, negat semel atq; iterum, execratione superaddita & jurejurando, & quamvis juxta prædictionem Domini, galli cantu iterumq; fuisset admonitus: Mar. 14. tamen resipiscere non potuit, aut peccatum agnoscere, antequam conversus Dominus Petrum respiceret, Luc. 22: 61. cujus aspectus ea fuit efficacia, ut memor Petrus vaticinij Christi, Divinam ejus sapientiam agnosceret, & benignam sollicitudinem de salute ejus, ne negato & rejecto Messia, ipse in æternum periret. Hic & Divinitatem Christi, & Messiæ officium Petrus agnoscit, dilectionem quoq; & desiderium salutis erga suos: ingratitudinem quoq; suam & inconstantiam, atq; defectionem à salutis autore, cum salutis speratæ dispendio. Gravis enim erat hic casus Petri: tempus confessionis erat, & declarandæ fortitudinis antea jactatæ, sup. cap. 13: 37. Et Matt. 26: 35. Luc. 22: 33. Nec memor erat vaticinij; quod fortitudine sua & facto ipso refutare decrevit. Matt. 26: 35. Judicium Christi de specie talis negationis audivit Petrus, Matt. 10. *Qui negaverit me coram hominibus negabo ego eum coram Patre meo cælesti.* Non lapsus est Petrus destinata & ante deliberata malitia, ut Judas; neq; enim hoc fine atrium pontificis ingressus est; sed ex infirmitate carnali, cum metu periculi perculsus animo, perturbationis hujus vehementiam superare non potuit. Neq; erat intentio mala: sequuntur enim Petrus & Iohannes pio affectu

per-

permoti, & cura magistri summopere dilecti: & studio testandi vera ad condiscipulos aliosq; fideles, de actione hac impia adversus Dominum. Verum quia verbum & vaticinium Christi neglexit, viribus suis nimium tribuit, sine vocatione rem agreditur, ausu temerario; nam ex Sp. sancti vaticinio dispergendi erant, Matt. 26: 31. Zachar. 13: 7. Solum autem habebant mandatum, expectandi revelationem Iesu redivivi post mortem; non vero assistendi ei in passione aut morte, opem ullam ferendi sua opera. Itaq; quia sine promissione & contra mandatum datum aliquid proprio ausu tentant: in hæc pericula & tentationes gravissimas incidunt, Petrus Maxime, cujus major erat temeritas & audacia: neq; vero etiam putandum est exiguam fuisse tentationem & periculum Iohannis, qui una affuit in atrio dum hæc agebantur. Petrus autem à Iesu ad pœnitentiam revocatus, veram pœnitentiam egit, itaq; peccatum deplorans, etiam in gratiā receptus est: non potuit tamen per se in gratiam cum Domino redire, nisi ipsum Iesus clementi intuitu repexisset. Luc. 22: 61. Scripserunt hæc Evangelistæ, non odio condiscipuli aut diffamandi studio, sed certo Sp. sancti consilio; ut & nos memores humanæ infirmitatis, intelligamus quanta sit humani animi infirmitas, cum nostris viribus à Deo relinquitur, cujus opem in omni actione cum timore implorare oportet.

V. 28. Ἄγουσιν. Adducunt Iesum in prætorium, ad Pilatum, cujus in potestate erat sontes mortis suplicio afficere, quæ potestas Judæis adempta fuit à victoribus Romanis, nec unquam deinceps restituta: quod & ipsi fatentur, inf. v. 31. Erat igitur sceptrum ablatum, ex vaticinio Patriarchæ, Gen. 49. Ipsi Pontifices una eunt ad Præsidem; ut

accusatione sua, plus autoritatis habitura, magis urgeant reum. Temporis circumstantiam notat Evangelista: *Erat autem mane.* Sic per mediam noctem Dominum exagitabant in ædibus suis, quo perductus erat ante gallicinium. Deinde hypocrisin Pontificum describit qui putant pollui se ex ingressu curiæ, sine dubio ex traditione seniorum, nihil enim tale vetat Lex Divina: insontem verò plectere, & falsum testimonium dicere, adversus vitam & sangvinem innocentis, severe prohibet. Levit. 19: 15. Hactenus gesta Chaiphæ & pontificum: sequuntur quæ apud Pilatum.

V. 29. ἐξῆλθεν. IV. Actus nunc sequitur, eorum quæ in curia geruntur. Ubi primum occurrit moderatio Pilati, qui se importunitati eorum accommodat, & cum ipsi curiam ingredi recusant, ipse ad eos foras egreditur, qui imperio & satellitio potens, eos vel compellere potuisset, ut curiam de more ingrederentur; aut accusationem eorum reijcere. Deinde causam quærit, cur hominem in gente eorum ob doctrinam & insignia facta celebrem, vinctum supremo judici sistant? Fecit hoc ex officio recte Pilatus, illi vero instant, damnationem urgentes illius, qui in concilio eorum ut maleficus mortis sententia damnatus est: quam sententiam à præside ratam haberi postulant; cum sint testes examinati & reus convictus maleficij, nec posse senatum tantæ autoritatis juditio falli. Postulant à Festo præside simile judicium ijdem Hierosolymitani Act. 25. quibus respondet Festus: *Non est Romanis consuetudo, damnare aliquē hominem, prius quam is qui accusatur præsentes habeat accusatores locumq́ue defendendi accipiat ad diluenda crimina.* Apparet itaq; ex repetitis actionibus, quæ fuerit hujus senatus iniquitas, quis zelus, quæ vindictæ cupiditas in eos, qui hypocrisin & impi-

impietatem eorum non probant: ut etiam cupiant judices esse in propria causa, cum sint altera pars litis; quam parum etiam tribuant magistratui politico, in cujus potestate est judicium pœnæ civilis. Non est dissimilis autoritas quã captant hodie Romanæ Ecclesiæ præsides; qui putant concilia sua errare non posse, nec pontificem; damnatos suo judicio Magistratui civili plectendos tradunt, nec dubitare de causa aut de æquitate judicij ulterius permittitur; ut docent exempla Iohannis Hus & Hieronymi, damnatorum in concilio Constantiensi. Mirum itaq; non est, si hi, sicut & illi, suo judicio derelicti, & propter pertinaciam recedente ab ijs Sp. sancto, in errores inextricabiles prolabantur, & pessum eat universa religio.

V. 31. Εἶπεν οὖν. Pilatus ut hanc insolentiam retundat, remittit reum ipsorum judicio, ut, si causam coram ipso agere detrectent, & rerum maleficii convincere, ipsi judicent, &latam sententiam exequantur. Necesse est enim fieri alterutrum, aut enim ipsi exequutionem administrent, aut si ab ipso tam grandis supplicij judicium petant, necesse etiam erit caussæ quoq; cognitionem ei deferre. Hoc dilemmate præses confessionem subjectionis ab ipsis exprimit, qua fateri coguntur judicium capitis ipsis esse ademptũ; & ad præsidem spectare, cui Romanus imperator hanc potestatẽ contulit, cum administratione provinciæ. Est& ea ablati ab ipsis imperij clara confessio, continauta ab Agusto Cæsare. (qui Iudæam redactam in provinciam, primus censuit,) ad Tiberium, sub quo Christus passus est.

V. 32. Ἵνα ὁ. Vaticinium Domini adducit Evangelista de morte crucis, sub magistratu Ethnico, Matt. 20:16. ubi totum ordinem condemnationis & mortis suæ, prædixit,

mortis etiam genus, judices, & exequutores. Unde duplex ratio deducitur Christum esse Messiam, naturâ Deum. 1. Quia cum hæc præsciverit, tamen ad mortem properat volens. 2. Quia futura prædixit prout gesta sunt,

V. 33. Εἰσῆλθεν. Lucas accusationem pontificum describit, cap. 24. 2. *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem, e esse Christum Regem.* Quo audito Pilatus seditionem metuens, quærit an sit Rex Iudæorum; hoc est, an sit ad spem Regni natus, vel ullo juris prætextu possit successionem in regnum Iudaicum sibi vendicare. His confictis criminibus adversus gubernationem civilem, putabant se præsidem magis permovere posse, quam si de lege & doctrina aliquid attullissent, quod Pilatus parum curaret; sicut de Gallione refert historia, Act. 18: 13. Iesus volens Pilatum in cognitionem officij sui perducere, quærit ab ipso vicissim: an ipse per se talem suspicionem concepit, an vero ab alijs, & ex relatione acceperit? Potuisset enim ex fama miraculorum & doctrinæ Christi percipere, aliquid inesse ei ultra conditionem hominum communem Pilatus itaq; quia novit pontifices ex odio hanc adversus Iesum actionem incipere; ut suspicionem à se omnem removeat, & ostendat se non odio Iudaico adversus ipsum ferri, sed candide agere velle, neq; cum Iudæis in necem ipsius conspirare: itaq; negat se Iudæum esse: Christum autem ab ipsis perduellionis & Regni affectati crimine gravari. *A Gente sua*: quod miratur præses, cum id magis conveniret Romanis magistratibus, quos ea res concernit; optandum potius esset Iudæis, si proprium Regem habere possent. Iam si de jure Regni terreni sit quæstio, potuisset salvator jure optimo ostendere Regnum Iudaicum ad se pertinere: quip-

quippe qui nobilitate generis præ alijs omnibus excelluit, cujus antiqua prosapia per præcedentes mundi ætates ab Adamo usq; deduci potuit, ex Patriarchis, Davide & sequentibus Regibus Juda ortum duxit: sicut Matthæus & Lucas clare demonstrant. Nec deerat multitudo hominum faventium sicut in deserto, sup. cap. 6: 15. Neq; auxilium cœleste; quod Petro respondit: Matt: 26: 53. Et cum ingrederetur Ierosolymam, sup. c. 12: 13.

V. 36. Ἀπεκρίθη. Excipit itaq; Iesus adversus hanc objectionem dupliciter, 1. Quia regnum Dei in humano genere duplex est, terrenum & cœleste; illud corpora & fortunas, pacem & temporalia dirigit, animos etiam, ad felicitatem temporalem: alterum cœleste scilicet, animas curat, cultum Divinum, salutem atq; felicitatem æternam, & hæc inter se toto genere distant, significat autem se nullam hujus terreni regni curam agere, quatenus mediatoris officium sustinet, sed studio & conatu omni animarum salutem respicere. Non est igitur justa pontificum criminatio, sed calumnia à veritate aliena. Alteram responsionem desumit à communi modo & medijs, usitatis in occupando regno terreno, cum armis, militibus & exercitu opus est, ac potentia externa. Vident autem Pontifices & Præses ipse, eum nihil tale moliri, adversus statum præsentem Reipublicæ: unde etiam patet vanitas accusatorum. Quia vero regnum se habere tacite significat, ab hoc terreno diversum, itaq; veritus Pilatus ne quid mali ex eo exurgat, adversus potentiam Romanam, scire cupit, quale sit illud & qualis Rex ipse. Respondit Dominus, *Tu dicis*, quæ erat loquutio usitata, modeste affirmans verbis alienis; nobis etiam usitata, cum dicimus; *Sicut dixisti*. Sicut etiam Ponti-

tifi.

tifici respondit Matt. 26: 64. quod Marcus Evangelista interpretatur & effert simplici affirmatione: *Ego sum.* cap. 14: 62. Natus est Rex, itaq; Magi quærunt juxta revelationem sibi factam, de nuper nato Rege, Matt. 2: 2. Rex dicitur, quia subjecta sunt ei omnia. Ps. 8: 7. etiam inimici. Ps. 110. *Dominabitur à mari usq; ad mare: à flumine usq; ad terminos terræ.* ps. 72: 8 *Et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Dan. 7: 14. & 27. Mich. 4: 7. vocabitur autem Rex hic *filius altissimi.* Luc. 1: 32. Non solum Rex erit, sed insuper etiam Pontifex, sicut prædixit David, Ps. 110 Et quidem secundum ordinem Melchizedec. Quod pluribus explicat Apostolus, Heb. in fine cap. 4. & c. 5. 7. 8. Et Christus ipse Regni sui finem declarat, quem ostendit esse prædicationem Evangelii & annunciationem gratiæ Dei, seu testificationem veritatis, de justificatione vera quæ valet coram Deo: & quæ hominibus incognita erat à seculo. Rom. 16 prolata vero à filio, ex sinu æterni patris. sup. c. 1: 18. Hæc veritas & prædicatio, non perturbat nec evertit regna, sed subditos ad virtutem informat, obedientiam erga magistratum civilem: non docet itaq; seditionem adversus Cæsarem, sed jubet dare *Cæsari quæ sunt Cæsaris.* Matt. 22: 20. Addit insuper teneri omnes qui veritatem amant, qualis etiam videri cupit Pilatus, audire ipsum, & recipere veritatem quam annunciat, si salvi esse velint. Sicut de doctrina sua loquutus est sup. c. 7: 17. *Si quis voluerit voluntatem patris mei facere, cognoscet de doctrina an ex Deo sit, an ego ex meipso loquar.* Eos vero qui non audiunt, non esse ex Deo, sup, c. 8: 47. hoc est non regi à Deo, non verè Deum colere. Hoc sermone mediocriter commotus Pilatus, veritatis amatorem se declarat, & cognoscendi cupidum: itaq;

atq; quærit quæ aut qualis ſit illa veritas. Ideo Pilatus quia intelligit non de regno eſſe certamen, ſed hunc eſſe prætextum, in præjudicium Ieſu confictum à Pontificibus, quod ipſi alias non magnopere curarent; ſcilicet ſi quis adverſus Cæſarem inſurgeret & ipſi Regnum adimeret: intelligit autem controverſiam eſſe de veritate Religionis, quæ neq; ad forum ſpectat, neq; mortis ſuplicium infert: ſicut ex Act. 18. Gallionis exemplo declaratum eſt, qui erat Proconſul Achaiæ, & controverſiam religionis à ſe removit. Quærit à Domino quid ſit veritas, reſponſum non expectat, neq; enim putandum eſt Salvatorem ſcire cupienti reſponſum denegaſſe; Theophylactus putat, quia longo tempore indigebat hæc veritatis explicatio, *urgebat vero*, ait, *ut Ieſum eriperet Iudæorum furori, idcirco egreditur ad eos.* Conſentit Auguſtinus, tract. 115. & putat concitatum Pilatum ut exiret, ex inventa ratione liberandi Ieſum, dimittendo captivum, more ſolito ante Paſcha. Notabilis eſt confeſſio Pilati, cum fatetur ſe cauſam nullam invenire in eo, ut mortis ſupplicio afficiatur: Cum tamen contra exiſtiment Iudæi evidentem eſſe mortis cauſam non ſimplicis ſuplicij, ſed crucis, ubi ante mortem magno dolore torquentur diu miſeri damnati; ut intelligamus quanta ſit diverſitas humani judicij, ubi neceſſe eſt alterutram partem falli judicio, ſicut hîc Pontifices, quorum tamen judicio Pilatus, alias non iniquus, vincitur: & omnis multitudo in errorem ducitur. Præferunt omnes latronem, in quo non erat dubia cauſa mortis, qua oblata optione, omnino ſperabat Præſes ſe Chriſtũ liberare poſſe. Reprehenditur tamen hîc in Pilato, qui cum habuerit oblatam ſibi occaſionem cognoſcendæ veritatis, tamen ea neglecta, alia agit &

magis populi desideria respicit: quæ est infidelium securitas, qui gentili superstitione occupati, fidem Christianam contemnunt.

C A P. XIX.

In hoc cap. continuat Evangelista actum quartum passionis, eorum scilicet quæ coram Pilato; crucem insuper & sepulturam: duos actus postremos. Quatvor sunt partes capitis. In I. describitur passio Christi in curia Pilati; Pilatus enim ut furorem populi mitigaret, flagellis cæsum militibus illudendum permisit: illi ad quasvis injurias prompti, multis injurijs Christum onerant, miserum reputantes & ineptum qui se pro Rege gereret. Itaq; coronam capiti per ludibrium imponunt, ex spinis complicatam, ut aculeis coronæ caput affligerent, & dolorem afflicto augeant, arundinem in manus tradunt, loco sceptri usitati Regibus, caput verberant, ut spinis plus laceretur. Genu flexo Regem eum salutant, in faciem expuunt, sicut refert Mathæus, & hoc in conspectu multitudinis, ad majorem contumeliam afflicti. Purpura etiam seu clamyde Regali eum induunt obsoleta, ne quid desit ad contumeliam, obijcientes ei Regni affectati temeritatem. Nullum hic Christo refugium in Præside, qui talia permisit, quiq; eum ante innocentem judicavit. Hic suum consilium sequutus Pilatus, quod Judæis proposuit, cap: 24. Lucæ, ut Iesum flagris correptum dimittere posset; Et completum est vaticinium Esa. 50:6: verum non decuit innoxium contumelia afficere, quamvis studio omni ferebatur ad liberandum eum: & hac ratione mitigari posse putabat ferociam inimicorum. Refert etiam ibidem Evangelista missum hoc fine

Ie-

Iesum ad Herodem, si quid posset ipse explorare de ipso ex ministris suis: qui eum simili contumelia affectum Pilato remisit. Veste enim seu tunica alba eum induit, itidem per ludibrium: mos enim erat Romanis, ut si quis consulatum peteret, eo anno veste alba uteretur, & dicebatur candidatus; itaq; Salvator ab Herode nihil nisi ludibrium & contumeliam reportavit. Sic impij ac potentes sæpe in oppressionem innocentum conspirant. Pilatus igitur ut ad misericordiam inimicos commoueat, Iesum hoc modo misere afflictum, laceratum, & contumelia affectum in conspectum multitudinis producit, ut commiserationem si qua sit in illis reliqua, exprimat, addita suæ quoq; commiserationis significatione; *Ecce homo*: ut satis jam supplicij ab ipso sumptum ostendat, pro levi delicto, aut nullo; addito iterum innocentiæ illius testimonio.

V. 6. ὅτε οὖν II. Pars cap. actio Pontificum & populi Iudaici adversus Pilatum, quem vident omni studio ferri ad absolvendum Iesum: itaq; clamoribus obstrepunt, ut his fatigatus, permittat tandem reum voluntati eorum, cruci affigendum, quasi notorio crimine jam conv[illegible] Pilatus contra negat ut antea; & ut accusantes [illegible]ifices confundat, reijcit ad ipsos judicium cum exequutione, juxta artificiũ & dilemma superius: oblique exprobrans insolentiam eorum, qui cum ipsi quod cupiunt adversus reum exequi nequeant, Præsidis tamen sententiæ non obtemperant, cum sit judex legitimus, publica autoritate constitutus:

V. 7. Ἀπεκρίθησαν. Hic coacti Iudæi propius accedunt ad rem, & proferunt caput accusationis quod occultarunt hactenus; veriti quod accidit, ne Pilatus magis ipsis adversus fieret, videns supra allatas calumnias non sufficere ad

damnationem mortis. Legem adversus ipsum producunt, quæ etsi Romanis legibus non continetur, à Deo tamen tradita, vigorem haud minorem habet lege quavis politica: hanc quidem non allegant, quia directe huc non spectat, sed adversus falsos Prophetas; ut, Deut. 13: 1. & cap. 18: 20. qua ad mortem damnantur Prophetæ, qui idolorum cultum tradunt, & falsam doctrinam, prætendentes autoritatem & missionem Divinam. Sive putent eam quæ extat Deut. 6: 4. *Audi Israel Deus tuus unus est Dominus:* ergo non potest Deus à Deo nasci, ut sint Duo. Sed antea Christus ostendit se unum esse cum Patre, & operationem eandem. sup. c. 5: 17. Et cap. 10: 30, Ubi ex operibus probat se filium Dei esse: & ex collatione, scripturarum ostendit non esse blasphemiam. Capitale autem erat non solum blasphemare, sed nominare frustra, seu ad abusum, nomen Dei, secundo præcepto, & Lev. 24: 15.

V. 8. ὅτι ἦν. Pilatus timuit, supetstitione gentili, etiam ab uxore admonetur, ut refert Matth. cap. 27: 19. Putabant gentiles ex commistione Deorum cum hominibus, nasci Heroas, & priscorum Regum erat illa impostura, ut genus à Dijs deducendo, Divinos honores sibi tribuerent, continuandos post mortem in perpetuum: Sap. 14. Sic Ænææ genus à Venere, Virgilius deduxit: Alaxander Magnus Jovem Hammonem Lybicum Patrem maluit, quam Philippum: ut Iustinus refert. Fama itidem miraculorum Præsidem commovit fidemq; fecit, esse in Christo aliquid quod humanam virturem excederet: veretur itaq; ne sibi infortunium & malum maximum adducat, cum Deorum offensa, si ipsum neci tradat. Repetita igitur inquisitione, quærit Pilatus solicite, unde sit? ut de genere

atq;

atq; ortu ejus cognoſcat; an Divinam originem ſibi tribuat, aut probare poſſit. Tacet autem Dominus Ieſus nec reſpondet quicquam: vel quia videt vanitatem quæſtionis de tali Deorum generatione, vel quod prævideat eventum hujus colloquij ſine fructu futurum, nec Pilatum corrigi poſſe, ſed ceſſurum clamoribus & voluntati Iudæorum. Itaq; ob cauſam eandem reſpondet Pontificibus: Luc. 22. 67. *Si vobis dixero non credetis mihi: ſi autem & interrogavero, non reſpondebitis, neq; dimittetis me.* Videt igitur fruſtra ſe laborare Chriſtus ſalvator, maluit itaq; tacere, ſeq; voluntati eorum permittere, & ad mortem offerre: Prædixit hoc Eſa. c. 53: 7. & 50: 6. Eſt itaq; in gentilibus etiam quidam metus numinis naturalis, quo correptus Pilatus, veretur ne ſi innocentem affligat aut afflixerit, pœna ſequatur Divina alicujus numinis; quamvis forte incogniti: ſicut hoc argumento Athenienſes terruit Paulus, Act. 17: 23. Quia igitur undiquaq; preſſus Pilatus, videt ſe ſeditionis periculo expoſitum ab una parte, ab altera, vindicta numinis, aut Cæſaris, ob violatam juſtitiam: itaq; Ieſum urget vehementius & minis terret, oſtendendo poteſtatem quâ pollet, ad liberandum eum aut crucifigendum, Abutitur hic poteſtate ſibi comiſſa Pilatus, Deus enim qui Magiſtratum conſtituit poteſtatem ei commiſit, non ad malum aut ad oppreſſionem innocentum, ſed ad defenſionem & ad bonum: Rom. 13: 3. *Principes non ſunt timori, bonis operibus ſed malis.* Ieſus autem nihil male fecit; Pilato confitente. Etiam à Cæſare fuit conſtitutus Pilatus ad conſervationem juſtitiæ & pacis Publicæ. Nullam itaq; poteſtatem accepit ad inferendam, ſed ad avertendam injuriam.

V. 11. Ἀπεκρίθη. Hanc Pilati inſolentiam Dominus re-

primit, metumq; numinis ei infert, ostendens datam esse ei potestatem à Deo, unde est omnis potestas Rom. 13: 1. Sap. 6: 4. *vobis dominatio data est à Domino, & potestas ab altissimo, qui inquirrt in actiones vestras ... Estis enim ministri regni illius*: &c. Deus autem injustus non est; sed severus ultor omnis injustitiæ, & judicium ejus secundum veritatem. Rom. 1: 32. & cap. 2: 8. *Ira, indignatio, tribulatio & augustia, super omnem animam hominis operantis malum.* Iactat itaq; potestatem sibi non commissam Pilatus, qua si utatur adversus innocentem, vindictam Divinam sentiet. Deinde ne quid confidat sententiæ & judicio Pontificum & populi, quorum iniquam accusationem & calumniam nunc intellexit, ostendit gravius esse illorum delictum, qui hujus iniquitatis primi autores, damnatum innocentem Pilato crucifigendum tradiderunt: ex destinata malitia & longa deliberatione. Tertio quantumvis à Romano Imperatore potestate judiciali, exequutoria & Prætoria auctus sit: non tamen haberet in Filium Dei ullam potestatem, nisi ob dispensationem & singulare consilium Dei, permittentis ea, ob destinatum ante secula humanæ salutis negocium: Sed nec cujusquam fidelium pilus capitis decidet, sine Patris cœlestis voluntate: Matt. 10. Sic Christus etiam Præsidi insinuat redemptionis mysterium, & consilium Dei, cui seipse sponte subjecit, & iniquitatem hanc ipsius & populi, cum patientia tolerare se velle significat: ipsos vero graviter adversus Deum & justitiam peccare.

V. 12. ἐκ τούτου. His verbis valde commotus Præses, majori studio, fertur ad liberandum Iesum, idq; singulari modestia, æquo animo tolerando reprehensionem ejus quem in potestate habuit, cedens veritati, clementia conspicua

&

& in viro principe rara: & ne peccatum committeret contra conſcientiam; quamvis peccatum Pontificum majus eſſet. *Neq; enim propterea hoc nullum eſt quia illud majus eſt*, ait *Auguſtinus, in hunc locum.* Pontifices quia vident Præſidem non tanti facere blaſphemiæ calumniam, & religionis controverſiam, eorumq; leges, ut ex hoc fundamento Ieſum extremo ſupplicio afficiendum putet: ac magis quam antea, de dimiſione ejus laborare jam incipiat; repetunt priore affectati Regni & preduellionis calumniam, ſi illa, religionis cauſa, non ſufficiat ad mortis ſuplicium ex ſententia Pilati, ſufficiet hæc, quæ Cæſaris & populi Romani Majeſtatem lædit. Oblique etiam Pilatum accuſant, quod cum habeat captivum reum, ſeditioſum adverſus Cæſarem, regnum in Judæa affectantem, ut provinciam Romanorum dominio eripiat: tamen convinctum & damnatum ſupplicio non afficit, ſed dimittere conſtituit; aparet itaq; Pilatum rem Cæſaris non fideliter agere, ſed colludere cum reip. & Imperatoris hoſte. Calumnia hæc eſt adverſus Chriſtianos etiam frequens: ſicut ex hiſtoria Eccleſiaſtica notum eſt. Sacrificabant idolis Romani & orabant pro ſalute Imperatorum, perſequutorum Eccleſiæ; Chriſtiani cum hoc modo ſacrificare idolis non vellent, rapiebantur ad ſupplicia, quaſi inimici, Imperatoribus haud fideles; ut referunt Tertullianus & Euſebius. Hæc accuſatio ſi vera, fuiſſet, utiq; in conſilio Pontificum fuiſſet damnatus ob eandem, quam tamen ibi non attingunt, Pilatus etiam reum ab hoc crimine ſæpius jam abſolvit, cum nullam rationem afferant actores qua Ieſum aſtringant aut convincant; calumnia eſt igitur. Pilatus tamen quia probe novit, quantum valeat apud Magnates calumnia, minis Judæorum ter-

territus, metuens ne in indignationem Cæſaris incurrat, accuſatione Pontificum & populi Judaici: maluit itaq; Ieſum innocentem illorum voluntati permittere, quam ſeipſum tanto exponere periculo. Sic homo gentilis Divini verbi & Sp. ſancti directione deſtitutus, in contrarias ſententias rapitur; ut quem ſæpius innocentem magno conatu aſſeruit, nunc ignominioſæ mortis ſupplicio ſubijcit, quod homo ad fidem converſus non feciſſet, etiamſi vitæ periculum ſubeundum fuiſſet. Cauſare potuit Pilatus iram Cæſaris, indignationem populi & Pontificum, criminantium ipſum; proclivitatem potentum ad ſuſpiciones, delatorum aſtutiam, ſeditionis periculum, adverſariorum potentiam, pacem publicam: hæc tamen quamtumvis gravia appareant, tamen Pilato non ſatisfaciunt; tanta enim eſt lux juſtitiæ & vis veritatis, ut in conſcientias uſq; etiam infidelium penetret. Hæ ſunt cogitationes ſe mutuo accuſantes & defendentes, de quibus Paulus, Rom. 2: 15. & cap. 1: 32. *Qui cum juſtitiam Dei cognoviſſent, non intellexerunt, quod qui talia agunt, digni ſunt morte.* Nil novit Pilatus de morte æterna, reſurrectione mortuorum, extremo judicio, quibus ab injuſtitia cohibentur fideles verbo Dei illuminati: quibus Felicem perterruit Paulus, Act, 24: 25. Pilatus ut ſe eximeret ex hac inniquitate, ceremoniam addidit, ſicut Matth. notat: & accepta aqua, lavit manus in conſpectu omnium, & totam culpam in Iudæos rejicit: illi conditionem accipiunt, & reatum ſangvinis innocentis ſuper ſe & filios ſuos ſponte recipiunt, horribili ſecuritate dicam ac cæcitate majore, quam in hodiernum uſq; diem luit gens Judaica, tremendo judicio numinis, à Deo & ſalute rejecti. Pilatus etiam *in malum quod metuit incidit*, Prov. 10: 24. quia

vix

vix elapso triennio; officio dejectus, Cæsaris indignatione; delatus à Judæis, ut Eusebius refert, offensis propter illatas in urbem Cæsaris imagines, & ob exhaustam Corbanam instauratione aquæductus, decurrentis spatium trecentorum stadiorum. Hist. l. 2. cap. 6. ex Iosephi antiquit. lib. 18. c. 5. Nicephorus ex Olympiadum scriptoribus narrat, eum Caji Cæsaris temporibus varijs calamitatibus affectum, vitæ tædio sibiipsi violentas manus intulisse, lib. 2. cap. 10. Accusatus erat ob cædem in Judæos patratam, coram Vitellio præside Syriæ generali, à quo jussus est Romam ire, & causam dicere.

V. 14. Ἦν δὲ παρασκευή. dies proxime præcedens Pascha, quod cepit à die Sabbathi; hora 6. Marcus horam tertiam dicit, forte totius hujus actionis tempus ab initio complexus est, incipiens ab hora tertia, quod cæteri continuant usq; in horam sextam. Judæi urgent clamore magno ut crucifigatur, cum posset alio repentino mortis genere tolli, & cruciatu minore: unde apparet adversus eum crudelitas & furor Iudæorum. Pilatus videns se declinare non posse, ut dictum est, stilum sermonis vertit, Regem sæpius proclamat, ut Iudæos magis ad vehementiam accendat, possitq; causam mortis iniquæ in eos referre; quæ res hypocrisi non caret: tenebatur justitiam facere, quæ, ut ipse supra fassus est, v. 10. in ejus potestate sita erat; eventum autem Deo committere, qui & Cæsaris iram, & populi furorem mitigare potuisset.

V. 16. Τότε οὖν. II. Pars cap. de supplicio crucis & morte Christi agit. Pilatus tradit ad mortem eum quem toties innocentem declaravit, & adhuc declarat, quod est grave delictum, contra conscientiam: & qualescunq; excusatio-

nes prætendat, non poteſt tamẽ ſibijpſi ſatisfacere, ſed manet in ſententia de innocentia Chriſti, uſq; in finem. Nec juvat ipſum rejecta in Judæos culpa: utendum enim erat poteſtate, quam jactavit ſupra, v. 10. Omnes conſpirant in necẽ Chriſti, Judæi & gentes pariter; crudelitas, calumnia, odium, iniquitas; violentia ſeu vis publica dominatur, innococens opprimitur, autor vitæ, ſalvator hominum, ſangvis filij Dei funditur: ad quam impietatem lux Solis & aſtrorum deficit, contremuit terra, montes dehiſcunt, velum ſcinditur, ſepulcra patent; Matt. 27. ſtupenda hominũ malitia, quæ his portentis non afficitur. Mira Dei patientia, qui hæc tam impia intueri ſuſtinet. Execrabilis diaboli aſtutia & potentia, qui mala tanta adverſus filium Dei excitare auſus eſt, & in effectum deducere potuit. Patent ſepulcra & mortui reviviſcunt, ut intelligant homines, mortem ſalvatoris non eſſe lethiferam, ſed vivificam, longe vero maxime ejusdem reſurrectionem. Ieſus ad mortem damnatus non murmurat, non conqueritur de iniquitate judicum; non Cæſarem appellat, quod tamen facere potuiſſet; ſicut Paulus: Act. 25: 11. Sed aderat hora à Deo definita & deſtinata paſſioni. ſup. cap. 12: 27 quam ipſe volens ſubijt, Eſa. 53. 7. *Sicut ovis ad mactationem ducta: & quæ ſilet coram tonſore.* Et Heb. 10: 5. ex Pſ. 40: 8. *Ecce venio, in capite libri ſcriptum eſt de me; voluntatem tuam ô Deus facio lubens.* Milites excipientes, Ieſum exuunt purpura, ait Matthæus, & veſtimentis proprijs indutum, ut magis agnoſceretur, ad locum ſupplicij per urbem ducunt; Calvariæ nomine notatur, ex oſſium multitudine, reliquijs ſcilicet occiſorum, quorum oſſa inhumata relicta ſunt in loco ſupplicij. Inſuper ne quid afflictionis deſit, crucem magnæ molis impo-

nunt

nunt ei portandum, viribus exhausto & fatigato, hujus & præcedentis diei ac noctis vigilijs, labore, plagis, corona spinea, ulceribus & sangvinis fluxu; cum autem vident ex virium defectu succumbere defessum, crucem alteri obvio Simoni, per nequitiam & ludibrium imponunt, ut sciamus traditum fuisse dominum in manus eorum, qui sint ad omne genus crudelitatis ac nequitiæ parati. Hîc Dominum gloriæ clavis cruci affixum, manibus pedibusq; pro more extensis ac perforatis, attollunt, & inter cœlum ac terrã pendere faciũt, miserabili fidelibus spectaculo, ubi diuturno cruciatu affectus vitam finijt. Prædixit hoc mortis genus, sup. cap. 12: 31. *Cum exaltatus fuero à terra:* &c. quod vaticinium Judæi probe intellexerunt, de morte videlicet crucis: ut patet ex textu. prædixit Divinus vates, Ps. 22. 38. 55. 69. Collocatus est medius inter duos latrones; factum est hoc ait Marcus, cap. 15: 28 juxta vaticinium Esa: 53: 12. *Cum iniquis reputatus est, tulit peccata multorum, & oravit pro delinquentibus.*

V. 19. ἔγραψε. Videtur consvetudo fuisse, causam supplicij supra caput crucifixi ascribere. Pilatus igitur, cruci Christi talem addit titulum, Regem appellat Iudæorum: quod quamvis ægre ferrent Judæi, tamen scripturam hanc non abolet Pilatus, neç mutat, ut coram omnibus, & Cæsare, sit excusatus, quia Regem Iudæorum qualemcunq; cruci affixerit: & si sit, Rex, sicut ipse professus erat, qui testificaturus de veritate in mundum venit, etiam Pilati testimonio justum titulum obtineat. Et ut omnibus id innotescat, Hebraice, Græce & Latine scripsit, linguis in orbe vulgatissimis & celeberrimis: nec dubium est singulari dispositione Divina hoc factum esse, quia videmus his lin-

guis præcipue, vulgatum Regnum Christi per universum mundum; quo monemur, has lingvas oportere nos præ alijs in precio habere, quibus sacra doctrina nobis tradita est. Pendet autem in ligno Salvator, *pro nobis maledictum factus, redimens nos à maledicto legis* Gal. 3: 13. Juxta illud Deut. 21: 23. *Maledictus est coram Deo qui pendet e ligno.*

V. 23. Οἱ οὖν στρατιῶται Ad dolorem & ignominiam majorem, ac ad augendam anxietatem morituri, milites vestimenta in conspectu ejus dividunt, ut singulis qui operam præbuerunt in crucifigendo eo, pars una eveniret, spectante insuper matre & propinquis: quod verbis clarissimis prædixit Sp. sanctus: Ps. 22: 19. Quantopere sauciatus fuerit animus matris Domini, hoc tristi casu & mirabili passionis spectaculo, omnes intelligunt; gladius hic erat, pertransiens animã ejus, de quo vaticinatur Simeon. Est enim ipsa imago veræ Ecclesiæ cujus conditio semper est in hoc mundo variabilis & afflicta, qualis etiam erat Christi Domini, à prima nativitate usque ad terminum vitæ. Additi fuerunt custodes, ait Matth. non hi pauci solum, sed sine dubio militum manus major, ne amicorum concursu liberaretur crucifixus, qui plurimos habuit discipulos & sectatores. Verum & hoc Deo dirigente factum est, ut de morte Christi omnibus constaret, & de miraculis; testantibus non solum propinquis & amicis, sed etiam inimicis; sicut centurio, qui cum alijs etiam ipse testatus est hunc esse filium Dei, sicut Matthæus & Marcus docent.

V. 25. Ἑστήκεισαν. Mulieres ex propinquis astantes enumerat Evangelista, affuit etiam Johannes, præ alijs dilectus: qui ne quid deesset officij dilectionis ac fidelitatis moribundum prosequuntur, astant, observant; quos cum vidisset

ſet Ieſus, matrem, cui ipſe in poſterum præeſſe nequeat, in tutelam diſcipuli commendat, qui etiam ſibi commendatam lubens ad ſe recipit. Mira hæc eſt fortitudo animi in ſexu muliebri meticuloſo & infirmo, cum neq; crudelitatem inimicorum metuunt, nec pericula; ſed firmo animo adſunt, & ad crucem aſtant, ſpectantes & obſervantes quæ geruntur: robur animo infirmo: ſine dubio, auxit fides, quam ex doctrina Chriſti perceperunt, contra ſpem in ſpem credentes, ſicut Abraham, Rom. 4:19. *Pleniſſime ſcientes quod quæ eis Deus* per Chriſtum *promiſſit*, & miraculis confirmavit, *potens eſſet etiam facere*: Sperabant enim felicem hujus graviſſimæ afflictionis eventum, quocunq; tandem modo id fieret. Status eſt hic Eccleſiæ & fidelium in hoc mundo, quibus Deus tribulationes tantas immittit, & exercet, ſæpe tanto perturbationum impetu, ut fides ad extremum perveniat & amitti videatur: & ipſe tunc auxilio præſentiſſimo afflictis adeſt, eoſq; rurſus in ſpem erigit; quod his paulo poſt contingit, per reſurrectionem Chriſti à mortuis. Diſcipuli etiam pietas conſpicua eſt, qui Dominum non deſerit, quod fit in afflictione plerunq; ut etiam ab amicis deſeramur, ſed ſequitur, adeſt morienti, mandata exequitur, matris Domini ſibi commendatæ curam ſuſcipit; quam diſcipuli obedientiam & pietatem Dominus ſalutari protectione & vita longæva compenſavit.

V. 28. Μετὰ τοῦτο. Novit Dominus hoc unum ſupereſſe quod prædixit David, Pſ. 69:22. *Fel mihi in cibum dederunt, & acetum in maxima ſiti mea.* Urgebat etiam ſanguinis evacuatio ex venis & defectio virium, itaq; de ſiti conqueritur, & potum expetit, partim ut ſitim rele-

vet partim ut vaticiniũ impleat: impij vero quia noverunt cruci affixos, & cruciatu afflictos potum expetere solere, ideo paratum habent fel aceto mistum, ut passum extrema, hac acerbitate & illusione plus affligant; addita exprobratione, ut refert Lucas. cap. 23: 36. frustra igitur commiscuntur alias causas nonnulli, exhibiti aceti, cum Lucas dicat illusionis causa id esse factum. Potu eo gustato, quia novit jam completa esse Prophetarum vaticinia, & sacrificium peractum quod justitia Divina requisivit, itaq; spiritum Deo commendabat, cum clamore valido: Heb. 5: 7. Mar. 15. 37. contra morem expirantium, quod etiam mirabatur centurio: nam si defecisset vita, nullæ superfuissent vires ad clamandum, Deum itaq; Patrem invocat ut peracto jam redemptionis opere maxima ex parte, quod unum nunc reliquum erat, tristem animam ex corpore solveret. Moritur itaq; volens; Et ut loquitur Theophylactus: *Non enim prius mors corpus ejus invasit quam ipse voluit: voluit autem cum complesset omnia. Propterea dicebat*: *Potestatem habeo ponendi animam meam.* Inclinat autem caput, quod ab anima derelictum erigi non potuit motu naturali, sed motu gravium inanimatorum deorsum inclinat. Passio hæc erat Christi tanto gravior aliorum hominũ passione: cum enim quisq; pro peccatis suis patiatur, ipse omnium hominum luit delicta, tot malis gravatus, iniquitate scilicet hominum, conspirantium in contumeliam, & necem ejus; insuper iram Dei patris sustinuit, infinitam, & omni creaturæ intolerabilem. Act. 4: 27. *Convenerunt enim vere in civitate ista, adversus sanctum puerum tuum Iesum quem unxisti, Herodes, Pontius Pilatus cum Gentibus & populis Israel.* &c. Esa. 53:4. *verè languores nostros ille pertulit.* Non potuerunt Angeli virtute

in-

insignes, iram Dei sustinere, sed in tartara præcipitati sunt 2. Pet. 2: 4. & 11. Non potuit prior mundus, non Sodoma: *Urit enim & ardet usque ad ima inferni, & fundamenta montium obsumit.* Deut. 32: 22. Hanc molem ut sustinere posset Christus Messias, necesse erat: 1. ut homo esset. Deus enim non patitur; & quia homo peccavit, ipsum etiam mori oportuit. Gen. 2: 17. Ezech. 18: 4, *Anima quæ peccavit ipsa morietur.* 2. verum ne homo huic ponderi succumberet, & vinceretur à morte & diabolo, itaq; necesse erat ipsum esse Deum, ut etiam Divina virtute hostibus superatis justitiam æternam nobis reportet, cum donis Spiritualibus & Dei gratia; & jam redemptionis nostræ opus, non est humanæ nec Divinæ naturæ opus, seorsim consideratæ, sed utriusq; naturæ simul sumptæ, & totius personæ sicut Beatus Lutherus, in illustri lancis similitudine explicat, in lib. de concilijs, & Ecclesia; Et lib. concordiæ in Solida declarat. de justitia fidei: & in art. de persona Christi. Huc adducantur omnes typi veteris testamenti, vaticinia Davidis & prophetarum, quibus hæc Christi passio fuit præfigurata, quæ magno numero ab Evangelistis in descriptione passionis Christi adducuntur, & â patribus & interpretibus alijs: Ut hinc deducatnr Argumentum XXI. quo probatur Christum esse Messiam, quod inchoatum est initio cap. 18. in hunc modum: Quicunq; passus est secundum promissiones, typos, vaticinia, veteris testamenti, & tempore à Sp. sancto definito, ipse verè est Messias. At Christus Mariæ filius complevit hæc omnia: ergo hic vere est Messias, in quem qui credunt salvantur. Hic est cardo & fundamentum salutis nostræ, & lapis seu caput anguli; extra quem non est salus. Sic concludit Petrus, Act. 4: 10. c. 10: 37. Paulus, Act. 13: 28. 1. Cor. 15: 3. *XXI.*

V. 31. οἱ οὖν ἰουδαῖοι. III. Pars cap. est eorum quæ post mortem contigerunt, & de sepultura. Primo, Judæorum simulatam mundiciem describit, qui, ne abominatione suspensorum pollueretur festivitas Paschatis, petunt, ut fractis cruribus eorum, corpora è cruce tollerentur. Tempus etiam designat parasceves, hoc est sextam feriam, præcedentem Sabbathum, cum pararentur necessaria ad festum. Crura frangi voluerunt suspensorum, ut dolore aucto, citius morerentur; ne populus accurrens ob miserabile spectaculum cruciatus, die festo sequente avocarentur à sacris: Et ut ad occasum solis suspensi humarentur, juxta legem. Deut. 21: 22. Judæorum hæc erat pietas, quam alias non curassent gentiles. Milites videntes Iesum mortuum, crura non frangunt, à crudelitate tamen sibi non temperant, sed inhumaniter sæviunt in mortuum, & latus lancea aperiunt. Effluunt sangvis & aqua, non naturaliter, sed miraculose; sanguis enim ex corpore mortuo non effluit nec aqua; quippe cum corpus motuum frigus occupat, & omnis in corpore liquior concretus, non fluit amplius. Aqua autem hic à sanguine distincta effluit, quæ sanguini commista non appareret: factum id esse credendum est ex Divina dispensatione, ad significandam ablutionem aquæ in Baptismo, & sangvinis exhibitionem in cœna, quæ prius instituta, Christus in cruce confirmat. Crura ejus non franguntur, ut respondeat antypus typo agni paschalis, cujus ossa frangere lex vetuit: Exo. 12: 46. Num. 9: 12. Vulnus lateri inflictum Zacharias prædixit, cap. 12: 10. Suum testimonium Evangelista addit magna cum asseveratione, eo quod testetur quæ ipse vidit, deinde, notum est Apostolorum testimonia non fallere: Deus enim miraculis & signis testi-

testificationem eorum comprobavit, est igitur testificatio Divina. Petunt id Apostoli; Act. 4:29.

V. 38. Μετὰ δὲ. De sepultura nunc agit Evangelista: qui est actus VI. Passionis exitus. Venit Ioseph ab Arimathæa, homo dives & honoratus, ait Matthæus; Et ipse discipulus Christi; qui ad festum venerat, ab Arimathæa, vico in monte Ephraim, prope ad Lyddam postea Diospolim dictam, sicut refert Hieronymus, de locis Hebraicis. Adhibitum fuisse hunc Iosephum in condemnatione Christi, sed non consensisse, autor est Luc. c. 23: 51. Decurio erat, quod quia affuit assessor in consilio, officium publicum sustinuit, in curia sacra Ierosolymitana: sepulturæ locum Hierosolymis elegit, ubi sine dubio etiam ædes habuit. Dives erat, itaq; facilior ad Pilatum aditus, & respectus major. Hic posito metu, Pilati autoritate se munit adversus Pontificum furorem: & sublato corpore Iesu de cruce, ponit in monumento suo, eadem vespera, cum antea circa horum nonam, juxta Matthæum, spiritum emisisset: hoc est circa tertiam vespertinam: Festinationis hujus causam fuisse dicit Evangelista, parasceven, quia erat vespera proxime præcedens festum diem magnum, cum sepulturæ opus peragere non licuit, forte etiam ne impiorum aliquis dolis sepulturam impediret, & Præsidis consensu impetrato, corpus Domini in locum ignominiosum detruderent aut abjicerent. Venit etiam Nicodemus princeps Judæorum, supra cap. 3: 1. Uterq; in occulto Christi discipulus; uterq; honoratus & dives: secutæ etiam sunt mulieres, quæ, ut supra dictum est, morienti affuerunt. Matt. 27. Marc. 15; 40: una cum alijs quæ ipsum sequutæ fuerunt ex Galilæa: Luc. 23: 55. Iam enim exoluta pœna & sacrificio sufficienti peracto in cruce,

non voluit Deus afflictum, ulterius manibus impiorum tractandum permittere, sed homines fideles & honoratos excitat, qui sepulturam peragant ministerio & honore competenti. Affert Nicodemus aromata seu unguenta, usitata in sepulturis honoratiorum, magni pertij & ponderis, centum scilicet librarum. Mos erat Syris & Ægyptij, corpora exenterata bitumine complere, cujus tamen hic nulla mentio. Hac itaq; omissa, totum corpus pro more eorundem, unguento pretioso delibutum, sindone involvunt; mos antiquus hic erat, sicut Ioseph typus Christi ungitur ab Ægyptijs: Gen. 50: 26. & Iacob pater ejus 40. diebus. ibidem v. 2. Modum describit Diodorus Siculus, lib. 1: § 19. fitq; ad durationem corporum, adeo ut hodie reperiantur cadavera, in excavatis hujusmodi monumentis perplura, reposita ante multa secula: *Ubi*, ait Diodorus, *singula corporis membra tantam habent integritatem, ut etiam palpebrarum & superciliorum pili, adeoq; tota corporis species invariata persistat.* Fidem aliquam fuisse in his præstantibus viris; mulieribus & Christi discipulis reliquam, in euntibus Emaus apparet, & duodecim Apostolis, cum illi sepulturam curant, hi tertium diem nunc adesse ajunt, memores promissionis de resurrectione, Apostoli congregati ostium claudunt, eventum expectantes verum quam fuerit exigua & titubans fides illa, consideranti rerum statum, obscurum esse nequit. Ex dilectionis officijs & cura ac ministerio exhibito fidei reliquiæ tamen conspiciuntur; si enim extincta fuisset in eis fides omnino, velut fraudati ac decepti, omnia officia defuncto denegassent. Monumentũ erat in hujus Iosephi horto vicino, in quo Christum reponunt duas ob causas: 1. quia in vicinia erat, 2 quia festinandum fuit propter ingruens

fe-

festum Paschatos, cum non licuit funera curare : ut dictum est. Notabilis erat Iosephi dilectio, qui monumentum excavatum ex petra; juxta descriptionem Matthæi, in usum suum, Christo permittit. Consuetudo fuit in Ægypto & Syria Palestina, subterraneas petras excavandi, pro singulis familijs; specus descensum prebebat, cameræ adhuc hodie visuntur, ubi ex una in alias ex ordine, longo tractu subterraneo patet aditus, facem præferentibus, ubi linteo involuti; & desuper sindone, repositi sunt magno numero, ante multa secula demortui, sicut nobis commemorant qui ex horum locorum peregrinatione revertuntur, & fragmenta talium corporum referunt; sæpe etiam integra corpora. Hic advoluto super antrum saxo gravi, ne qua fieret injuria sepulto, Ioseph abijt, manentibus & ex adverso residentibus mulieribus, & observantibus; ait Matth. fama enim erat resurrecturum eum tertia die. Pontifices itaq; impetratâ militum custodia à Pilato, sepulchrum obsignant: quæ res eis in majorem confusionem cessit.

C A P. XX.

De resurrectione Christi agit. Duæ sunt partes capitis, prior absentiam Christi è monumento describit, à mulieribus & discipulis in primis deprehensam; posterior tres diversas Christi apparitiones comprehendit.

V. 1. Τῇ δὲ μιᾷ. Prima pars, in qua mulieres accedentes ad sepulchrum vident abesse Iesum & assidere Angelos testificantes de resurrectione ejus. Postquam vidissent ubi repositus erat, advolutum quoq; lapidem & obsignatum, in urbem redeunt, & quiescunt Sabbatho, ait Lucas, quia ex lege non licuit egredi è civitate die festo magno, aut o-

pus facere. Quænam fuerint hæ mulieres, Lucas indicat; & ostendit fuisse plures, cap. 24: 10. Iohannes autem solius Mariæ Magdalenæ facit mentionem; sive quia ea ante alias prima venit, quod etiam verba significare videntur, venit enim ait, cum adhuc essent tenebræ; cum Marcus dicat venisse mulieres orto jam sole, quasi non omnes simul venerint: Sive quia Evangelista constituit de Maria sola agere: cui Iesus primum apparuit. Matthæus hanc nominat, & alteram Mariam. Marcus etiam docet eum Mariæ Magdalenæ primum apparuisse; & addit, De qua ejecerat septem dæmonia. Μιᾷ σαββάτων dicebatur prima dies in hebdomada post Sabbathum. In hunc diem Novi testamenti Pascha transtulit Apostolica Ecclesia, ad celebrandam resurrectionem Christi: & ad distinctionem festi Iudaici, celebrantis egressum Iudæorum & liberationem ex servitute Ægyptiaca. Quæ cum sit typus liberationis nostræ, à servitute legis & peccati; cessare jam oportuit umbram, oblato corpore. Dies hic tertius erat, juxta vaticinium Christi; parasceve seu dies præcedens Sabbathum; die festo mansit in sepulchro, prima Sabbathi resurrrexit, tertia scilicet die. Emerunt unguenta, sive prima Sabbathi in diluculo, sive ut Lucas ait, cap: 23: 56. die parasceves postquam sepultus esset: iteratas enim fuisse sæpius mortuorum unctiones, antea dictum est.

V. 2. Τρέχει. Maria videns lapidem sublatum, reversa in urbem celeriter, nunciat Petro & Iohanni; (sic Iohannes ubiq; reticet nomen suum proprium, modestiæ causa) corpus Domini sublatum è monumento. Hi celeri cursu ad sepulchrum properant, abesse corpus vident & linteamina seu fascias quibus involutum erat corpus, & sudarium capi-

capitis distincte posita. Introivit Petrus primum, & alter discipulus deinde, & credidit; intellige, vera esse quæ narraverunt mulieres; de resurrectione vero nondum crediderunt, ait Marcus sed visa sunt eis ut deliramenta quæ mulieres de apparitione Mariæ facta narrabant. Interim mulieres reliquæ orto Sole veniunt ad sepulchrum, & inveniunt similiter abesse Christum, & Angelos in veste fulgida astantes, sive in monumento sedentes, sicut referunt Marcus & Lucas: hi de resurrectione Christi nunciant, & in memoriam ipsis revocant promissionem ejus priorem de resurrectione. Luc. 24: 6,

V. 9. Οὐδέπω. Infirmitas erat discipulorum, quod pharisaica opinione occupati, neq; intelligeret vaticinia de resurrectione Christi, sicut postea accepto Sp. sancto: patet exemplo Petri qui quod nunc non intelligit, postea luculenter populo Judaico explicat, Act. 2: 24. ex Ps. 16. 8.

V. 10. Απῆλθον. Discipuli abeunt: Maria manet & ad sepulchrum astat & plorat: sive insigni caritate mota, sive quia reliquas expectat affuturas, quæ, sine dubio, tunc à sepluchro regressæ fuerunt, ut quæ viderint nunciarent discipulis, sicut præcepit Angelus, Matt. 28: 7. Quærunt luctus causam Angeli, haud ignari, sed ut in colloquium se insinuent; fecit idem Iesus, Luc. 24. quærens à discipulis euntibus Emaus. Conqueritur ea de ablato Domino: Dominum vocat, licet mortuum, unde apparet reliqua in corde ejus scintilla fidei: non itaq; de sola unctione corporis illius anxiæ sunt mulieres, sed magis de hujus tragediæ exitu, sperantes adhuc lætum eventum, quocunq; modo id Deus efficiet. Reliquis etiam mulieribus Angelos apparuisse, Matt. autor est, consentiunt cæteri Evangelistæ; An

verò Matiæ facta sit revelatio simul cum alijs, an ante vel post, non exprimunt Evangelistæ: Et quamvis jussæ sint nunciare, quæ viderint, tamen nemini quicquam sunt loquutæ, ait Marcus, Maria Magdalena nunciat, ut dictum est, quæ cum ex Angelorum informatione diceret eum non esse ablatum, sed vivere, tamen non crediderunt discipuli, sed consternati, de hoc rumore, metuunt turbas majores futuras, cum ipsis dabitur culpa, quasi corpus ejus abstulissent, quæ erat suspicio Pontificum apud Pilatum Matt. 27: 64. Plorat Maria propter ablatum Dominum, metuens ne ab inimicis aliquid excogitatum sit, ad majorem contumeliam mortuo inferendam: nec quicquam de resurrectione cogitat, quamvis involucra corporis videat relicta in monumento; quod utiq; factum non fuisset, si corpus abstulissent. Mira in mulieribus stupiditas, & in discipulis, quamvis antea sæpius audivissent eum de resurrectione & morte loquentem: Matt. 16. & 20: 18. sed tum nec hunc sermonem non intellexerunt, ut docet Evangelista Lucas, cap. 18: 34. Tanta est difficultas, & humanæ rationis infirmitas in mysterijs Divinis; cujus est notabile exemplum in Thoma, infra, v: 25.

V. 14. Καὶ ταῦτα. II. Pars cap. habet tres destinctas apparitiones quibus Christus se vivum patefecit, Mariæ primum, deinde duodecim Apostolis, eodem resurrectionis die; iterum tertio Thomæ & Apostolis post octiduum. Iesum primò & ante omnes apparuisse Mariæ Magdalenæ, Marcus autor est, cap. 16: 9. ut & hic Iohannes. Postquam enim collocuta fuit cum Angelis, retrorsum se convertit, reditura sine dubio Ierosolymam, & nunciatura quæ audierit, videt quendam à tergo astantem, quem putat esse hor-

tula-

tulanum; alium enim ſuſpicari non potuit, matutino tempore in horto ambulantem; rogat itaq; ut indicet, ubi corpus domini poſuerit. Ieſum ipſa tunc vidit, ſed non agnovit, poſtea vero à Domino compellata nomine proprio, ipſum agnovit: apertis ſcilicet oculis; ſicut eodem modo detenti ſunt, & aperti oculi diſcipulorum euntium Emaus: Luc. 24. Ut & hinc appareat virtus corporum clarificatorum, & cæcitas noſtra, in myſterio reſurrectionis à mortuis; & quia Ieſum Dominum & magiſtrum agnoſcere non poſſumus, niſi apertis per Sp: ſanctum oculis mentis. 1. Cor. 12:3. *Nemo poteſt dicere dominum Ieſum, niſi per Sp. ſanctum.*

V. 17. Λέγει. Prohibet Dominus; ne ipſum tangat Maria; ſed numne ipſum tetigit Thomas? inf. v. 27. Et Luc. 24:39. *palpate & videte quia Spiritus carnem & oſſa non habet*; Et Matt. 28:9. *Acceſſerunt* (mulieres) *& tenuerunt pedes ejus.* Itaq; tactum corporis ſui non ſimpliciter prohibuit, ſed oſtendit clarificatorum corporum diverſam eſſe rationem: Et ut Theophylactus dicit: *Evexit ejus mentem, ut melius quiddam de ſe ſentiret, majoriq; reverentia ſe obſervaret.* Et Aug. tract. 121. *Noli in me ſic credere quemadmodum adhuc ſapis.* Intellige reverſum eſſe Ieſum in vitam; non ut carnaliter regnet in Iudæa, ſed ut relinquens mundum aſcendat ad Patrem, & ad regnum æternum: oportere itaq; eam, non tantopere carnali converſatione & contrectatione corporis ejus lætari, quam ex reſurrectione ejus à mortuis; ac fruitione beneficiorum quæ paſſione ſua promeruit: Et properare magis, idipſum annunciare diſcipulis, ut & illi lætentur; cæterum non defuturam occaſionem videndi & contrectandi ipſum, quia nondum aſcendit ad Patrem, ut & diſcipulis liceat idem. Et Iohannes in initio ſuæ Epiſtolæ di-

dicit: *Quod manus nostræ contrectaverunt.* Est & hoc consolatione plenum, quod Deum & Patrem suum, eundem dicat esse non solum Deum, justum, veracem & clementem: sed & Patrem propitium & multæ misericordiæ, Christo filio & fidelibus suis communem: ut qui Pater Christi filij per æternam generationem, jam sit pater omnium fidelium per adoptionem credentium, propter mortem, passionem & resurrectionem filij; ad quem tutissimum est fidelibus refugium, in afflictione.

V. 18 Ἔρχεται. Paret itaq, Maria mandato,& nunciat discipulis, quod non solũ Iesum ex mortuis redivivũ viderit, sed etiam insuper cum ipso collocuta fuerit, & mandatum ad discipulos exponit. Illi verò non crediderunt ait Marcus, cap. 16: 11. Sed quæcunq; sive ab Angelis sive mulieribus audiverunt, visa sunt eis ut deliramenta. Luc. 24: 11. Tanta erat difficultas in fide resurrectionis, propter opinionem regni terreni, quæ ex informatione Pharisaica mentibus illorum inhæsit. Apparuit Dominus Mariæ, & mulieribus cæteris in primis, quarum maxima erat infirmitas & tristitia, etiam Simoni ante alios apparuisse eum, Lucas innuit, cap. 24: 34. cujus præ alijs tristitia major erat, propter lapsum gravissimum: & initio paucis apparuit, ut exploraret fidem cæterorum, an fidem præberent vaticinijs suis & Prophetarum, & ut ipsi fidei suæ infirmitatem agnoscerent.

V. 19. ὀψίας. Secunda apparitio viventis Christi, eodem die quo resurrexit, prima scilicet Sabbathi circa vesperam: cum interim aliam revelationem interserat Lucas, cap. 24. factam duobus discipulis euntibus Emaus· qui cum reversi Ierosolymam narrant Apostolis quæ ipsis visa sunt,

&

& audita in via; *Dum hæc loquuntur*, ait Lucas, *ſtetit Ieſus in medio eorum.* Undecim Apoſtolos cogregatos hîc affuiſſe, Lucas ait, cum quiqusdam alijs. Cauſam Iohannes addit hujus congregationis; ſcilicet, quia metuunt, ne quid mali in cædem eorum moliantur Judæi, ſublato jam Domino: jtaq; oſtium clauditur, conſultatur quid facto opus ſit, audiuntur reverſi ab Emaus: hîc cum dubij & conſilij inopes ſeſe diſcipuli excruciant, aſiſtit Ieſus in medio eorũ, & perturbatis conſolationẽ & pacem offert. Orta fuit hæc perturbatio ex infirmitate fidei & ignorantia ſcripturarum, quia officium Meſſiæ & virtutẽ regni ejus non perceperunt adhuc; *nondum enim ſciebant ſcripturam*; ſup. v.9. itaq; credere non potuerunt nunciantibus de reſurrectione: ſed & inſuper erat in illis quædam duritia cordis, ſicut exprobrabat illis Dominus, Mar. 16: 14. Potuit verò in medio eorũ comparere Salvator, clauſis forib⁹ corpore ſcilicet clarificato, & exoluto ab infirmitatib⁹ mortalitatis: itaq; moveri potuit motu ſupernaturali, ſicut Angeli, nemine ſentiente, in momento, corpore alio non obſtante; ut non ſit neceſſe hîc vel ad miraculũ recurrere, quod tamen faciunt ex patribus plurimi; & ſane res mira eſt rationi & inſueta: neq; neceſſe eſt, rimam aut foramen in ædibus imaginari, nâm & eadem ſubtilitate potuit ex monumento exurgere, lapide non obſtante. Sic Apoſtolus clarificata corpora, Chriſti corpori clarificato aſſimilat, 1. Cor. 15: 44. Phil. 3: 21. Et Dominus Angelis ſimiles futuros pronunciat; Luc. 20: 36. Pacem offert timore perculſis, non incertam, ſuſpectam & dubiam, ſicut mundus dat: ſed durabilem & certam, quæ tollit omnem formidinem & perturbationem cordis; ſicut dictum eſt ſupra, c. 14: 27. pacem ſcilicet & reconciliatio-

 nem

nem inter Deum & homines, quam morte promeruit & satisfactione sua: quæ superat omnem sensum: Phil. 4: 7. Et hæc pax lætitiam ineffabilem affert afflictis ac perturbatis, quia ex gratia Dei & merito Christi provenit, & spem affert felicitatis æternæ. Sic pacis supradictæ promissionem repetit ac reipsa præstat, conferens eis pacē adversus impiorum injurias: cujus fructum discipuli in corde sentiunt, & lætitia insigni afficiuntur videntes vulnerum vestigia, corporis ejusdem quod fuit cruci affixum. De his vulnerum vestigijs sic Augustinus, Tractatu 121. *Clavi manus fixerant, lancea latus ejus aperuerat: ubi ad dubitantium corda sananda, vulnerum sunt servata vestigia.* Libera igitur dispensatione id à Domino factum esse, ad confirmandam discipulorū fidem de resurrectione ejus, Patrum & interpretum præcipui docent, & quod in conspectu eorum cibum sumpserit; quod etiam ab Angelis liberè fieri posse docet Augustinus, exemplo hospitum Abraham. Gen. 18. *Possibilitate non necessitate:* De civ. Dei, lib. 13: cap. 22.

V. 21. Εἶπεν οὖν. Eandem salutationem repetit, pacem tribuens, ac missione Apostolorum ministerium novi testamenti instituit, sive supra institutum, & nunc propter mortem ejus collapsum, denuo instaurat: ut intelligant discipuli, non esse abolitum in morte ejus prædicationis officium, sed nunc urgendum esse maxime, propter reportatam victoriam resurrectionis, & partam pacem ac reconciliationem cum Deo. Sic Apostolis restituta est prior ministerij dignitas, & sublata formido hostium; circumscribitur autem officium seu missio ad prædicandum Evangelium, ac limitatur ad exemplum Christi: qui â Patre missus est, non ad gubernationem civilem, ut Rex sit in Judæa,

neq;

neq; ut dominium exerceat in Reges & principes, Regna mutet transferat, distribuat aut dirigat; neq; enim Regnum ejus est ex hoc mundo, sicut ipse fatetur coram Pilato, sup. c. 18: 36. Missionem suam Christus ipse descripsit, Luc. 4: 18. Ex vaticinio Esa. 61: 1. *Spiritus Domini super me, propterea unxit me, ad Evangelizandum pauperibus misit me, sanare contritos corde; prædicare captivis remissionem, & cæcis visum: dimittere contritos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis.* Deus itaq; est autor ministerij Evangelici, & missio Apostolorum Divina: quod etiam Deus ipse comprobavit signis & prodigijs; Mar. 16: 20.

V. 22. Καὶ τȣ̃τ. Deinde ad uberiorem cretitudinem vocationis hujus, sufflando ipsis Sp. sanctum tribuit; ducem & præsidem consiliorum & operis perficiendi. Habuerunt discipuli antea Sp. sanctũ, quia fatebãtur Iesum esse Christũ filium Dei: Matt. 16. Quod non potest facere quisquam, nisi per Sp. sanctum. 1. Cor. 12: 3. Ex eodem Spiritu sperabant eum resurrecturum tertia die ex mortuis: Luc. 24: 21. Sed hac aspiratione tribuit eis peculiaria Sp. sancti dona, ad opus ministerij rite perficiendum, notabili donorum augmento: voluit autem donum hoc externo ritu afflatus hujus ipsis conferre, ut re in sensus incurrente, magis moveantur & confirmentur eorum animi. Legem Deus dedit voce sonora & tonitru ac terræmotu. Exo. 19. Eliæ apparuit in spiritu leni. 3 Reg. 19: 12. Apostolis congregatis dat Spiritum, in lingvis ignitis sive ardentibus. Act. 2. Sacramentorũ beneficia signo seu elemento visibili confert. Jam discipuli dono hoc Spiritus confirmantur & varijs apparitionibus, redduntur animosiores, & augetur in ipsis cognitio vaticiniorum, sicut apparet in Petro, qui vaticinium

Davidis, Pſ. 69: 27. & 109: 9. novit ad Iudam proditorem accommodare. Act. 1: 10.

V. 23. Ἄν τινων. Tertio clavium poteſtatem renovat & confirmat, omnibus diſcipulis, quam eis ſupra contulit, Matt. 16. ne quis exiſtimet ſoli Petro eam competere; Eccleſiæ univerſæ hanc poteſtatem contulit; Matt. 18: 15. Hic vero miniſtris, itaq; quamvis hæc poteſtas Eccleſiæ ſit collata à Domino, potiſſima tamen pars in ejus uſu miniſtris competit: ſic Paulus præfuit excommunicationi inceſtuoſi Corinthij. 1. Cor. 5. Alexandri & Hymenai. 1. Tim. 1: 20. Objectum circa quod clavium uſus & poteſtas verſatur, eſt in remittendis aut retinendis peccatis; finem Paulus exprimit: *Ut ſpiritus ſalvus fiat*, 1. Cor. 5: 4. Conſcientias itaq; afficit non corpora, neq; etiam res civiles curat: ſed contriſtatos ſenſu peccati & iræ Divinæ, conſolatur & abſolvit; contummaces ligat, ut à peccato abſterreat. Efficax eſt vero hæc adminiſtratio poteſtatis Eccleſiaſticæ, ex verbo hoc inſtitutionis Chriſti; ut etiam Deus in cœlis eam cnmprobet Mat. 16: 19. 18: 18. Quia autem hujus poteſtatis finis ultimns eſt, pax conſcientiarum, Dei gloria & ſalus hominum, itaq; quicquid ad hunc non dirigitur, abeſſe debet ab hujus poteſtatis uſu.

V. 24. Θωμᾶς. Tertia apparitio Thomæ facta in diſcipulorum præſentia; cujus pars prior, Thomæ horribilem cæcitatem & contumaciam demonſtrat; altera converſionem. Patria Thomæ non notatur ab Evangeliſtis, infra capite 21: 2. dicitur cum reliquis fuiſſe ad mare Tyberiadis: unde putatur à nonnullis fuiſſe Gallilæus; verum an hæc ſit cauſa; an juxta promiſſionem Chriſti, Matt, 26: 32. expectaverit cum cæteris apparitionem ulteriorem, incertum

tum eſt, Ieſus enim dum viveret frequenter verſabatur in Galilæa, circa mare Tyberiadis. Didymus erat, hoc eſt gemellus, ut Iacob & Eſau. In affectibus natura præceps, ut patet ſup. cap. 14: 5. & cap. 11: 16. Prædicaſſe eum in Parthia, Media, Perſia, Hyrcania, & India, referunt Euſeb. lib: 3. cap. 1. & Hieronymus in catalogo. Conſentit Dorotheus docetq́, occiſum & ſepultum Calaminæ, civitate Indiæ. Nimia timiditas Thomæ videtur hujus incredulitatis cauſa fuiſſe: fugit enim nec auſus erat ſe reliquis adjungere, qui congregati præcibus & pijs colloquijs ſe mutuo confortarunt, cum interim Thomas abſens, neq; apparitiones mulieribus factas, audivit, nec Chriſtum vidit. Auget itaq; cæcitatem & diffidentiam abſentia è cœtu fidelium: Alia enim judicia audiviſſe Thomam de reſurectione Chriſti, à promiſcua multitudine, Eventus oſtendit, ideo in tantam cordis duritiam incidit, ut diſcipulis nunciantibus, fidem non habuerit, tot ſcilicet teſtibus, fide dignis; unde patet Thomam fidem & ſpem omnem de reſurrectione Chriſti amiſiſſe. Non eſt dubium omnia egiſſe Apoſtolos ut Thomæ perſuaderent, narraſſe quæ nunciabant mulieres, quod ipſi viderint Chriſtum vivum, vulnera manuum & lateris, loquentem audiverint, mandata acceperint: Thomas autem rationem ſequutus, & ſententiam vulgi, in teſtificationem diſcipulorum Chriſti non conſentit. Unde apparet quanta ſit humanæ mentis cæcitas cum revelationes Divinas, ſcripturas & promiſſiones deſerit, ac verbo prædicato fidem derogat. Hæc annotari voluit, in ſcripturis, Sp. ſanctus, aliosq; ſanctorum lapſus & infirmitates, ac reſipiſcentiam, ut eorum exemplo, infirmitatem agnoſcere, & à peccatis reſurgere diſcamus; conſiderantes damnationis æ-

ternæ periculum, in quod hæsitantes præcipitat incredulitas: & quantum prosit ad fidem salvificam testificatio humana. Non potuit Thomas suo ductu ad fidem redire, nisi eum Dominus sua gratia peculiari dignatus fuisset: est enim id homini impossibile, ut docet Apostolus. Heb. 10:26. & cap. 6: 4. Sic non potuit Thomas nisi eum dominus peculiari gratia prævenisset.

V. 26. Καὶ μεθ' ἡμέρας. Altera pars hujus apparitionis, revocatio Thomæ ad fidem: Iesus amore suorum & cura peculiari de salute Thomæ motus, ei apparet, vivum se ostendit, & voluntati ejus sese accomodat, ostendens vulnerum vestigia, ex libera dispensatione, ut supra dictum est. Unius hominis cura tangitur & afficitur; sicut pastor ovis deperditæ: Luc. 15: 4: non enim vult aliquem perire. 2. Pet. 3: 9. Thomas amplius non reluctatur, sed Iesum Dominum & Deum confitetur, sensu & αὐτοψίᾳ convictus. *Noli esse incredulus, sed fidelis.* Reprehendit Dominus modica castigatione Thomam, ne tenella ejus fides, duriore castigatione extingvatur: Esa. 50: 4. *Dedit mihi Dominus lingvam eruditam, ut noverim loqui cum defessis tempestive* &c. *Lychnum fumigantem non extinguet.* Esa. 42: 3. voluit autem Thomam, sicut cæteros Apostolos, acquiescere in fide testificantium de resurrectione ejus; vel si ea non sufficere visa sit, recurrendum erat ad vaticinia & verbum promissionis, Matt. 16. 21. & 26: 32. quo etiam eos remittit Angelus Matt. 28: 7. Acrius etiam reprehendit discipulos euntes in Emaus. Luc. 24: 25. Congregatos: Marc. 16: 14. Potuisset Dominus Thomã juste relinquere in incredulitate aut ante octavum diem ex vita evocare; misericordia tamen motus ipsum revocat, dat occasionem discipulis cum ipso colloquendi, ut nuper acce-

acceptam resurrectionis fidem exerceant, cum Thomas interim in incredulitate persistit. Fidem tamen ea conditione pollicetur, si ipse ut cæteri clavorum & lanceæ vestigia videat & attrectet: huic ejus infirmitati Salvator condescendit, & se ad voluntatem, ejus clementi affectu accommodat, eumq; ex his carnis & diaboli tentationibus eripit. 1. Ne quis ex illis periret, ut supra dictum est, cap. 17: 12. 2. ut offensio & scandalum ex contumacia Thomæ, reliquos discipulos non infirmaret. 3. Ne sibi gratulentur inimici ex defectione Apostolorum, qui erant inter sectatores ejus præcipui. 4. ut intelligant fideles fidem esse donũ Dei, & damnationis periculo non carere, si recedatur à verbo revelato, & à congregatione ac cætu fidelium. Confitetur Thomas Iesum Dominum suum, & Deum suum, Messiam Dei filium & Salvatorem, itaq; hac illuminatione reducitur ad fidem priorem, quam cum Petro professus erat, Matt. cap. 16: 16. Et demum intelligit non solum fidei initium esse Dei donum, sed etiam perseverantiam. *Ipse enim operatur in nobis velle & perficere, pro bona voluntate sua.* Phil. 2: 13.

V. 29. λέγει. Thomæ exemplo Dominus ostendit, quanta sit temeritas eorum, qui relicto verbo, sensus & experientiam sequuntur: dicitur ea stultorum magistra, qui moniti non credunt antequam experiantur. Ideo eos beatos pronuntiat qui verbo fidem adhibent, quorum etiam fidem fidei Thomæ anteponit & præfert. Sic hodierno die Christum oculis corporis non videmus neq; miracula, nec passionem aut resurrectionem, credimus tamen verbo veteris & novi testamenti; & fide comprehendimus; sic Abraham dicitur vidisse diem Domini Iesu: sup. cap. 8. Et

ideo

ideo pater credentium ab Apoſtolo nominatur. Rom: 4: 11. Thomas itaq; damnationis æternæ periculo vicinus, per fidem eripitur, & fidelium ſocietati conjungitur ac ſalvatur, quæ eſt fidei operatio admirabilis & ſalutifera. Et cum beatos pronunciet Chriſtus eos, qui eum oculis viderunt, idq; probat ex deſiderio patrum & Prophetarum, Luc. 10:23. tamen ea viſio ſine fide nihil confert ad ſalutem, plurimi enim ex Judæis & gentibus eum viderunt & non ſunt ſalvati. Magis autem dat gloriam Deo, qui verbo fidem adhibet, quam ſi etiam viſio accedat, itaq; hos præ illis beatos Chriſtus judicat. ſocios hi patres habent & Prophetas, qui verbo promiſſionis contenti acquieverunt. Nos præter promiſſiones & vaticinia, etiam rei geſtæ hiſtoriam habemus, cum promiſſione completa.

V. 30. Πολλά. Concluſio hiſtoriæ, de apparationibus Chriſti poſt reſurrectionem, quam ſi cum clauſula capitis ſequentis conjungas, continet ea propoſitionem & ſcopum totius Evangelii & ſimul etiam concluſionem. Non dubium eſt feciſſe Ieſum ſigna plura, ſi miracula ſpectemus quam vel à Iohanne vel ab alijs Evangeliſtis deſcripta ſint, non ſolum ante, ſed etiam poſt reſurrectionem. Nam de his quæ initio prædicationis fiebant ſummatim ſic loquitur Matthæus Evangeliſta cap. 4: 23. *Et circuibat Ieſus totam Galilæam docens - & ſanans omnem languorem & omnem infirmitatem in populo.* Luc. 6: 19. Poſt reſurrectionem Petro apparuit, Luc. 24: 34. Et Jacobo: 1. Cor. 15: 7. Et alijs ſine dubio ſæpius; quia per quadraginta dies cum illis converſatus erat, multa loquutus de regno Dei, Act. 1: 3, Theophylactus ideo hæc verba ad apparitiones poſt reſurrectionem refert, quia dicuntur ſigna hæc facta in conſpectu diſci-

ſcipulorum, qui futuri erant teſtes reſurrectionis, ejus per orbem.

V. 31. Ταῦτα. Sufficere tamen, ait Evangeliſta, hæc ad faciendam fidem reſurrectionis, mortis, paſſionis: & quod Chriſtus ſit filius Dei, quia potuit mortem vincere, Divina ſua virtute à mortuis reſurgere. His ſimilia nemo unquã miracula fecit, ipſe vero ſe Meſſiam promiſſum declaravit, ſecundum ſcripturas: ut qui in ipſum credunt, vitam æternam habeant in nomine ejus.

CAP. XXI.

Duabus partibus hoc caput abſolvitur; apparitione & miraculis factis ad litus Tyberiadis; deinde, ſermone cum Petro & vaticinio de morte ejus. Concluſioni ſuperioris capitis addidit Iohannes, Ieſũ multa alia ſigna feciſſe coram diſcipulis, quam quæ vel ab ipſo vel ab alijs Evangeliſtis ſint deſcripta: itaq; pro exemplo hanc revelationem adjicit, primam ſcilicet inter has quæ factæ ſunt in Galilæa. Revocat in memoriam mulieribus Angelus, Matt. 28: 7. promiſſionem Domini quæ extat Mart. 26: 32, de illuſtri revelatione futura in Galilæa, in conſpectu multitudinis fidelium; quæ ſine dubio eſt ea, de qua loquitur Paulus, 1. Cor. 15: 6. Ad hanc apparitionem etiam diſcipulos remittit Chriſtus ipſe, Matt. 28: 9. per mulieres denuncians, & præcipiens eis, ut eant in Galilæam, viſuri ipſum, ſicut promiſit. Diſcipuli autem peracto feſto, poſt acceptas apparitiones nonnullas Ieroſolymis & in Judæa, mandato obtemperantes, pergunt in Galilæam patriam & loca conſveta, ubi major ſperabatur ſecuritas. Voluit Evangeliſta ſeorſim tradere hanc apparitionem in Galilæa factam: nam &

alteram illam illuſtrem in monte factam, deſcripſit Matthæus, cap. 28. Nam & montem, locumq́; à Chriſto deſignatum fuiſſe oſtendit, cap. 28: 16. Et ad locum properaſſe diſcipulos. Hæc autem apparitio quæ facta erat in conſpectu ſeptem diſcipulorum, quos hic enumerat, circa mare Tybeiadis, in noto litore contigit, ubi diſcipuli fugientes otium, neceſſaria ad victum quærunt & ad opus conſuetum redeunt. Perturbatio quæ incidit in morte Chriſti, fideles perterruit & auditores, qui antea ſuppeditarunt neceſſaria diſcipulis docentibus Euangelium, juxta ordinationem Chriſti, Matt, 10: 10. ideoq́, nec Apoſtoli docere auſi ſunt, nec à Galilæis admittebantur, Herodis metu, qui Ieſum ejusq́; doctrinam non recepit. Sperant tamen diſcipuli horum malorum medicinam, cum apperebit Dominus juxta promiſſionem datam. Mare Tyberiadis dicebatur litus vicinum Tyberiadi civitati, quam in honorem Tyberij Herodes extruxit. Dicitur alias mare Galilææ, mare ſive lacus Genezareth; Cinnereth lacus dicitur, Ioſ. 19: 31. Num. 34: 11. tria millaria in longitudine continet, à Capernaum ad Salim, ubi baptizabat Iohannes: Ioh. 3: 23. perfluit hunc lacum Iordanis fluvius, qui à libano monte in Aſphaltiten excurrit. Lacus celebris ob piſcium copiam, & civitates frequentes circa eum; maxime vero propter prædicationem & miracula Chriſti, & quæ circa hunc lacũ geſta Evangeliſtæ comemorant. Septem erant ſimul diſcipuli, Galilæi pleriq́; quorum nomina hic recenſet Euangeliſta: in maxima ſiquidem perturbatione conſultum viſum fuit, ut conjuncti plures ſibi mutuo ſolatio adeſſent, quod etiam ſignũ erat mutuæ concordiæ ac fidelitatis, fideiq; adhuc reliquæ.

V. 3. Λεγει. Petrus inter alios ſenior & negotioſus, de

otio

otio fugiendo & honeſta ratione victus acquirendi cæteris dat conſilium. Cæteris non imperat, ſuum conſilium exponit, ipſis quid facere velint, liberum reliquit. Infirmitas eſt diſcipulorum relicto docendi officio ipſis demandato, Matt. 10. Et à Chriſto confirmato iterata miſſione, ſup. cap. 20: 21 aliud vitæ genus arripiunt, itaq; ſucceſſu caruit opus, & per totam noctem fruſtra laborant. Laudanda tamen concordia, & obtemperandi promptitudo, honeſta ſuadenti, in cæteris, & quia illicita non agunt, laborem non fugiunt; nec fiunt conſilij expertes, nec piſcandi opus ignobile judicant ſibi, qui à ſpe regni terreni nuper exciderunt. Domi ſuæ fuiſſe tunc Petrum veriſimile eſt, & cum eo cæteros ad Capernaum aut oppoſitam Bethſaida, Philippi patriã, & Petri, Joh. 1: 44. unde inſtrumenta operi neceſſaria acquirunt: Apparet Deo dirigente operis ſui fructu privatos Apoſtolos, ut intelligant ſe opus ad quod ordinati erant, non licire relinquere: deinde, ut illuſtrius reddatur miraculum, & quia omnium actionum finis præcipuus, eſt Dei gloria: tertio ut eſſet typus ſucceſſus in prædicationis officio, in quo magna ſemper eſt varietas, propter occurentes difficultates.

V. 4. Πρωΐας. Apparitio deſcribitur: apparuit prout voluit, ita tamen ne noſceretur, ſicut Luc: 24. Non enim patent ſenſui carnalium oculorum, clarificata corpora, niſi quatenus velint; ſicut Luc. 24: 16. oculi ipſorum detinebantur, qui poſtea v. 31. aperti ſunt, ut cognoſcerent eum. Sic Ieſus ad arbitrium voluntatis ſuæ, modo ad ſepulchrum, modo in via, mox Ieroſolymis, nunc in Galilæa diſcipulis apparet, oculos eorum ad placitum detinet & aperit: facit omnia, ut eos in fide reſurrectionis confirmet.

V. 5. *Λέγει οὖν.* Blanda & familiari voce eos compellat, ut homo amicus, & de eorum utilitate ſollicitus: quærit an aliquid obſonij in promptu habeant; quaſi miſeratione motus fatigationis eorum & laboris irriti. Apparet hîc affuiſſe illis rerum & actionum omnium moderatorem, in adverſa fortuna, curam eorum agentem: Sicut Luc. cap. 5: 5. qui hanc afflictionem eorum, majore felitate compenſare conſtituit; *facit enim cum tentatione eventum talem, ut ferre poſſint:* 1. Cor. 10: 13. Deinde ut intelligant fructus & ſucceſſum laborum in manu Domini eſſe non in arbitrio hominum. *Cor hominis diſponit viam ſuam, ſed Dominus dirigit greſſus ejus.* prov. 16: 9. *Vanum eſt ante lucem ſurgere, ac ſero cubitum ire, & veſci pane ſuo cum ſollicitudine, dat enim amicis ſuis dormientibus.* Pſ. 127. Jubet ad dexteram navigij rete projicere; ſpemq; melioris fortunæ injicit anxijs: illi quia putant homini cognita, loca maris, capiendis piſcibus apta, obtemperant & explorant. Concluditur autem piſcium copia incredibilis & inſueta, quam ipſi admirati & in ſtuporem verſi, quid rei ſit ſecum diſpiciunt; vident enim naturaliter id fieri non potuiſſe.

V. 7. *Λέγει.* Iohannes igitur inter cæteros ſagaciſſimus, Dominum agnoſcit, qui prius laboribus eorum benedixit ſimili piſcium captura, qui fluctus compeſcuit, qui ſuper mare ambulavit; qui hoc miraculo ſe redivivum declaravit, ſicut ſimilibus ſupra oſtendit ſe eſſe Meſſiam promiſſum & natura Deum; neq; morte jam poteſtatem ejus eſſe imminutam. Laudabilis eſt conſtantia diſcipulorum & in moleſto labore preſeverantia, quam ſequitur Divina benedictio, notanda & imitanda his, qui labores fugiunt, & minima difficultate territi opus deſerunt; haud memo-

res

res ordinationis Divinæ; Gen. 3: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Nec eſſe deſperandum, quamvis initium grave ſit. Petrus ſuperinjecta veſte, ſe proijcit in mare. ἔβαλεν ἑαυτὸν εἰς τὴν θάλασσαν. (dictio ipſa oſtendit ipſum in aquas ſe conjeciſſe, non ambulaſſe ſuper mare, ſicut Mart. 14:29.) ut vado in litus tranſiret, vel natando contenderet. ἐπενδύτην, veſtem illá ſuperinjectam Evangeliſta nominat, Suidas induſium interpetatur: Theophylactus *linteum* fuiſſe dicit, *quo Phœnices & Syri piſcatores uſi ſunt, ſive nudi eſſent ſive veſtiti, hoc ſuper imponentes.* Verecundia hæc fuit Petri, ac erga magiſtrum reverentia: fervor etiam & feſtinatio, ſicut cum ad ſepulchrum accurrit, ſup. c. 2: 4. ut ipſe primus ad eum perveniat, & amorem declaret. Magna erat tempore paſſionis Chriſti, pervicacia in Petro, audacia & præpoſteri amoris impetus, magna deinde formido & abjectio animi, cum Dominum perjurio negaret: jam ut fidei ac dilectionis ſinceritatem declaret cæteros antevertit, oſtendens ſe minus de piſcibus & temporali commoditate eſſe ſollicitum, quam de gratia Domini, in quem prius graviſſime deliquit. Tanta eſt humani ingenij varietas, ſecundum circumſtantias, & varietates temporum ac fortunæ.

V. 8. Οἱ δὲ. Cæteri Petrum non impediunt, nec ſtudium improbant, ſed quia non longe abſunt à litore, retia, piſces ac naviculam curant, ut commoda fortunæ oblatæ percipiant, cum gaudio, & gratiarum actione; neq; enim negligenda erant ea, quæ ipſis Dominus in ſubſidium vitæ præbuit: quod itidem Ieſus poſtea approbat v. 10. jubens afferre piſces nuper captos, πλοιάριον, navicula; ſupra πλοῖον dicit, non poſſunt enim navi grandiore ad litus penetrare, impediente vado. Typus adminiſtrationis

Ecclesiasticæ, ubi singuli quæ sua sunt curant. Act. 6. Apostoli orationem curant & ministerium verbi, Diaconi quæ ad mensam.

V. 9. Ὡς οὖν. Alio miraculo discipuli confirmantur, vident paratum sibi cibum à Domino, panem & piscem, & prunas ad præparationem captorum piscium. Ἀνθρακίαν appellat Evangelista ignem ex prunis accensum, sup. cap. 18: 18. sufficientem ut ad hunc calefiant servi Pontificis. Erat itaq; & hic prunarum copia, piscum præparationi sufficiens. Providit hæc bona discipulis, laborantibus Dominus, ut appareat ex benedictione Divina fructum laboris nostri provenire, quæ nisi adsit, omnis conatus & labor irritus est. Deinde, ut hoc exemplo erigantur in spem felicis successus, in opere prædicationis, quamvis cogantur sæpius laborare frustra; sæpè occurrant difficultates & obstacula gravia, labor tamen eorum non erit inanis in Domino, 1. Cor. 15: 58. Discipuli duro labore afflicti, Christum præsentem sentiunt, cum minime sperarent: cum gaudio & maximo suo commodo: Prope enim est, sicut promisit: Matt. 18: 20. Ita & nunc servabit quod fidelibus promisit; eritq; nobiscum *usq; ad consummationem seculi.* Matt. 28: 20. *Non enim longe abest ab uno quoq; nostrum.* Act. 17: 27. *Scit infirmitatem nostram.* Ps. 103: 14. Heb. 4: 15.

V. 10. Λέγει. Iubet eos uti bonis acquisitis, quæ utilitati eorum destinavit, quod etiã faciunt discipuli in conspectu Domini, cum reverentia & timore ac gratiarum actione.

V. 11. Ἀνέβη. Numerum magnum magnorum piscium Evangelista describit, ut beneficium egentibus discipulis præstitum, & miraculi magnitudinem ostendat & amplificet. Accedit & tertium miraculum, robur reti additum, ad

ad continendum tantum piſcium pondus, cum alias naturali virtuti id fuiſſet impoſſibile. Numerum piſcium recenſet Evangeliſta, ad amplificandum miraculum tantum: & fallax eſt conjectura, qua nonnulli hunc numerum ad ſequentium temporum periodos accommodant.

V. 12. Λέγει Ad menſam vocat, quaſi qui & cibum præbuit, & ſimul veſci voluit; ἀριςίζω. Ientaculum ſive prandium præbeo. Cibum acceptum Chriſtus diſtribuit, aſſidet, & una veſcitur, ſicut indicat Petrus, Act. 10: 41. *Nemo auſus fuit quærere*: quod & ſi dubitationem diſcipulorum ſignificare alicui videatur quaſi conſternatis, & perturbatis ipſis rerum novitate, ac dubijs quid ſentire debeant: aliud tamen ſine dubio intendit Evangeliſta, cum dicit ſciviſſe diſcipulos quis eſſet. De quibus verbis Aug. tract. 123. *Tanta erat evidentia veritatis, quia Ieſus illis diſcipulis apparebat ut eorum non ſolum negare, ſed nec dubitare quidem ullus auderet.* Sic Dominus Ieſus diſcipulis timidis oportune aſſiſtit, laborantibus ſuccurrit, quid facere oporteat oſtendit, victum præbet; & quod præcipuum eſt, in fide reſurrectionis confirmat. *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies*: Pſ. 51. *Oculi omnium in te ſperant.* Pſ. 145: 15: Sic etiam Petrus Deo gratias agit; *qui regeneravit nos in ſpem vivam, per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis.* 1. Pet. 1: 1.

V. 14. Τῦτο. Hac tertia vice Ieſus ſe manifeſtavit diſcipulis, ſcilicet pluribus ſimul. 1. die reſurrectionis circa veſperam. 2. Octavo poſt die, præſente Thoma. 3. Hic ad litus Tiberiadis: nam alias, mulieribus, Petro, Jacobo, & duobus euntibus Emaus ſe manifeſtavit, ut ſupra dictum eſt initio capitis præcedentis, & ad v. 20 ejusdem. & in monte Galilææ. Matt. 28: 16. Et cum Aſcenderet in Cœlum: Mar. 16. Act. 1. Et alias ſæpius, ſicut indicat Evangeliſta in fine

fine hujus & præcedentis capitis. *Cum præbuit seipsum vivum, post passionem suam, multis documentis* [τεκμηρίοις] *per dies quadraginta; apparens eis ac loquens de regno Dei : & convescens.* Act. 1:3.

V. 15. Ὅτε οὖν. II. Pars cap. Continet colloquium Christi cum Petro, cui subjungit Euangelista hujus historiæ conclusionem. Tempus colloquij, post sumptum cibum; scilicet, ne frustra apparuerit, sine aliqua gravj exhortatione aut necessaria informarione, ut antea consuevit. In 1. apparitione discipulos in Euangelicæ prædicationis munere confirmat. in 2. Thomam incredulum convertit. Nunc Petrum speciali gratia solatur, qui Dominum impia abnegatione offendit, & condiscipulis scandalum maximum præbuit; hoc enim egit suis apparitionibus Dominus Iesus præcipue, ut in fide resurrectionis suæ eos confirmaret primum; deinde ut in rebus necessarijs ad fidem & prædicationem Euangelij instrueret, errores eximeret, errantes revocaret, timidos erigeret, in officio ad quod vocati erant stabiliret: Quærit itaq; à Petro: Simon Iona, diligis me, plus cæteris? Ionæ filius erat Petrus, itaq; Bar Iona dicitur, voce Syriaea, Matt, 16:17. Occasionem accepit Salvator, ex festinatione Petri, qui aquis se immersit, ut ante alios ad Iesum perveninet, hoc ipso declarans vehementiam amoris, majorem quam in alijs. Itaque præ alijs interrogatur Petrus, an Dominum diligat? quem gravissime licet abnegatione sua offendisset, tamen ipsum ante alios hac gratia dignatus est, Iesus, eiq; ante alios apparuit, ut dictum est; plus itaq; diligere oportuit eum, cui majus delictum erat condonatum: sicut ad Simonem Phariseum loquitur de muliere peccatrice, Luc. 7:40. Petrus affirmat, verè

se

se Iesum diligere, sicut etiam id ipsum gestibus declaravit; non simulate, sed sincerè: provocat autem ad omniscientiā Christi, qui corda scrutatur, & novit omnia; cum sit Deus. Hac confessione Petri audita, oves suas pascendas ei commendat; hoc est, ecclesiæ suæ curam & informationem, in munere Apostolico: idq; ut certus sit Petrus, se in gratiam receptum à Domino: & pristinæ dignitati Apostolicæ restitutum. Dicit Petrus, *Scis Domine, quia amo te*, non verò addit responsionem ad alteram partem quæstionis, *plus cæteris*: modestè enim nunc Petrus de se sentit, nec audet se alijs præferre, sicut antea; Matt, 26: 33. Nam quid potuerit suis veribus efficere, expertus est in atrio Caiphæ: sic præcedens tentatio Petrum humilem ac mansvetum reddidit. Repetit quæstionem Iesus, & denuo quærit eodem modo sicut antea. Respondet itidem Dominus, sed Paulo aliter: cum enim antea dixisset *βόσκε τὰ ἀρνία* quod simpliciter pascere significat, seu alimentū præbere, nunc subjicit pro responsione *ποίμαινε τὰ πρόβατα.* Agnos pascere, hoc est, pueros, simplices, rudes erudire, minores habet difficultates; sed oves, hoc est, adultos, rigidos, ambitiosos, inquietos regere, plus præbet negocij & laboris: quo alludit Apostolus Heb. 5: 11. 1. Cor. 3: 2. Nam *ποιμαίνειν*, præter pabulum, etiam reliquam pastoralis officij curam complectitur, quod est regere, dirigere, gubernare, præesse, hortari, castigare, exemplo præire. Act. 20: 28. 1. Pet. 1: 2. Et ut velint homines potentes & honorati nonnulli, sese ex hac ministerii sacri inspectione, directione aut gubernatione eximere, & ad doctrinam ac sacramentorum destributionem verbi ministros simpliciter astringere: noverint tamen, Christum Dominum distinctionem posuisse inter

gubernationem civilem & Ecclesiasticam; cum ait, *vos autem non sic.* Luc. 22: 25. id, est non gladio & vi externa; non tamen omnem potestatem adimit, sicut Paulus sibi datam potestatam declarat, & in virga se ad eos venturũ minatur, 1. Cor. 4: 21. Et potestatem de qua loquitur in eos exerit, cap. 5: 3. Sic 2. Cor. cap. 13. easdem in impios minas profert; *Prædixi*, ait, *& prædico, ut præsens, & nunc absens, iis qui ante peccaverunt, & cæteris omnibus, quoniam si venero iterum non parcam.* Siquidem ποιμαίνειν vox, interdum simpliciter gubernare significat, ut Apoc. 12: 5 cap. 19: 15. Nusquam tamen in scripturis, civilem gubernationem ministris tribuit, sed Ecclesiasticam solum, & eam quæ ad doctrinam, sanctimoniam vitæ, morum, ac rituum directionem spectat: & eam quæ in clavium potestate consistit.

V. 17. λέγει. Contristatur Petrus ad tertiam quæstionis ejusdem repetitionem, veritus ne ei exprobraret Dominus inconstantiam, qui quæ antea magnificè promisit, non servavit; urget itaq: ipsum metus & pudor, & prioris infirmitatis conscientia; itaq; jam denuo amoris sui sincerum studium refert ad omniscientiam Christi Domini Divinam, cui omnia sunt cognita, se nihil insolenter ut antea, nihil temere aut fucate, sed ex simpilicitate cordis agere ostendit. Cyrill. lib. 12. in Iohanem. cap. 44. *Quoniam ter in tempore passionis negavit, jure nunc ab eo terna confessio petitur.* Aug. tract. 123. *Redditur negationi trinæ trina confessio, ne minus amori serviat lingua, quam timori.* Hinc apparet vanitas paradoxi papistici, qui huic loco superstruunt Papæ dominium, & jus utriusq; gladij, sicut etiam primatum Petri in Apostolos cæteros, & in universam Ecclesiam; & ideo Papæ, ut successori Petri, tribuunt potestatem & do-

minium in Reges & populos, non ſolum Eccleſiaſticam, in religionem & dogmata, ſcripturarum interpretatio nem, articulos fidei, conſtitutiones ac ritus: ſed etiam externam, in Regnis mundis mutandis: Regibus conſtituendis, confirmandis, deponendis: ferendis legibus & abrogandi, vectigalibus imponendis. Quæ quam bene ad hoc principium quadrent, omnes vident. Petrum Romæ ſupplicio affectum hiſtoriæ referunt; ſed epiſcopum fuiſſe Romanum probari non poteſt, multo minus annis 25. ibi reſediſſe. Si enim Paulus primo vel ſecundo anno ab aſcenſione Chriſti converſus, triennio docuit in Syria, & iterũ poſt annos quatuordecim vidit Petrum Ieroſolymis, & inter eos ſic convenit ut Petrus apud Iudæos Evangelizaret ipſe inter gentes. Non erat itaq; Petrus Romæ anno Chriſti 50. venit deinde Antiochiam; ſicut hæc omnia refert Paulus ad Gal. cap. 1. & 2. ubi ſi aliquandiu moratus fuit, emergunt anni 77. aut forte 80. Annus ſcilicet veſpaſiani, 10. Cum tamen Petrum ſub Nerone ſupplicio affectum, anno ſcilicet Nerronis 13. Baronius & Papiſtæ affirment: qui fuit annus Chriſti 65. Epiphanius tamen Petri & Pauli obitũ in duodecimum annũ Neronis refert, Tomo. 11. lib. 1. de hæreſibus; hæreſ. 27: Non potuit itaq; Petrus Romanæ Eccleſiæ præeſſe annis 25. Deinde, non ſoli Petro Chriſtus eccleſiæ curam commiſit, ſed Apoſtolis omnibus ſimul. Matt. 28: 19. Unam omnibus poſteſtatem contulit, promiſſionem dedit eandem: Primatum ſuſtulit. Matt. 20: 26. *Qui voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter: & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus.* Sic Luc. 22: 26. Hoc loco Petrum ſolum compellat & cum ipſo loquitur, verum eſt: ſed probandum erat, Petro in hoc colloquio poteſtatem peculiarem fuiſſe collatam, quæ alijs non com-

petit, aut quæ cæterorum poteſtate ſit ſuperior, aut in ipſos & Eccleſiam univerſam dominium tale, quale ſibi tribuit Romanus Pontifex, ut nemo ei dicere audeat quid facis? Contra ex cap. ſecundo Epiſt. ad Galat. patet, Paulum reſtitiſſe Petro in faciem, coram omnibus, hoc eſt, in conſpectu Eccleſiæ Antiochenæ. Et quamvis hoc nomine Paulum reprehendit Hieronymus, quaſi & ipſe ſimiliter erraſſet, Petrum autem injuſte redarguerit, oſtendit tamen evidentiſſimis rationibus Auguſtinus, recte id factum eſſe à Paulo, Ep. 19. Ne Iudæi ex neceſſitare legem ſervare putarentur; & Gentes Iudaizarent, hoc eſt, ſine obſervatione legis crederent ſe ſalvari non poſſe: ac neceſſitas poneretur in re libera. Voluit itaq; Dominus Ieſus Petrum crebra hac compellatione, certum facere, peccatum abnegationis præcedentis ipſi eſſe remiſſum, eum receptum eſſe in gratiam, ac plene reſtitutum ad officium prædicationis & Apoſtolatus: qua conſolatione opus habuit Petrus, ſummopere anxius de peccato admiſſo,. Dedit ergo hoc colloquio operam Salvator, ne quis periret ex his, qui ei dati fuerunt à Patre: Joh. 17: 12. & ut Petrus ſufficienter confirmaretur in fide, non ſolum reſurrectionis, ſed etiam officij, ad quod antea vocatus erat à Domino, nec deinceps de gratia & auxilio Divino deſperaret.

V. 18. *Ἀμὴν.* Secunda pars colloquii cũ Petro; vaticinium Chriſti de martyrio Petri, & morte violenta quã perferre debebat, ad obſignandã fidẽ quam prædicabat. Jubet ut Petrus abolitis cogitationibus ac temeritate juvenili, incipiat de gravioribus cogitare in poſterũ, nã ut fit in Eccleſiæ miniſterio, creſcente ætate, augentur curæ, labores ut plurimũ non minuũntur ſed augentur, ætas ingraveſcit, accumula-

la-

latur sollicitudo Ecclesiarũ, officij, familiæ, sollicitant æmulationes, & odia malevolorum, contraria impiorum studia, tandem etiam exitus è vita haud parum fideles afficit, qui ut perturbatione careat, longa præparatione opus habet. Hac igitur necessaria admonitione Petrum Dominus instruit, *significans qua morte clarificaturus esset Deum:* sicut id Evangelista explicat. Mortis genus describit; extendes inquit manus, ligandus ab impijs apparitoribus, cruci affigendus, cum ad supplicium mortis ductus manus cruci affigendas extendere cogetur, etiã invitus. Et quamvis existimandũ est, Petrũ sicut Apostolos & martyres sponte se obtulisse ad morté, & lætatos, quod hæc tã ignominiosa perferre liceat pro Dei gloria; Act. 5: 40. tamen naturali horrore omnes afficiuntur, imminente morte; itaq; dicitur Petrus duci quo non vult. Addit & hoc Iesus, in senectute debere id contingere Petro: ut intelligat, multum ei superesse temporis ad prædicandum Evangelium, & quod spatium habeat satis longum, ut possit se parare ad mortem. Voluit Christus salvator hæc gravia discipulis ferenda imponere, ut eorum admirabili constantia Evangelij doctrina redderetur illustrior; fideles confirmarentur, permoverentur increduli, ad recipiendã fidem, certitudo & veritas Evangelij, ac testificationis de miraculis & resurrectione Christi mundo innotesceret, & ut detur gloria Christo, qui pro nobis mortem pertulit. Exemplum etiam extare voluit Christus Salvator, ut & nos forti animo perferamus pericula, &, si Deus voluerit, mortem etiam, ad testificandam fidem nostrã: nec terreamur adversis aut periculis. Deus enim qui robur addidit animo Petri, ut perferre potuerit, addet & nobis per eundem spiritum, si

juxta exhortationem Apoſtoli, 1. Pet. 2: 21. Chriſti & ſanctorum martyrum veſtigijs inſiſtamus. Huc ſpectat exhortatio Apoſtolica, Heb. 12. & exempla ex veteri teſtamento allata cap. 11. Er promiſſio Chriſti, qua promiſit ſe daturum nobis quicquid petierimus, ſup. c. 16. 23. Et quia vicit mundum. ibidem v: 33. Nec terminatur illa promiſſio auxilij in Apoſtolis; erit enim nobiſcum *usq; ad conſummationem* ſeculi. Matt. 28. Non murmurat Petrus ſed novit ſe eſſe peccatorem, & debitorem Deo, & propter ſuſceptum officium Apoſtolatus, ſubterfugere non potuit. Promiſit antea, ſe velle mori cum Chriſto, Matt. 26: 35. Joh. 13: 37. ſed non potuit per carnis infirmitatem; potuit autem poſtea, accepta virtute Sp. ſancti: apparet itaq; vires noſtras non ſufficere, ſed gratiam, & auxilium Sp. ſancti, *qui idoneos nos fecit.* 2. Cor. 3: 5.

V. 20. ἐπιστραφεὶς. Conversus Petrus vidit ſequentem Johannem; ibat ergo Petrus, ſequens Ieſum ambulantem: cum antea juſſus ſit Ieſum ſequi, quod non accipiendum eſſe ſolum de præſenti ambulatione, ex vaticinio & colloquio ſuperiore apparet; apparet etiã illud ipſum ex ſequente ſermone, ubi idem mandatum repetit: *tu me ſequere.* v. 22. Sic enim & Petrus hunc ſermonem intelligit; videlicet, præcipere Chriſtum, poſtquam prædixit de genere mortis, ut ipſe ad ferendam mortem hanc duram & ignominioſam, animum præparet: Et 2. pet. c. 1: 14. *velox eſt depoſitio tabernaculi mei, quod & Dominus noſter Ieſus Chriſtus manifeſtavit mihi.* Et 1. Pet. 2: 21. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis.* &c. itaq; *videns diſcipulum quem Ieſus dilexit, ſequentem;* qua deſcriptione ſupra uſus eſt Evangeliſta, c. 13: 23. verecunde hic ut ſupra, nomen proprium reticens. De eo quærit Petrus,

Quid

Quid autem hic? Sive gratum facturus sodali, ut & hac occasione ipsi innotescat mortis genus: sive ex æmullatione, quia cupit ipsum similium passionum fore participem. Curiosam fuisse Petri quæstionem ex responso Christi patet: nam fuisse inter Apostolos æmulationem vanam apparet, ex petitione filiorum Zebedæi, Matt. 20: 24. & ex contentione eorundem Luc. 22: 24. Novit etiam Dominum prædixisse plurima de afflictione discipulorum. Matt. 10. Luc. 14: 26. Ioh. 16: 20. Non esse igitur inconveniens, si quod in comuni omnibus prædixit, nunc proprius indicet singulis, hac scilicet occasione data, & quia Petro suum fatum prænunciat.

V. 22. Λέγει. Respondet Iesus & curiosam quæstionem Petri rejicit, docetq; nõ esse scrupulose inquirendũ in Divina consilia; nam si Deus indicavit vitæ exitum Aaroni, Mosi, Eliæ, Hischiæ, Simeoni & hic Petro; num ideo tenebitur cuivis petenti id revelare? Compescat se itaq; humana protervia, & se contineat ab his quæ Deus secreta esse voluit Act. 1: 7. *Non est vestrum nosce tempora & momenta, quæ Pater posuit in potestate sua.* Deinde, ideo etiam videtur quæstio curiosa, quia est aliena, à qua abstinere oportuit Petrum & curare propria, atq; agnoscere sibi tantam officij molem impositam, ut aliena curare non vacaret. Reprimit itaq; petulantiam hominum, qui in officia, successus, facta, exitus aliorum plus nimio sunt solliciti: nec deest æmulatio, invidia, fremitus ex successu aliorum, obtrectatio, etiam adversus eos sæpe, quibus alias optime faveremus nisi nobis præferantur. *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Orta fuit opinio ex hac responsione Christi, victurum Iohannem usq; ad adventum Domini ad judicium, quod tamen

men Salvator conditionaliter profert: *Si velit* ſcilicet; Rejicit autem Evangeliſta hanc opinionem, ortam nimirum ex male intellecta reſponſione Chriſti, velut vanam aut falſam: Non quievit tamen ſuperſtitioſa hominum curioſitas; opinio enim duravit Epheſi & in Aſia; quia ad ſepulchrum Iohannis viſa eſt ebullire terra; unde orta fuit ſententia, perpetuo ſomno ſopitum Iohannem, & ſpirantem cujus ſpiritus pulveris hujus ſcaturiginem cieret. Inductus erat ferme in hanc ſententiam etiam Beatus Auguſtinus, cum hunc locum explicat, tract. Ultimo in Iohannem, ex fama eorum qui viſa retulerunt, veriora tamen putanda ſunt, quæ ex Sp. ſancti inſtinctu docet Evangeliſta; non fuiſſe hanc ſententiam verborum Chriſti. Repetit ergo ſuperius præceptum, *Sequere me:* ſcilicet laborando, docendo, miraculis confirmando fidem Evangelij, patefaciendo hominibus voluntatem æterni Patris de ſalute credentium; cum patientia ferendo contumelias, obtrectationes, perſequutiones imminentes, & tandem morte obſignando Euangelium quod prædicavit; exemplo Chriſti, qui cum hæc omnia pertuliſſet, poſtea à mortuis excitatus, nunc regnat in gloria. 2. Cor 4: 8. *In omnibus tribulationem patimur*, &c. & cap. 6: 4. Itaq; ſi quis vult Chriſtum ſequi, *abneget ſeipſum & tollat crucem ſuam.* Matt. 16: 24. Sic non deerit unicuiq; quod agat ipſe, ne de ſervo alterius judicium ſibi ſumat. Rom. 14: 4. Et Jacobi 4: 12. *Tu quis es qui ju-*
XXII. *dicas proximum*? Eſt igitur Argumentum XXII. & ultimum, quod deducit Evangeliſta ex reſurrectione Chriſti à mortuis, prædicta à Prophetis; Davide Pſ. 16. *Non relinques animam meam in inferno*; quod ut validiſſimũ urget adverſus Iudæos Petrus, Act. 2: 31. Paulus, Act. 13: 27. Et Act.

26. 22.

26:22. coram Agrippa & Festo; contra cujus exceptionem ad Agrippam Regem provocat, horum omnium optime conscium: Neq; enim (ait) in angulo quicquam horum gestum est. Itaq; magna confidentia ad conspectum Principũ & Senatus Ierosolymis respondent Apostoli, se non posse non testari quæ viderunt & audiverunt: Act. 4: 20. Præsertim Deo id præcipiente, cui magis sit obtemperandum Act. 5: 29. A qua testificatione reprimi non potuerunt flagellis, presequutione, carcere aut mortis supplicio. Certitudo hujus testificationis deducitur, I. ex vaticinijs Davidis Ps. 16: 10. ut dictum est; & Ps. 8. *Gloria & honore coronasti eum* &c. Esa. 53; plagarum, vulnerum, sepulturæ, mortis, resurrectionis ad vitam æternam meminit, prædicationis quoq; Evangelij ad salutem multorum. Hoc itidẽ David confirmat Ps. 30:4. *Deduxisti animam meam ex inferno, vivificasti me à descendentibus in sepulchrum.* Ps. 110. *De torrente in via bibet*, &c. II. Typi idipsum declarant: David & Goliath. 1. Sam: 17. Simson, Jud. 16. qui aufert portas Gazæ, & Leonem superat. cap. 14. Ionam piscis expuit tertia die: quod exemplum Christus adversus Judæos adducit. Matt. 12: 39. Ioseph ex captivo fit princeps. Gen. 41. III. Evidentissime vero resurrectionem confirmant Apparitiones factæ mulieribus ac discipulis, de quibus egit Evangelista, quibus addantur quæ ab alijs Evangelistis adducta fuerunt, & à Paulo 1. Cor. 15. Et id secundum scripturas factum esse ibidem asserit Apostolus: v. 4. Et Christus ipse, Ioh. 5: 39. & v. 46. ad Mosen provocat. IV. His addantur & miracula, quibus Apostoli testificationem suam comprobabant, & post eos sancti martyres: de quibus Aug. de civ. Dei l. 22. c. 10. circa finem. *Credamus ergo eis, & vera dicentibus, &*


mira facientibus. Dicendo enim vera passi sunt ut possint facere mira: In eis veris est præcipuum, quod Christus resurrexit à mortuis, & immortalitatem resurrectionis in sua carne primus ostendit. Unde sic concludimus: Quicunq; prædicto per Prophetas tempore, ex semine Davidis & ex virgine natus Deus, carnem assumpsit, voluntatem Dei hominibus revelavit, miraculis comfirmauit, pro peccatis hominum passus, mortuus & sepultus est: Et tertia die resurrexit, secundum scripruras, pluribusq; credentibus vivus apparuit, in cœlum ascendit, Sp. sanctum suis fidelibus misit, atq; Evangelium per orbem terrarum sparsit, Ecclesiam collegit, illuminat, protegit & usq; in finem conservat; ille est verus Messias. At hoc fecit Iesus Nazarenus Mariæ filius; Ergo est verus Messias, salvator hominum. Sic absolutis argumentis omnibus Evangelista historiam concludit, ostenditq; ea esse in scriptis Evangelistarum sufficienter congesta, quæ sufficere possunt ad salutem omnium eorum, qui credunr Evangelio; sup. cap. 20: 30.

V. 24. οὗτος. Conclusio ultima in qua veracitatem autoris asserit: & aperit quis sit; Iohannes scilicet, discipulus ille: dequo Iesus loquutus est cum Petro, quem ex circumstantiis quibusdam descripsit, sup. v. 20. Eum docet esse hujus scripti, non solum autorem qui historiam commemorat, sed etiam testem qui quæ scripsit etiam ipse oculis vidit, & audivit auribus. 1. Ioh. 1: 1. Qui unus erat ex testibus à Deo ad id ordinatis. Act. 10: 39. Deinde, vera esse pronunciat quæ testatur. Scimus, ait; non opinabili cognitione, sed scientifica, & est provocatio ad fideles omnes illius temporis, qui vel ipsi hæc sic gesta viderunt, vel ab Apostolis audiverunt; ne quis illo tempore ea sic gesta esse dubi-

dubitaret. Sic Paulus ſuo tempore vivos homines teſtes adducit, qui Chriſtum redivivum conſpicati ſunt in monte Galilææ. 1. Cor. 15: 6. *Ex quibus*, ait, *multi ſuperſunt adhuc; quidam vero*, hoc eſt pauciores, *dormiunt*, Sciunt etiam verum eſſe teſtimonium Iohannis, quia ut Apoſtolus Chriſti, vir magni nominis, in doctrina præ alijs inſignis & clarus, miraculis potens, vaticinjis admirabilis, alijsq; Sp. ſancti donis illuſtris, errare aut fallere non potuit. Neq; enim Deus cooperatur mendacibus ac impiis; ut mendacia miraculis confirmet: ſed veritati teſtimonium tribuit. Credendũ eſt itaq; Deo & veritati, præcipue ſi addantur miracula fidem facientia: ad quæ etiam Chriſtus provocat, ſup. c. 14: 24. *Si opera non feciſſem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Et contemptoribus horum dira omnia denunciat. *Væ tibi Corazin, Bethſaida* &c. Matt. 11: 21. 23: 34.

V. 25. ἔστι δὲ. Deinde res à Chriſto in his terris geſtas peroratione amplificat, hyperbolen Auguſtinus appellat; ſed verè tamen & ſimpliciter hæc verba potius accipere præſtat: nam plurima miracula Ieſum feciſſe in terra Galilæa, ſupra oſtendimus, ad v. 30. Cap. 20. ex Matth. c. 4: 23. Et Lucas Cap. 4: 40. ſummatim oſtendit plurima miracula ab ipſo facta, quæ ſingula Evangeliſta non attingit. Oſtendit Iohannes, ſi ad unum omnia miracula conſcribantur, omnia facta & conciones Chriſti, tot futura volumina, tot libros, ut mundus eos non caperet: non quod in mundo locum habere non poſſint, cum ſit in mundo alias innumera librorum multitudo; ſed quia, tot libris legendis humano ingenio non conſulitur. Voluit enim Sp. ſanctus deſcribi 1. quantum ſatis erat ad confirmationem fidei de Meſſia:

deinde quæ ad captum non modo doctiorum, sed etiam simpliciorum essent accommodata, ne rerum & verborum multitudine turbarentur. Quæ est generalis conclusio historiæ Evangelicæ, non solum hujus, sed cæterorum quoq; Evangelistarum: scripsit enim Iohannes, sicut in principio hujus dictum est, post alios omnes & in ultima ætate, adversus exortas hæreses. Putat verò hæc sufficere ad cognitionem Messiæ; id enim agunt Evangelistæ, ut ex gestis & doctrina ostendant Christum esse Messiam, missum ad salutem credentium in ipsum. Fidei rationem & Christianæ vitæ exposuerunt in canonicis Epistolis Apostoli; ex quibus conjunctis perficitur fides Chtistiana ad salutem fidelium. 1. Tim. 4: 16. *Attende tibi & doctrinæ.* &c. Et 2. Tim. 3: 16. *Omnis scriptura Divinitus inspirata utilis est,* &c. Hinc concludimus in hunc modum: Quæcunq; doctrina finem præpositum assequitur, ac perficit quem informat, ea est ad finem sibi propositum sufficiens: At Scriptura potest hominem Christianum perfectum reddere, & ad omne opus bonum sufficienter instructum, Ergo est ad finem suum consequendum perfecta. Et impia est Papistica doctrina de imperfectione scripturæ.



ACTA

ACTA APOSTOLORUM.



N historiæ Apoſtolicæ explicatione, conſiderandum venit primo, quæ ſit ſcripti autoritas & quis autor. Tertullianus ex Latinis patribus primus, (qui ſub Severo & Antonino Caracalla Romanorum Imperatoribus vixit, in fine ſecundi ſeculi à nato Chriſto:) Acta Apoſtolica inter ſcripturas canonicas refert, lib. de præſcr. adverſus hæret. Ubi ſimul cauſam affert ſcriptionis, videlicet; ut conſtet Eccleſiæ, miſſum eſſe Sp. ſanctum. juxta promiſſionem ſalvatoris: item, quando & quibus incunabulis inſtitutum ſit corpus Eccleſiæ; negatq; à Deo eſſe, aut Sp. ſanctum habere eos qui hoc ſcriptum non recipiunt. Oſtendit ex his probari Paulum eſſe Apoſtolum, à Chriſto miſſum; quid ante Paulum fuerit, aliaq; plurima, ad fidem Chriſtianam ſpectantia. Euſebius hiſt. lib. 3: c. 25. in catalogum canonicorum librorum refert. Unde etiam beatus Auguſtinus miratur ſtultitiam Manichæorum qui de hoc libro dubitant, recipientes interim quatvor Evangelia, & Pauli Epiſtolas, quibus hiſce ſimilima continentur: de util. credendi cont: Manich. cap. 3: cupiunt autem Manichæi prophetam ſuum Manichæum in Apoſtolorum

numerum referre, & per eum missum Sp. sanctum ostendere, cum ex hoc lib. contrarium doceatur, refert August. ibidem, & cont. Faust. lib. 19. in fine. Epiphanius ex quodam Josepho comite septuagenario se audivisse comemorat, hunc librum ex Græco in Hebræum sermonem translatum repertum in quodam Gazophylacio Judæorum, hæresi 30. Et Hieronymus in prologo. Nicephorus hist. lib. 2. Cap. 43. docent Lucam Evangelistam Paulo Apostolo præeunte, Evangelium & Acta Apostolica consignasse: id stili conformitas arguit, præfandi quoq; similitudo, & nomen Theophili utriq; scripto præfixum. De Pauli itineribus plura quam de cæteris scripsit, quia Paulo erat carissimus. col. 4: 14. deinde quia comes Pauli erat, & ejusdem coadjutor; cum Romam iret, Act. 27. ad Philemonem v. 24. Eidemq; fideli ministerio affuit, cum Romæ Neroni sisteretur ad mortis supplicium, 2. Tim. 4: 11. derelictus ab alijs. Et in itinere se Paulo conjungit reliquisq; comitibus in plurali numero loquens. *Expectarunt nos Troade*, cap. 20. 5. *& recto cursu venimus Coum*. c. 21: 1. *Et cum decretum esset nos navigaturos in Italiam*. cap. 27: 1. &c.

Dividitur historia hæc in duas partes principales, quarũ prior de ascensione Christi agit, & ijs quæ ascensionem sunt consequuta; missione scilicet Sp. sancti, multorum ad fidem conversione, persequutione Apostolorum, miraculis, prædicatione, ac gestis, Ierosolymis vicinisq; regionibus, & Antiochiæ; duodecim primis capitibus. Altera pars de itineribus, laboribus, prædicatione & miraculis Apostoli Pauli usq; ad finem. Pars prior in V. partes subdividitur I, Ascensionem Christi in cœlum describit, & missionem

Sp,

Sp. ſancti, cum donis linguarum & virtutum, effuſis in diſcipulos. cap. 1. & parte cap. 2. II. Conciones Petri & Apoſtolorum ad populum Judaicum commemorat, cum miraculis & multitudinis converſione, ac inhibitione Pôntificũ & Sacerdotum populi Iudaici: usq; ad cap. 6. III. Pars, Ordinationem Diaconorum; cum cæde Stephani, usq; ad cap. 8. IV. Perſequutionem Eccleſiæ Ieroſolymitanæ recenſet, quæ fuit cauſa diſperſionis fidelium, & quæ in hac diſperſione contigerint Petro, Philipo; ubi de Simone Mago, Eunucho Ætiope, cap. 8. V. Circa converſionem Pauli & Cornelij magna ex parte verſatur, cap. 9. 10. & 11. Quam excipit cædes Iacobi; cum captivitate & liberatione Petri miraculoſa. cap. 12.

Complectitur hæc hiſtoria annos quatvor & viginti, ab aſcenſione Chriſti in cœlum, ad annum Chriſti 57. cum Paulus Romam mittitur. Nam converſio Pauli incidit in annum Chriſti 35. qui eſt proximus ab aſcentione Chriſti in Cælum. Euſeb. in Chron. A converſione ad primam aſcenſionem Pauli Ieroſolymam, quæ Act. 15. deſcribitur ſunt Anni 14. ſicut ipſe indicat. Gal. 2: 1. Inde ad captivitatem, cum Romam deduceretur ſunt anni 9. Euſeb. in Chron. Hieronimus in vita Pauli. Qui annus incidit in ſecundum annum Neronis.

Singulari Sp. ſancti conſilio edita eſt hæc hiſtoria: propter autoritatem & Apoſtolatum Pauli, deinde ut ſciantur initia, progreſſus, & incrementa Eccleſiæ; tertio, ut certiſſime conſtet miſſum eſſe Sp. ſanctum à Chriſto promiſſum, qui nobis myſteria Divina per Apoſtolos revelavit & miraculis confirmavit. Quæ fides nobis neceſſaria eſt; quia

quia commendat nobis scripta Apostolica contra impostu-ras veterum hæreticorum, Cerdonis, Montani, Manichæi, sicut supra ex Tertulliano & Augustino retulimus. Hi enim suos errores hoc nomine in Ecclesia sparserunt, quasi per ipsos Christus promissum Sp. sanctum miserit, cum recta interpretatione mysteriorum fidei Christianæ. Sicut etiam hodierno die Papistæ, qui Sp. sanctum cathedræ Pontificis alligant, dicentes ipsum docentem errare non posse; ut hoc nomine Ecclesiæ sua commenta obtrudant, quæ ipsi lucri causa, excogitarunt: Unde apparet quam sit hoc scriptum Ecclesiæ necessarium. Adde quarto propter gravissimas conciones Petri, Pauli & aliorum, quibus fundamenta Christianæ fidei continentur. V. Propter historiæ seriem, quæ Testamentum vetus cum novi testamenti temporibus conjungit, & Prophetias explicat. Scopus ergo & intentio scripti est, ostendere gentes & Iudæos sola in Christum fide justificari; non ex operibus legis, sicut hæc propositio totidem verbis à Petro proponitur Act. 15: 10. & 11. Quod etiam Lutherus ostendit in posteriore commentario Epist. ad Galat. cap. 3: 2.

C A P. I.

TRes sunt partes hujus cap. I. Pars continet Exordium, & brevem narrationem conversationis Christi cum discipulis, post resurrectionem, cum promissione de conspicuis Sp. sancti donis, sicut Joh. 14: 26. 16: 13.

V. 1. τὸν μὲν. Orditur transitione à libro Evangelij, cui hanc historiam connectit: & ostendit hujus historiæ & Evangelij Theophilo inscripti eundem esse autorem. Theophili nomine omnes Christianos Dei amicos intelligunt

plu-

plurimi: ſed Oecumenius Græcus interpres præſidem provinciæ fuiſſe putat, ἡγεμὼν ἦν οὗτος ὁ Θεόφιλος. Scripſit verò ſuperiore libro de doctrina miraculis & converſatione Chriſti, ab initio nativitatis & prædicationis usq; ad diem aſſumptionis; ut ſciant eum incipere unde deſijt libro priore, & hiſtoriam continuare. Facit id ad certitudinem, ne de autore ſit dubitatio, ad ordinem, ut doctrinæ, vitæ ac factis Chriſti, ſubijciantur doctrina & res geſtæ Apoſtolorum: ad attentionem quoq;; cupiunt enim fideles, qui de factis, prædicatione, miraculis & morte Chriſti, audiverunt; etiam quem exitum res habuerit cum diſcipulis, intelligere. Unde etiam v: 2. meminit præceptionis ad diſcipulos, intellige, de expectando promiſſo Patris, ſup. Luc. 24: 49. inf. v. 4. & ut Petrus declarat ex vaticinio Joh. 2. inf. c. 2: 17. de prædicando Evangelio omnibus gentibus; Matt: 28. Et miraculorum operatione confirmando. Marc. 16: 17. Idq; auxilio Sp. ſancti peculiari; in directione ſermonis ad ſalutem auditorum. Matt. 10: 19. quod exemplo Petri declaratur; Act. 2: In donis lingvarum, in miraculorum operatione, Qualia Sp. ſancti dona Chriſtus eis permiſit. Ioh. 14: 26. Marc. 16. & infra ulterius declarabitur.

V 3. Οἷς καὶ Altera pars exordij in qua ad memoriam lectori revocat converſationem Chriſti cum diſcipulis, à reſurrectione usq: ad aſcenſionem, variásq; apparitiones de quibus egit Evang. cap. 24. & Ioh. cap. 20. & 21. Quæ fuerunt Chriſtianis ejus temporis, communiter nota; ſicut Paulus declarat, 1. Cor. 15. Tempus quadraginta dierum ſpacio notat, quod inter reſurrectionem & aſcenſionem interceſſit. Sermo quis fuerit indicat; videlicet de re-

staurando regno Dei, de abolitione vet. Testamenti & instauratione novi fœderis: juxta vaticinium Jer. 31; 31.

Notanda sunt v. 1. & 2. quæ mox in exordio collocat principia Christianæ fidei: ne existimemus fidem Christianam ingeniose confictam esse, ad fallendam multitudinem hominum & continendam in obedientia. 2. Pet. 1: 16. Nam provocat Evangelista, ad communem notitiam omnium in Iudæa & vicinis regionibus viventium tum temporis, quorum oculi hæc miracula Christi viderunt, aures verbis, doctrina, & fama gestorum prædicationisq; complebantur: quo & Iohannes provocat in principio suæ Epistolæ. c. 1. v. 1. Et Luc. 4: 22. *Omnes testimonium illi dabant, & mirabantur de verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus.* Et Ioh. 7:31. & 46. *Nunquam sic loquutus est homo.* Esa. 50:4. *Dedit mihi Dominus lingvam eruditam.* Joh. 5: 36. 10: 25. & 15: 25. Fama etiam miraculorum ejus exijt in universam Judæam, & in omnem regionem adjacentem. Luc 4: 14. & cap. 7: 17. Nec inventus est qui contradiceret; nisi forte per calumniam: sicut Pharisæi, Matt. 12: 24. Imo ipsi hostes fatentur: Ioh. 11: 47. Et Ioh. 9: 16. *Quomodo potest homo peccator hæc signa facere?* Ioh: 3: 2. Secundum principium cui fides Christiana innititur, est resurrectio Christi, multis apparitionibus testificata: (τεκμήρια enim sunt signa seu documenta infallibilia, quæ omnem dubitationem tollunt.) quod principium fidei collocat Paulus 1 Cor. 15. cui item nemo hostium potuit contradicere; nisi per mendacium: Matt. 28: 13. Huc respicit etiam studiosa informatio Christi, per multas apparitiones, ac totis quadraginta diebus continuata: testantibus discipulis, & magna multitudine fidelium.

Chri-

Christus loquutus est discipulis de regno Dei: sic nemo ministerio Ecclesiastico adhibeatur, nisi probe informatus de mysterijs fidei, ut potens sic exhortari per sanam doctrinam, & convincere contradicentes. 1. Tim. 3: 9. Tit. 1: 9.

Non voluit Christus per Sp. sancti dona extraordinaria discipulis omnia tribuere, sed etiam per studiosam & operosam informationem; nobis exemplum præbens, assidui laboris & studij. Ioh. 5: scrutamini scripturas: & 1. Tim. 4: 13. attende lectioni. Actorum 20: 31. Paulus Ephesinos ministros toto triennio, nocte dieq; informat, idq; cum lachrymis.

V. 4. Καὶ συναλιζόμενος. II. Pars cap. in qua tertium fidei principium affert, & plene ac ex professo describit. 1. antecedentia 2. ipsum actum. 3. consequentia. Et primo relicturus mundum & conversationem cum discipulis, Christus eos in unum congregans, extra Ierosolymã, infr. v. 12. 2. Repetit promissionem de missione Sp. sancti antea datam. Ioh. 14: 26. 15: 26. Luc. 24: 49.

V. 5. ὅτι. 3. Qualitatem declarat cœlestis doni; quod conspicuum futurum sit; (certum enim tempus designat, quæ Apostoli notare non possunt, nisi sensu externo: aliâs adventus spiritus non sentitur. Ioh, 3: 8:) Deinde multo illustrius futurum est hoc donum baptismo Iohannis, qui sicut cæteri ministri, aquæ aspersione baptizant: Spiritum autem conferre nequeunt, qui à Deo datur. Ioh. 1: 26. & 36. De baptismo Iohannis plura dicenda sunt inf. c. 19.

V. 6. Οἱ μὲν. 4. Discipulorum quæstionem describit, qui ex infirmitate sensus, adhuc hærent in opinione Phari-

ſaica de regno mundano, quod putabant reſtaurandum in Iudæa, rejecto imperio externo, cujus Rex perpetuus foret Chriſtus; qualis erat ſententia filiorum Zebedæi, Matt. 20. Itaq; τῷ Ισραὴλ in Dativo caſu efferunt; quaſi Iſraeli reſtituenda ſit poteſtas antiqua, juxta legem, Deut. 17: 15. Nitebantur enim permiſſione, de reſtaurando tabernaculo David collapſo. Amos 9: 11.

V. 7. Εἶπε δὲ, 5 Reſponſio Chriſti, cum patientia ſuſcipientis infirmitatem atq; intempeſtivam interpellationem diſcipulorum, qui jam ab ipſis diſceſſurus, contentus eſt modica caſtigatione, pro magno diſcipulornm errore, & curioſa inquiſitione de momento & tempore, quo ſolum reſpondet, ad captum eorum ſe accommodans. Cætera graviora, videlicet de regno, de officio & perſona Chriſti de ſalute ac converſione gentium; quæ videt carnali cogitatione, ac Phariſaica ſuperſtitione implicatos diſcipulos, capere non poſſe, qui toties informati, ea tamen intelligere nequeunt: hæc inquam, ad plenam ſuperius promiſſam Sp. ſancti informationem reſervat.

V. 8 Ἀλλὰ. 6. Iterum inculcat permiſſionem Sp. ſancti; oſtendit autem donum hoc conſiſtere in cœleſti quadam virtute, efficiendi id ad quod erant electi. Docet inſuper in quo potiſſimum conſiſtit miniſterium eorum; nempe non in regni terreni occupatione aut temporali dominio, ſed in teſtificatione mortis, paſſionis, reſurrectionis Chriſti, & aſcenſione in cœlum: & hæc ordinata eſſe ad ſalutem hominum. Ut hoc modo animos eorum avertat à ſenſu carnali & mundananis vanitatibus. Præterea non terminari hanc prædicationem in regno Iſraelis, quod ſolum

lum quæstio illorum respicit, sed progredi oportere ad omnes fines terræ. Et hæc ante ascensionem gesta sunt.

V. 9. Καὶ ταῦτα. Deinde nunc ipsam ascensionem describit: in qua circumstantiæ diligenter sunt considerandæ; Est enim articulus Christianæ fidei insignis unde fides Christiana multas consolationes desumit. confirmatur hic Christianæ fidei articulus ex concordantibus scripturæ locis primo veteris testamenti Ps. 46: 6. 68: 19. 110: 1. deinde Mar: 16: 19. Luc. 24: 51. Ioh. 20: 17. item Act 2: 33. Eph. 4: 8. Ex quibus scripturæ locis hic fidei articulus constituitur. Notandæ vero sunt ad majorem certitudinem circumstantiæ, 1. ἐπήρθη sublatus est. 2. in conspectu discipulorum & fidelium congregatorum, sup. v. 4. 3. Ascendente eo nubes circumfusæ abstulerunt aspectũ eorum, cum his ascendens immergeretur: quæ circumstantiæ veritatem ascensionis Christi á terra, & terrena conversatione in cœlum verè demonstrant. Sciendũ vero hic est præterea, ascesionem Christi non simpliciter accipiendam esse, sicut alterius hominis, exempli gratia Enoch, aut Eliæ, qui in cœlum sublati, non sunt amplius in terris, nec hic quicquam operantur, nec dominantur creaturis. De Christo autem homine dicit scriptura; *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*, Ps. 8. *Captivam duxit captivitatem*. Ps 68: 19. Eph. 4: 8. *Sedet ad dexteram Dei*. Ps. 110. Marc. 16. Act. 2: 33. *in nomine ejus flectetur omne genu* Phil. 2. *Ascendit supra omnes cœlos ut impleret omnia*. Eph. 4: 10. *dedit dona hominibus*, ibidem. Quæ singula de sanctis in cœlum ascendentibus dici nequeunt: ipse etiam est in medio nostri. Matt. 18: 20. *Omnibus diebus usq; ad mundi finem*. Matt. 28: 20. Quia enim Christus Deo personaliter

unitus est, itaq; nusquam erit Deus, ubi etiam humana natura non sit: nisi cum Nestorio naturas disjungere, & duas in Christo personas facere velimus: Si vero Christus solum in cœlis, Deus vero etiam in terris collocatur, sine conjuncta humana natura; tunc aut solvitur personalis unio, aut in Deo partem extra partem facimus; ut sit Dei aliquid in terris & alibi quod non sit Christo junctum in cœlis: sicut volunt similitudines Calvinianæ, de gemma & annulo, Antuerpia & oceano, planeta & orbe. Loquendum autem est cum scriptura. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit; filius hominis qui est in cælo.* Joh. 3: 13. Ubi filius hominis in terra existens, dicitur simul esse in cœlo. Confirmatur hæc sententia ex communicatione proprietatum Divinæ naturæ, quæ citatis locis asseritur, & ex Dexteræ Dei amplitudine, quæ ad orientem, occidentem, cœlum, terram, infernum & ad omnia creata simul pertingit, docente Sp. sancto, Ps. 139: 7. Modum autem hujus præsentiæ cum non intelligamus, credimus tamen præsentiam, juxta scripturam.

V. 10. Κἀι ὡς. Tertio consequentia ascensionem describit. Duo viri sine dubio Angeli fuerunt, in viri specie apparentes: simul admonentes de visibili forma redeuntis ad judicium, eadem specie qua abijt, majore tamen gloria, videlicet cum multis millibus angelorum; Matt. 25: 31. Esa. 3. Ep. Iudæ, v. 14. Frustra expectare discipulos, amplius reversurum ad conversationem solitam, aut ad imperium terrenum. Apparebit autem conspiciendus vulneribus quibus transfixus erat in cruce, Joh. 19: 37. Sachar. 12: 10. ad terrorem & confusionem impiorum, & solatium fidelium.

V. 12.

V. 12. τότε. 2. Reditum deſcribit diſcipulorum, à monte Oliveti, in urbem Ieroſolymam, quo loco Chriſtus in cœlum aſcendit. In Evangelica hiſt. c. 24: 50. dicit eum diſcipulos eduxiſſe usq; in Bethaniam, ijsq; benedixiſſe. Sita erat Bethania prope montem oliveti; diſtat verò à Ieroſolyma ſtadijs quindecim; Ioh. 11. 18. quod hoc loco dicitur iter Sabbathi; milliare ferme dimidium; quia 32. ſtadia faciunt milliare, nobis uſitatum, duobus millibus paſſùm; iter ſabbathi Hieronimus definit, ex veterum Rabbinorum traditione. Sic diſcipuli mandato Chriſti ſup. v: 4. atq; Angelorum monitis obtemperantes, in urbem redeunt, promiſſionibus ſalvatoris freti, pericula quæ à Iudæis imminebant deſpiciunt.

V. 13. Καὶ ὅτε Locum hoſpitij indicat: manebant n. Apoſtolis conjuncti, non ſolum diſcipuli ſed & reliqua fideliũ multitudo, virorum pariter & mulierum; & ex his Chriſto ſalvatori ſangvine juncti, in ſpecie Mater Domini. Exxercebantur verò precibus & promiſſionum Divinarum meditatione: 1. propter ſpem doni promiſſi. 2. propter metum periculi, ex Judæorum odio, qui Dominum eorum morte mulctarunt. 3. deſiderio ſalutis hominum. Undecim Apoſtolorum nomina hic enumerat Evangeliſta, oſtendens eosdem eſſe quos Chriſtus elegit, & ad prædicandum emiſit, Matt. 10: quos toto prædicationis tempore in fide inſtruxit, præter unicum Iudam neminem eſſe deperditum. Ioh. 17: 12. Deinde ut ſe ad ſequentem tractationem de electione Matthiæ accingat.

V. 15. Καὶ ἐν ταῖς. III Pars cap. de electione Mathiæ, ejusdemq; ordinatione ad munus Apoſtolicum. Ubi primũ con-

considerandavenit oratio Petri Apostoli ad eos qui ex fidelium numero ad hunc actum convenerunt. Dediti fuerunt congregati sancti precibus quotidianis, meditationi prædictionum vet. testamenti de Christo, verborum, doctrinæ ac mandatorum Christi; sup. v. 4. & 8. Et cap.Matth. 10. 28. 19. Ioh. 14. 15. & 16. quod ex actione sequente colligitur. Si enim testificandum fuit de Christo, & prædicandũ Evangelium in toto mundo; intelligunt complendum esse numerum Apostolorum: qui mittendi erant ad omnes mundi partes. Sunt autem cardines mundi præcipuè duodecim, veteri instituto, unde etiam duodenaria ventorum divisio desumpta est. Accedit salvatoris autoritas, qui Apostolos duodecim esse voluit, Matt. 10: 1. Porro si quæras quid sit causæ, cur Petrus inter alios fideles primus surrexerit; forte alia non occurret, quam quia post Andream fratrem Petrus primus ad Apostolatum à Christo Domino vocatus erat sicut historia docet, Ioh. 1: 41. & sit inter primos; alij putant Petrum inter cæteros natu maximum: sine dubio verò Petrus gravissimæ infirmitatis tristisq; lapsus pudore & memoria, studium in magistrum declarare, cupit; ac juxta salvatoris mandatum Luc. 22: 32, fratres confirmare; inq; re, licet periculosa, propter adversariorum potentiam, constantiam declarare, veræq; pœnitentiæ signum edere, itaq; quod prius ipse deliberandum fratribus exhibet; (neq; enim verisimile est sine prævia deliberatione eos ad hunc actum fuisse progressos;) id iam facto expeditum reddit. Ex numero addito intelligimus, hîc non affuisse universam credentium multitudinem, sed Apostolos cum septuaginta discipulis, paucisq; ex reliquorum

rum credentium numero; ſine dubio, quos præcipuos maximeq; fidos Apoſtolica ſocietas putabat.

V. 16. Ἄνδρες. 1. Occupatione occurit admirationi fidelium; cur perierit Iudas, cur turpi facinore Magiſtrum prodidit. Reſpondet igitur; Sp. ſanctum hunc lapſum dudum prædixiſſe per Davidem, Pſ. 41: 9. ſicut etiam in hiſtoria paſſionis Chriſti, Davidis vaticinia de toto actu introducuntur: ut intelligammus Deo hæc fuiſſe nota, priusquam fierent; qui novit etiam malè cogitata ad ſalutarem finem flectere. Nec nos moveat quod dicitur oportuiſſe impleri ſcripturam: certum eſt enim prævifionem Dei certam eſt & infallibilem, & quæ Deus prævidit & prædixit, ſic fieri, quemadmodum prævifa ſunt; neq; tamen à Dei viſione pendet facti neceſſitas; ſicut ideo non ambulat quiſquam, quia nos ambulantem videmus. Deus enim uno intuitu omnia videt, præterita, præſentia & futura: haud aliter quam nos videmus præſentia; ſed viſione perfecta. Sic Judam quamvis à Chriſto admonitum, Mar. 14: 21: tamen in proditionis propoſito perſeveraturum vidit: igitur idipſum per Davidem Sp. ſanctus prædixit. Verba Davidis Prophetæ infra adducit v. 20.

V. 17. ὅτι. 2. Hiſtoriam Iudæ recitat, ex Evangeliſtis notam: Dux fuit itineris ad locum horti, his qui Chriſtum comprehenderunt. 2. Apoſtolus à Chriſto aſſumptus erat, Matt. 10. 4, cujus miniſterio Salvator uſus eſt, in docendo Evangelio, & pecuniarum aſſervatione & expenſa, in uſus quotidianos. Joh. 13: 29. 3. Agrum promeruit ad peregrinorum ſepulturam, ex proditionis precio, ſeu pecunia accepta à Sacerdotibus. Matt, 26: 15. 27: 7. κτῆμα poſſeſſionem

significat & κτάομαι acquiro, comparo. 4. Pœnitentia & desperatione actus suspendio perijt, Matt. 27: 6. Addit vero Petrus, eum rupto abdomine effudisse viscera, raro exemplo; quod est pœnæ iræq; divinæ ac damnationis indicium, & effectus horroris præternaturalis ex metu pœnarum infernalium. Sicut Arius ex simili causa: cum pro hæresis suæ defensione contra Alexandrum disputaturus ascenderet, naturæ necessitate cogente secedens, viscera effudit. Refert Ruffinus hist. l. 1. cap. 13.

V. 19. Καὶ γνωστὸν. 3. Narrationis suæ veritatem asserit: primò ex communi testimonio, ac notitia omnium habitantium Ierosolymis: & ex nomine indito agro, comparato ex proditionis precio, sicut prædixit Sp. sanctus per Zachariam c. 11: 12. Nomen agri Ἀκέλδαμα. à voce חֵל possessio agri, & דָם sangvis. Munsterus in lexico. Sic Apostolus humano testimonio ad faciendam fidem utitur: & nomen agro inditum est ad perpetuam rei memoriam, propter facinoris simul & pœnæ evidentiam; ex qua stupore perculsi Pontifices, rem posteritati notam esse voluerunt. Servit hoc negocium veritati historiæ passionis Christi, sicut circumstantia evidenter nota: itaq; etiam ad faciendam fidem historiæ ab Evangelistis inseritur.

V. 20. Γέγραπται. Deinde testimonium Dividis addit, scripturam scilicet, quam superius implendam dixit: prius quidem ex Ps. 69: 27 Agit autem Ps. in plurali, de hostibus & persequutoribus Christi, quibus temporalis & æternas pœnas imprecatur. Propter pertinaciam ac perseverantiam in impietate. Nam ad pœnitentes & conversos Iudæos hanc imprecationem Christi non spectare, cla-

rum

rrm est ex sequente cap. v. 37. Alterum testimonium assumit ex Ps. 109: 8. Quæ vaticinia cum de hostibus Christi agant in genere; ad Iudam tamen ea in specie accommodantur: ut exemplo demostret Sp. sanctus in Iuda vaticiniorum veritatem, & quem exitum expectare oporteat omnes Christi & fidelium persequutores; nam quid genti Iudaicæ postea acciderit, notum est. Hæc adversus impios Sp. sancti horribilis imprecatio, præsupponit contumaciam & finalem impœnitentiam, quam futuram Sp. sanctus prævidit: itaq; Divinæ justitiæ vindictam implorat. Huc accommoda verba Christi. Matt. 11: 21. *væ tibi Corazin*, &c. Et Matt. 23. *Ierusalem, Ierusalem, quoties volui congregare filios tuos.* Ioh. 3. *Hæc est condemnatio quia lux venit in munpũ & homines magis dilexerunt tenebras quam lucem.* Sic Petrus Apostolus, nihil occultat eorum quæ publicè nota sunt, nec in gratiam collegij Apostolorum proditorem excusat; sed moderatione summa cuncta refert: gravitate verè Apostolica.

V. 21. Δεῖ οὖν. 4 Caussam affert cur ad electionem novi Apostoli, subltituendi in locum Iudæ ipsi procedant, quave ratione hæc electio ad ipsos spectet; videlicer, 1. quia ipsi constituti fuerunt à Christo nuncij prædicationis Evangelij, per universum orbem, & testes resurrectionis ejus. Mat. 28: 19. Mar. 16. sup. v. 8. Id est, à Christo ordinati sunt ministri primi ac præcipui, novi testamenti: ad ipsos itaq; spactabat jure Divino electio; ad Apostolos primum, deinde ad septuaginta discipulos, hisce conjunctos in prædicationis opere. Tertio ad multitudinem quoq; credentium, tunc etiam præsentem; aut saltem ad delectos ex cre-

dentium numero, numerus enim hominum congregatorum erat centum & viginti, sup. v. 15. quem conficere non potuerunt, duodecim Apostoli cum septuaginta discipulis. Deinde quia fuerunt assidui comites Christi, auditores doctrinæ & spectatores operum; testes eorum quæ viderunt & audiverunt. 1. Ioh. 1: 1. Adde receptam consvetudinem, naturæ cogruam ac jure gentium comprobatam, ut à collegij membris collega probetur, & eligatur. 5 qualitatem presonæ eligendæ describit: eum scilicet eligendum esse qui sit ex numero discipulorũ Christi, qui simul cum Apostolis viderit introitũ & exitũ; hoc est, qui assidue viderit conversationem Christi, à baptismate Iohannis, cum Christus ad officium docendi ingressus est; usq; ad diem ascensionis, cum mediatoris opus complevit: Ut poterit de rebus notis, sicut cæteri, testari.

V 23. Καὶ ἔστησαν. Alterum mẽbrum hujus tertiæ partis ipsa electio seu ordinatio Matthiæ ad munus Apostolicum: Ubi 1. Duos viros probatissimos nominant, juxta regulam suprapositam, qui inter cæteros pietate & probitate eminent; qui rerum tractandarum cognitione pollent, ac cum Christo conversati sunt, prædicantem audierint, miracula viderint, ab initio, usq; à baptismate Iohannis. 2. precibus negocium Deo commendant, cui judicium committunt, uter ex duobus designatis ad Apostolatum sit aptior; cum ipsi judicent eos esse pares. Sæpè enim fit, ut qui humano judicio meliores judicantur, hos Deus inferiore loco habeat: sicut hoc loco Ioseph à congregatis fidelibus priore loco collocatur, Deus vero posteriorem Matthiam elegit. Sic Samuel Propheta & pater Isai, filium natu maximum

mum Regno aptissimum judicarũt, cæteros deinceps ex ordine: Deus verò minimum Davidem, cæteris contemptibilem elegit; 1. Sam, 16. non est enim judicium Dei sicut hominum; Esa. 55: 8. Ratio est, quia homines exteriora notare possunt. Deus autem corda intuetur: homines de præsentibus solum judicat, Deus futura videt, qua studia, qua mores, quantum etiam ad constantiam in fide; nec hypocrisi decipitur. Deniq; quid personis eligendis expediat optime novit, quid Ecclesiæ, quam aut juvare, aut etiam propter peccata punire constituit.

V. 26. καὶ ἔδωκαν. 3. Sorte electionem determinant, ut de Divino suffragio constare possit: Deo dirigente sortes, ut est pro v. 16: 33. item, sedat lites, ibidem c. 18: 18. Quî modus optimus est, cum inter personas eligendas ea est æqualitas, ut humano judicio differentia non appareat. Hac forma electum Matthiã, cooptarunt in numerum Apostolorum, ut esset illi in docendo Evangelio par cæteris autoritas: quamvis illi inmediate à Christo ipso; hic per Apostolos fuerit electus & ordinatus.

Tria in hac postrema capitis parte observanda veniunt: Primatus Petri, proditio Iudæ, & ministrorum vocatio ad munus docendi. Ex v. 15. Ex hac oratione Petri ad fratres congregatos, non rectè inferunt Papistæ Petrum fuisse Apostolorum principem: Christus enim ante mortem suam, omnem inter discipulos principatum sustulit, Luc: 22: 25. Ubi expresse de primatu agitur. Reges gentium dominantur, inquit, vos autem non sic &c. Et Paulus Gal. 2. omnem primatum rejicit, seq; nulli subjectum esse docet, in his quæ ad fidem & doctrinam. Quod autem,

 cum

cum Petro & fratribus Ierosolymitanis Evangelium contulit, concordiæ caussa fecit, non subjectionis: ne putarent conversi ex gentibus Paulum contraria cæteris Apostolis docere; prout calumniantur falsi fratres, Act. 15:1. Quod intelligens beatus Gregorius Romanus Episcopus, ut declararet se abhorrere à titulo universalis Episcopi, servus servorum Dei dici maluit: Et Iohannem Constantinopolitanum, quod talia affectaret, acriter incusat. Ep. 34. l. 4. & lib. 7. indict. 2. Ep. 69. Et Gal: 2. Paulus Petrum castigat ut fratrē & æqualem: & quidem non iniquè, sed ex officio & caritate ut docet Augustinus adversus Hieronimum Epist. 19.

Apparet ex numero congregatorum assignato præter Apostolos, & septuaginta discipulos, alios insuper ex fidelium numero affuisse electioni Matthiæ: unde concludimus, juxta praxin Apostolicam non ad solos ministros, electionem ministrorum spectare, sed etiam ad reliquam fidelium societatem: sicut praxis Pauli & Barnabæ idem confirmat. infra cap. 14: 22. χειροτονία hoc est, suffragio significato per manuum extensionem, eligendo ministros in Ecclesijs: quam significationem habet hæc vox. 2. Cor. 8: 16.

Tertio, Ex vocatione Matthiæ & oratione Petri discimus; 1. collegiorum jura esse, ut nemo in collegium assumatur, nisi consentiente & probante collegio: quæ consvetudo jure gentium ubiq; recepta, ad collegarum amicitiam præcipuum est vinculum. Contra si quis autoritate potentum, fraude & malis artibus se ingerit, odiosus fit collegio, oritur suspicio, dissentio, inimicitia, factio & impediuntur acta collegij: sicut praxis in societate tam Ecclesiastica quam politica quotidie docet.

De.

Deinde cum duæ sint essentiales partes Ecclesiæ, doctores & auditores; illi tandem legitimè vocati sunt, qui utriusq; partis suffragio & consensu, ad ministerium perveniunt. Sic de vocatione Matthiæ, Apostoli cum reliqua credentium multitudine concordant. Et infra, Ecclesiæ cum Paulo & Barnaba, cap. 14: 22. Potior vero pars debetur ministris, cum directione nagocij, quod ex utroq; hoc loco, apparet, & 1. Tim. 5. 21. Tit. 1: 5. quorum est nominatum examinare, probare, ordinare, cum precibus & manuum impositione: ita tamen ne quid sit fraudi auditoribus, aut societati civili; *non enim est potestas nostra adversus veritatem, sed pro veritate.* 2. Cor. 13: 8. Et viceversa, si Ecclesiæ minister in cujusvis inique imperata aut postulata consentit, & indignum ordinat, fit reus peccati alieni; & peccat ipse, 1. Tim. 5: 22.

CAP. II.

HOc caput tribus potissimum partibus absolvitur. Prima miraculum exponit, effusi Sp. sancti super Apostolos, juxta supra datam promissionem. Altera habet concionem Petri ad cœtum congregatorum. Tertia effectum hujus concionis describit ac insignem fructum in conversis.

V. 1. Καὶ ἐν τῷ. I Pars cap. in qua miraculosa ac visibilia Sp. sancti dona describit, quibus in conspectu magnæ multitudinis, fideliũ simul & infidelium, affecti sunt Apostoli: qui Ierosolymis uno in loco congregati, ut dictum est sup. cap. 1: 14. orationibus vacabant, expectantes promissionem de extraordinarijs Sp. sancti donis. Extat promissio

sup.

ſup. c. 1: 8: Joh. 14: 16. & 26. c. 16: 13. Ubi I. notat tempus, hoc eſt, exacto die Pentecoſtes, juxta ritum legis Moſaicæ, qui erat quinquageſimus dies à die exitus ex Ægypto. Exo. 23: 13. Lev. 23. 16. ſive à die Paſchatos; & erat dies latæ legis. Deinde locum ubi ſcilicet congregati erant, ut dictum eſt. III. Teſtes rei geſtæ, videlicet congregationem credentium. IV. Rem geſtam cum circumſtantijs. Et 1. ſonus inſtar flatus vehementis aut turbinis domũ implet. 2. lingvæ ignitæ verticibus credentium diſcipulorum inſidentes. 3. Senſibilis commotio præſentium ex collatione ſupernaturalis doni Spiritus ſancti. 4. Effectus & operatio ſenſibus manifeſta, cum ſcilicet Apoſtoli talium rerum antea rudes, linguis peregrinarum nationum loquerentur, non ex præeunte longa informatione, ſed hora eadem qua Sp. ſancti viſibili dono ornati ſunt: idq; mirabili & decora varietate, juxta varium afflatum Spiritusˢ.

V. 5. Ἦσαν δὲ. V. Teſtimonijs rem confirmat, magnæ multitudinis, concurrentis ad hujus miraculi admirationem, ſicut fieri ſolet in re mirabili & nova. Primo Iudæorum, qui in remotis varijsq; orbis partibus nati & educati, præter linguam maternam, etiam gentium, apud quos nati erant, ut fieri ſolet, linguas didicerunt: & ex illis locis regreſſi in patriam, Ieroſolymis habitarunt. Erat enim gens Iudaica diſperſa per regna & populos ac civitates in omni regione circumjecta, latè admodum: propter ingentem multitudinem, quam Iudæa terra montoſa & auguſta capere non poterat.

V. 6. Γενομένης. Hanc vocem cœlitus factam perq; vicos urbis exauditam dicit, ideoq; excitatam multitudinem, ut

ut ad miraculi cognitionem concurreret: eiq; contra revelationum Divinarum calumniatores, tanquam de re perspecta testimonium præberet. Invasit autem spectatores hujus prodigij stupor & consternatio mentis idcirco major, quia viderunt rei admirabilis admirandam operationē, in discipulis: quos evestigio excelsis Dei donis ornatos audiverunt loqui lingvis incognitis, homines scilicet idiotas, piscatores, Galilæos, quorum solet esse cultus & eruditio exigua, in regione inculta, & à centro Regni longius dissita. Joh. 1: 46. 7: 41. & 52. *Scrutare & vide quia à Galilæa propheta non surgit.*

V. 7. Ἐξίσταντο. Ad majorem testimonij evidentiam spectatores loquentes introducit, qui & fatentur, se ex ore discipulorum Christi, audire quisq; linguam suam; qui per contemptum hîc & Joh. 7: 52. Galilæi dicuntur.

V. 9. Πάρθοι. Regiones quæ hîc enumerantur magna ex parte in Asia sitæ sunt in circuitu terræ Palestinæ: Ægyptus & Lybia in Africa, Roma in Italia; Proselitæ dicebantur Gentiles ad Iudaismum conversi: Matt. 23. 15.

V 21. Μεγαλεῖα θεοῦ. Non vana loquuti sunt & ludicra: sed mysteria fidei Christianæ, & supereminentem magnitudinem virtutis Divinæ, quam operatus est in nobis, in Christo redemptore, Eph. 1. Qualia Petrus in concione sua adfert: & Paulus. Act. 13. & sequ.

V. 12. Ἐξίσταντο. Auditorum genera distingvit; alij enim mirabantur; considerantes virtutem Divinæ gratiæ, hujusq; prodigij: conjecturam facientes, non frustra hæc fieri, sed peculiari Divini numinis instituto, ad inducendam mutationem maximam in mundo. Nec fefellit eos opinio, sequuta enim fuit conversio hominum ad multa mil-

lia, recipientium fidẽ Christi, quæ postea ministerio Apostolorum in omnes terræ partes pervasit.

V. 13. Ἕτεροι. Auditorum alij ad calumniam versi, rident Apostolos ut ebrios & nugatores, excecante & instigante Diabolo, sicut Matt. 12: 24. Pharisæi miracula Christi, ad salutem hominum facta, Diabolo tribuunt.

V. 14. Σταθείς. II. pars. In hac parte Petrus refellit calumniam impiorum, & ex scripturæ fundamentis Christũ docet esse Messiam, à Davide & Prophetis prædictam 1. pars orationis, Exordium, quo viros gentis Iudaicæ ac Ierosolymæ habitatores ad attentionẽ excitat. v. 15. 2. Confutationem præmittit calumniæ de ebrietate; Ratione desumpta ex circumstantia temporis: contigit enim hoc prodigium, hora tertia matutina post ortum Solis, cum nemo facile inebriatur. Horas Iudæi numerabant incipiendo ab ortu Solis, ut sint usq; ad occasum horæ duodecim. Ioh. 11: 9. Ostendit vero Petrus esse hoc prodigium, quandam Sp. sancti effusionem largam, & uberiorem quam unquam antea: (paucis enim Prophetis hactenus contigit revelatio Divina, nec multis simul.) Propositio narationi includitur, cujus summa hæc est: Iesus crucifixus, à mortuis resurgens, inq; dexteram Dei exaltatus, rerum dominus factus, Evangelij prædicatione ac prodigijs omnes homines ad se vocat, ut à peccatis conversi, baptizentur in nomine ejus, & in æternum salventur. Hanc propositionem in initio occultat, propter aversionem Iudæorum & odium Christi, sed eam per partes narratione insinuat, artificio singulari, à Spiritu edoctus, ut ipsum Iudæi cum patientia audiant.

V. 16. Ἀλλά, Confirmatio sequitur: Argumentũ desumit

ex

ex vaticinio Ioelis, c. 2: 28. quod quamvis proximè respiciat miraculum effusionis Sp. sancti, & donorum spiritualium, tamen ad generalis propositionis confirmationem, ut finem ultimum collimat.

V. 17. Καὶ ἔσται. Novissimi dies dicũtur dies novi testamẽti, distribuendo dies mundi in tres ætates, ut sit prima ante datam legem, altera post legem; tertia Evangelij. Iohannes ultimam horam dicit. 1. Ep. c. 2: 18. Effundet Spiritum super omnes homines; sic enim phrasi vet. testamenti accipitur omnis caro. Gen. 6: 12. Promittitur Prophetiæ donum omni ætati sexui, & conditioni, per visiones & somnia: quod tamen non distributivè, de singulis ex omni hominum multitudine esse accipiendum, eventus docuit; non enim omnes prophetabant. Sed loquitur Sp. sanctus collectivè, 1. de multitudine, simul ex diverso hominũ statu prophetantium, hoc est, lingvis varijs loquentium magnalia Dei: beneficia scilicet in Christo exhibita, & prædicta à Prophetis; sicut hic loquitur Petrus. Omnes enim tunc præsentes loquebantur lingvis; sup. v. 4. prædixit David, Ps. 87: 6. Deinde Apostoli & alij plurimi futura prædixerunt, visiones viderunt. Petrus infra, c. 10. Agabus famem futuram prædixit: ibidem v. 28. filiæ Philippi Prophetabant; infra 21: 9. Paulus conversionem Judæorum futuram prædicit, Rom. 11: 26. De adventu Antichristi vaticinatur. 2: Thess. 2. Johannes 1. Ep. c. 2: 18. & c. 4: 8. In Apocalypsi multa, de statu Ecclesiæ circa mundi finem, & de Antichristo. Petrus 2. Ep. c. 3. de securitate & impietate extremi seculi. 3. Dona miraculorum faciendorum plurimis communicata, non solum Christi discipulis, sed multis insuper fidelibus, quæ etiam post Apostolorum tempora

longo tempore manserunt in Ecclesia; sicut historiæ testantur. 4. Donum Prophetiæ, in scripturæ intepretatione, & explicatione mysteriorum fidei quod in Apostolis cepit, adfinem mnndi in Ecclesta durat, & in doctoribus ac ministris ejus continuatur. 5. Donum & cognitio linguarum, quibus mysteria Christianæ religionis continentur, insigni Sp. sancti gratia, adhuc in Ecclesia durat: cum libris quibus hæc continentur; quos Deus peculiari cura & providentia, in usum fidelium, ad hunc usq; diem coufervavit. De his Sp. sancti donis agit Paulus, 1. Cor. 12: 7. Eph. 4: 11. de recto donorum usu, 1. Cor. 14. de quibus regulam universalem tradit, v. 12: 26. & 29. De felicitate hujus temporis vaticinatus est etiam Esa. c. 44: 3. Ierem. 31: 33. Zachar. 12: 10. Quo factum est ut pueri, servi & ancillæ hodie plura de Christo sciant, quã olim doctissimi: sicut prædixit David Ps. 119. 99. 5. Hinc emergit Sp. sancti operatio in omnia Ecclesiæ mẽbra, nemine excepto, scilicet, pœnitentiæ, conversionis, justificationis sanctificationis, glorific9tionis, per ministerium & doctrinam Evangelij, quibus innumera hominum multitudo, ad cœlestem beatitudinem informatur & pertrahitur..

V. 19. *Καὶ δώσω.* 6. Prodigijs insuper hæc operatio confirmatur, à cœlo desuper, cum Deus misso Sp. sancto, visibili forma, & ipse voce sua de filio testatus sit, in baptismo; Matt. 3: 16. & 17: 5. Joh. 12: 28. Quo etiam respicit Apost. ad Heb. 12: 25. allegans illud Hagg. 2: 7. *Adhuc semel movebo non solum terram sed & cœlum.* &c. His adde miracula quæ à Christo & Apostolis facta sunt, ad confirmationem fidei; & Evangelistarum scriptis continentur. Hoc loco autem videtur Apostolus accommodare vaticinium Prophetæ, ad

præ-

præſens negocium. Prodigium de cœlo eſt obſcuratio Solis & Lunæ in morte Chriſti: Prodigium in terra eſt ventus, vapor ſeu fumus replens domum; ignis, lingvæ ignitæ, diſpertitæ in Apoſtolos: ſangvis qui manavit ex vulneribus Chriſti in paſſione. Dicitur autem hic dies Domini magnus & manifeſtus, propter inſignem mutationem; abolitionem ſcilicet veteris, & introductionem novi teſtamenti: deinde propter miracula concomitantia, unde fit manifeſta toti mundo. Poſt hos verò dies proponetur ſalus, non ſolum genti Judaicæ, ut antea, ſed omnibus etiam gentibus; ſic enim habent verba ſequentia Ioelis Prophetæ, cap. 3: 1.

V. 22. Ἄνδρες. Poſtquam hac prima ratione quaſi valido ariete concuſſit & perfregit pertinaciam auditorum: nunc confidentius Narrationem infert, & iterum ad attentionem hortatur; remq; breviter commemorat prout geſta fuit, & ex quibus cauſis. Fidem narrationi facit, provocando ad conſcientias auditorum, qui ipſi viderunt & cognoverunt mitacula, quæ fecit, Divina virtute, quæ nullus homo ſua virtute unquam facere potuit, nec ulla creatura; ſicut teſtatur Nicodemus, Ioh. 3: 2. Cæcus qui viſum recepit. Ioh. 9: 30. Virum dicit, propter veritatem humanæ naturæ: δεδειγμένον declaratum vobis, ſcilicet quod ſit Meſſias, filius Dei, ad ſalutem humani generis miſſus; ſcilicet, ſtupendis miraculis ac virtutibus, quo & Chriſtus ipſe provocat, Matt. 11: 4. reſpiciens ad vaticinium Eſa. 35: 5. de ſignis Meſſiæ. Ioh. 10: 37. *Si non facio opera patis mei, nolite credere mihi.* Ioh. 15: 24. *Si opera non feciſſē in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Neq; clam ipſis & in angulo facta ſunt, ſed conſcijs omnibus & fatentibus. Ioh. 11: 47.

Hic homo multa signa facit. Postquam narravit rem notam & confessam omnibus; nunc quo fine hæc ita facta sint explicat.

V. 23. Τοῦτον. 1. Deus juxta propositum æterni decreti, tradidit illum in mortem pro salute fidelium. Eph. 1: 5. infra. c. 4: 28. 2. Factum illud non fuit Deo incognitum, sed ante multa secula prævisum; potuisset igitur qui omnia potest, etiam hoc ipsum impedire, si voluisset. Deo itaq; permittente sic factum est: infra c. 3: 18. 3. Ostendit propositum populi Iudaici fuisse malum; sicut fratrum Iosephi. Gen. 37: 18. & 50: 20. videlicet; iniquis modis è medio tollere, hominem à Deo missum, & innocentem: cum non crederent, nec intelligerent consilium hoc Dei, anuunciatum per Christum: infra c. 3: 17.

V. 24. Ὃν ὁ θεός. 4. Testatur eum à Deo suscitatum, ex mortuis surexisse. Ratio est, quia impossibile erat; hoc est, mortis & inferni potestas tanta non erat, ut contra definitum tempus à Deo omnipotente, detinere ipsum posset, quin tertia die resurgeret: Deinde quia caro Christi, etiam in morte, Deo unita, caro erat omnipotentis Dei; cujus potestatem frangere mors non poterat. Peracta hac parte narrationis, ad confirmationem redit.

V. 25. Δαβίδ. II. Argumentum confirmationis desumit à testimonio Davidis Ps. 16. Qui in persona Christi gloriatur & exultat, de peculiari assistentia Divina in passione, cum in statu exinanitionis, mortis infirmitatibus subjectus, certa tamen spe Divini auxilij semper fuit recreatus: juxta Divinas promissiones certissime statuens, se non esse deserendum, aut relinquendum in morte. Itaq; Christus moribundus certissimam spem habuit resurrexionis. 2. à

cor-

corruptione servandus erat, dum latuit in sepulcro.

V. 28. Ἐγνώρισάς. 3. Via ipsi & omnibus credentibus, aperienda erat ad resurrectionem & vitam: quæ primis parentibus occlusa fuit propter peccatum, Gen. 3: 24. 4. Gloria & gaudium in exaltatione ad dexteram Dei. Hæc omnia clarissimis verbis de Christo prædicta, evincit, rei experientià & veritate Apostolus, in Christũ quadrate: unde infallibiliter concludit Christum esse Messiam.

V 29: Ἄνδρες. Occupatio, qua digreditur in coufutationem eorum, qui vel dicunt, hæc vaticinia in ipsum Davidem quadrare; sicut Iudæi; & Calvinus, qui pleraq; Davidis oracula de Christo, in ipsum Davidem, Iudaico more torquet, & hoc nomine ab Ægidio Hunnio reprehenditur, in Calvino Iudaizaute. Vel simpliciores, qui tali cogitatione tentantur. Et primò, Apostolus præmisso exordiolo, captat gratiam, humaniter compellando & rogando auditores, ut benignas aures præbere velint, detrahenti Davidi, summæ existimationis Prophetæ, gloriam resurrectionis à mortuis, & exaltationis ad dexteram Dei; eamq; tribuenti Christo. Opus enim fuit in re odiosa & invisa Iudæis; diligenti animorum præparatione. Deide, Davidem ostendit mortuum quidem esse, & sepultum, quod omnes norunt, eumq; adhuc recumbere in sepulcro, quod propter ossa seu cineres Davidis in hodiernũ usq; Diem conservatur: vidit igitur corruptionem. Hoc etiam argumeuto Paulus utitur adversus Iudæos incredulos, Antiochiæ, infr. c. 13: 36.

V. 30. Προφήτης. Tertio, sublata opinione falsa, nunc veram sententiam substituit, docens Davidem in Spiritu prævidisse mortem & resurrectionem Christi, eamq; Prophe-

phetice prædixisse. Omnes enim Iudæi Davidem Prophetam fuisse fatentur, Sp. Dei illuminatum. Novit ipse ex Divina revelatione Messiam oriundum esse ex semine ejus; quæ promissio ei primum facta est, 2. Sam. 7: 12. Et postea sæpius confirmata, quam ipse etiam repetit Ps. 131: 11. *Juravit Dominus David jurejurando vero: &c. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Et ipse secundum factam revelationem Spiritu prophetico vaticinatus est de morte & resurrectione Christi, verbis superius adductis de resurrectione Christi; ex Ps. 16. Probatur, quia ipsum retineri non potuisse in sepulcro, noverunt, neq; Diabolica potestate, neq; morte, nec lapidis advoluti pondere, aut custodibus in hanc rem adhibitis; & hæc res nota est omnibus habitatoribus Ierosolymæ; testantur etiam Apostoli, discipuli & fideles omnes qui Christum post resurrectioné viderunt, & cum ipso fuerunt conversati; quos Deus hujus rei testes esse voluit.

V. 33. Τῇ δεξιᾷ. De morte & resurrectione Christi egit hactenus; Tertio nunc agit de ascensione Christi in cœlum; & missione Sp. sanct. Estq; III. Argumentum confirmationis, quo probat Christum ascendisse in cœlum, & sedere ad dexteram Dei, ac misisse discipulis hæc Sp. sancti dona visibilia in conspectu omnium. Fidem assertioni facit, ex sensvali experientia præsentium, quorum magnus numerus vidit ascendentem in cœlum, aut audivit ex his qui viderunt, nunc etiam dona cœlestia Sp. sancti à Christo missa ipsi vident, ac varijs linguis loquentes audiunt: nec ulla ratio suppetit, cur aliunde talia proveniant, cœlitus autem missa docent miracula concomitantia, & testimonium Joelis supra allatum; à Christo quidem, juxta promissioné Joh. 15: 26. 15: 13.

V. 34. οὐγδ'. Refellit dubitationem eorum, qui hæc verba de Davide accipiunt; David enim non legitur usquã ascendisse in cœlum, sed ne resurrexit quidem, imo adhuc in sepulcro quiescit, ut supra dictum est. Imo David contra de alio hæc vaticinatur, videlicet de Messia Domino suo, qui ad dexteram dei exaltatus, omnes inimicos pedibus suis subjecit. Ps. 110. intellige mortem, diabolum, infernum, peccatum, mundum.

V. 36. Ἀσφαλῶς. Unde conclusionem validissimam infert; videlicet, Christum esse Messiam salvatorem mundi, qui devictis hostibus, sedet ad dexteram Dei, dominus rerum omnium; sicut docet Paulus, Phil. 2. qui omnes in se credentes salvat, sanctificat, gubernat, defendit, & æternâ felicitate donat. Atq; hæc sunt præcipua fidei Christianæ fundameta, in articulis de Christo, & redemptione nostra, quæ Petr⁹ hac concione populo Iudaico proposuit; artificio singulari ac Sp. sancti gratia; quod effectus etiam docuit. In hac conclusione, argumento acutissimo pungente, auditorum conscientias ferit; videlicet, Christum inimicum quem innocentem damnarunt crucisq; ignominiosa morte mulctarunt, nunc factũ esse Dominum rerum omnium, etiam inimicorum, quos Deus inpotestatem ejus tradidit, juxta vaticinium Ps. 110. Id enim & Rethores factitant, & validissimas rationes conclusioni inferunt ut magis hæreant, & auditores afficiant. Neq; eiam hîc suo fine frustratus est Apostolus, ut ex sequentibus fit manifestum.

V. 37. Ἀκούσαντες. III. Pars cap. in qua insignis fructus hujus concionis pescribitur. 1. Terror conscientiæ & contritio sequuta fuit in auditaribus; qui est primus gradus ad pœnitentiam: Judæi enim territi ex impia condemnatio-

ne ejus, quem nunc audiunt salvatorem mundi à Deo ordinatum esse, factumq; esse judicem omnium, & dominum inimicorum suorum; metuentes ne quando ipsis male vertat hæc iniquitas. 2. Ita factum dolent, de consilio circumspiciunt, Petrum & Apostolos rogant, quid fieri expediat quærunt, parati informationem recipere. Peccatum gentis Iudaicæ fuit. 1. incredulitas, 2. oppugnatio & blasphemia doctrinæ Evangelicæ, quam annunciavit Christus; 3. persequutio & cædes in Christum perpetrata. 4. culpæ derivatio in seipsos & filios eorum: Matt. 27: 25. peccaverunt ergo resistentes Spiritui sancto, quod ipsis Stephanus exprobrabat, Act. 7: 51.

V. 38. Consilium Petri & Apostolorum describitur: ut scilicet actâ pœnitentiâ, fidem in Christum recipiant, & baptismo initiati conjungantur fidelium Ecclesiæ. Sic accepta peccatorum comissorum remissione, Sp. sancti illustribus donis ornentur sicut cæteri, ad confirmationem fidei; & afflictæ conscientiæ medicinam. Non exigit Petrus aliam satisfactionem pro peccato: continet vero hæc pœnitentiæ ratio 1. contritionem cordis, propter admissa peccata, & detestationem admissi sceleris, propter metum iræ Divinæ, 2. fidem seu conversionem ad Deum, quem offensum placatum cupiunt. 3. propositum novæ obedientiæ, itaq; quid fieri oprteat ab Apostolis exquirunt.

V. 39. Ὑμῖν. Argumento confirmat consilium & datam exhortationem, ex promissione data genti Judaicæ, & filijs eorum. Abrahamo scilicet ac posteritati ejus, Gen. 16:7. *Ero Deus tuus, & seminis tui post te*: Ubi Apostolus etiam docet, Deum proposuisse à longe alias quoq; gentes ad societatem fidei vocare: sicut prædixit Sp. sanctus. Gen. 12: 3.

Deut.

Deut. 32: 21. Pſ. 2: 8. Eſa. 9: 1. 11: 10. & c. 60. Oſe. 2: 23. quod poſtea Act. 10. conprobatum eſt. Paulus etiam idem aſſerit. Rom. 91: 25. 10. 12. 11: 11. Eph. 3. 1. Pet. 2: 10.

V. 40. ἑτέροις. Pergit Evangeliſta, commemorans aſſiduitatem Petri, qui propoſita juſtificationis ratione rectâ, poſtra fallacem impoſturam & Phariſaicam impietatem rejicit; ſuadetq; converſis fidelibus, ut ſe à generatione prava & perverſa ſubducant: (hoc nomine antea gentem Iudaicam notavit Moſes, Deut. 32: 5. David Pſ. 78: 8. Chriſtus etiam, Matt. 12: 39.) Prava & perverſa dicitur, quia ſæpè à Deo defecit. Deut. 32, Pſ. 95. & 78. Nec in fide & obedientia diu perſtitit. Deinde qui perverſa docet, de juſtificatione per opera legis, ac per obſervationem traditionum, quo nomine à Chriſto reprehenduntur: Matt 15: 1. 16: 6. Cavete à fermento Phariſæorum: quorum vitia & errores commenmorat pluribus, Matt. 23. Prava etiam dicitur quia cæde Prophetarum & Chriſti ſalvatoris manus ſuas polluerunt; quapropter dira ipſis Chriſtus minatur; ibidem, v. 36.

V. 41. Οἱ μὲν Mirabilis fructus orationis Petri deſcribitur, cum inſigni virtute Sp. ſancti, qui tangens corda auditorum, tantam multitudinem convertit unica concione Apoſtoli. Converſi ſunt autem ἀσμένως, ſponte, benigno ac favente animo: ipſe enim facit ut velimus. Phil. 2: 13. Erant autem antea averſi, & illi ipſi qui clamarunt crucifige, & in mortem Chriſti conſpirarunt. ſup. v. 36. Et ſic *Lex exivit* primo *ex Zion, & verbum Domini de Ieruſalem*; juxta vaticinium Eſa. 2: 3.

V. 42. Ἦσαν. Studia & mores converſorum poſtea deſcribit. 1. Perſeverabant in fide, exercentes ſe quotidie

audiendo Apostolos docentes, corroborabantur in fide Christi. Deinde fractione panis seu sacræ cœnæ usu frequenti fidem confirmabant, commemoratione mortis Domini, juxta institutum salvatoris. Precibus quoq; Deum sollicitarunt, pro conservatione Ecclesiæ, gratias agentes pro opere redemptionis per Christum.

V. 43. Ἐγένετο. 2. Quia verò cooperatione Sp. sancti, prodigia & miracula multa per Apostolos fiebant, ad doctrinæ Evangelicæ confirmationem, & magnus hominum numerus ad societatem fidelium concurreret: itaq; timore perculsi sunt omnes, quod in hoc versu bis repetit Apostolus, ut ostendat fidelibus pariter ac impijs hunc timorem contigisse; his propter conscientiam perpetretæ cædis iniquæ in Christum; infr. c 4: 26. & 5: 28. quem resurrexisse intelligunt; cujus doctrinam vident tot miraculis confirmari, & plurimos sectatores mereri. Fideles vero quidam metus numinis invasit, & reverentia Apostolorum, propter stupenda facta, & cœlitus confirmatam doctrinam, quam antea spreverunt: quem timorem Dei sequebatur detestatio erroris & peccatorum admissorum, cum seria pœnitentia & fide in Deum.

V. 44. Πάντες. Victus rationem describit: venditis siquidem, possessionibus & fundis, inq; commune conferentes dispositioni Apostolorum omnia permittebant, ad communem victum: unde & ipsi viverent, ac cum his docentes Apostoli; & ut egentes etiam ad fidei & victus communionem reciperent. Tertia hujus communionis causa sine dubio fuit, ut per talem convictum simul esse possent, & fidei exercitijs frequenter vacare; multa n. informatione opus erat, Pharisaico errore præoccupatis, in fide autem

Chri-

Christi parum adhuc versatis; ut & scripturæ oracula Prophetarumq; vaticinia cum doctrina Evangelij conferrent, ut per vicinas regiones ac inter gentes dispersi, eos quoq; in fundamentis fidei informare possent. Quarto; prævidit proculdubio Sp. sanctus futuram persequutionem quæ infra cap. 8: 1. contigit: itaq; cum sentirent Christiani, monentibus Apostolis, instare persequutionem fidelium, cum vitæ & fortunarum omnium discrimine, maluerunt in comune conferre, & sanctorũ usu facultates suas accommodare; quam infidelium persequutorum direptioni sua relinquere. Sic convictu & conversatione quotidiana, in capitibus & fundamentis Christianæ fidei plenius informati, absumptisq; possessionibus & agris, expeditiores erant ad exilia & peregrinationes ut doctrinam Evangelij spargerent per orbem terrarum, & cursum Evangelij juvarent. infra: cap. 11: 19. De victu autem in futurũ non fuerunt solliciti, sed nituntur orditatione divina, Matt. 10. dignus est operarius mercede aut cibo. Item promissione; Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine meo; ibi ego sum in medio eorum. Matt. 18: 20, Et Matt. 28. Ecce ego vobiscum sum, usq; consumationem ad seculi, item Matt. 10: 41. Sed molesta est sensui carnis & damnosa, facultatum amissio. Hæc obiectio Petrum & discipulos exercuit, Matt. 19: 27. *Ecce nos reliquimus omnia & sequuti sumus te; quid erit nobis idcirco?* Cui objectioni salvator respondet, Matt. 10: 37. 19: 28. Luc. 18: 30. *Centuplum recipiet in hac vita, & in seculo futuro vitam æternam.* Sic Luc. 22: 28.

V. 26. Καθ' ἡμέραν. Conclusionis loco mores & conversationem fidelium summatim describit; 1. Una erant & concordes in templo precũ & orationis causa, sicut Petrus

& Johannes cap. 3:1. considerantes pericula & afflictum statum Eecclsiæ. deinde doctrinæ & Evangelicæ prædicationis causa, ut plurimi ad fidem converterentur, testimonium perhibentes de resurrectione Christi. Idq; in publico loco templi, in porticu Salomonis, destinato ad conventum populi. inf. cap. 2: 11. 12. 3. Reg. 7: 6. 2. in domibus simul frangebant panem, quod pleriq: de sacræ cœnæ participatione exponunt: cibum deniq; plures simul sumebant, cum gaudio & gratiarum actione. Simplicitatem quoq; fidelium commendat, quæ consistit in candore ingenuo, & tranquillitate animi, sine perplexitate, calliditate, versutia, aut proprij commodi occulto aut insidioso studio: sicut Christianos decet. Omnia tamen cum glorificatione & gratiarum actione ad Deum, pro beneficijs redemptionis & illuminationis per Evangelium. Ex tali conversatione sequitur, gratia Sp. sancti, favor hominum, & incrementum Ecclesiæ.

C A P. III.

Duas habet partes, I. Miraculum in homine claudo editum à Petro. II. concio Petri ad populum Iudaicum.

V. 1. Ἐπὶ τὸ. In miraculi descriptione observa, 1. antecedentia. 2. miraculum ipsum 3. consequentia. Petrus & Iohannes ascendunt circa horã nonã: quæ nobis est tertia vespertina: Unde colligimus post meridim, & multo magis ante meridiem, & sic bis de die solitos Iudæos convenire ad preces. Daniel in captivitate ter oravit versus Ierosolymam; forte ex consuetudine domestica, ter in die orandi. Convenerunt ad preces, etiam ut in congressu multitudinis Evangelium prædicarent, ac miracula ederet; plu,

plurimiq; ad fidem Christi convertentur. Plurimos verò convenisse, versus sequens indicat: mendicus enim affuit; ut multos de elermosyna compellaret. Et ut infirmitatis magnitudinem in claudo notet Evangelista, ostendit 1. fuisse claudum natum. 2. adultum jam in hac ægritudine. 3. non valentem ulla ratione progredi, nisi ope aliena; quæ argumenta sunt, non posse eum ulla humana operâ curari.

V. 3. ὅς ἰδών. Hic sicut ab alijs ita à Petro & Iohanne Elermosynam postulat. Iubent verò ut ipsos intueatur Apostoli; scilicet, ut accepto sanitatis beneficio, noverit quibus autoribus id acquisiverit, Deumq; in ipsis glorificet; neglectis prætereuntibus alijs: cum ipse eleemosinæ solum intentus, & potestatis Apostolicæ ignarus, de sanitate non cogitaret.

V. 6. Πέτρος. Sequitur miraculum ipsum. Petrus argentum non habet: vixerunt enim Apostoli ex bonis auditorum, sicut Christus ordinavit, Matt. 10: 8. *Nolite possidere aurum.* &c. *dignus est operarius cibo suo.* Deinde in Nomine Iesu ipsum in pedes erigit, & surgere jubet: cujus nominis efficacia cum verbis Petri concurrens, claudum sanat, membra consolidat, contracta solvit, & sanis hominibus similem reddit. Christus autem ipse cum sanaret ægros, non alieno, sed proprio nomine eos surgere jubet: Luc. 13: 12. *Soluta sis ab infirmitate tua*; Et filio viduæ in Nain, *Adolescens dico tibi, surge.* Luc. 7: 14. Christus enim propria virtute miracula fecit, Apostoli nomine & virtute Christi. Joh. 5; 21. *Sicut pater suscitat mortuos & vivificat, sic & filius quos vult vivificat.* Ioh. 1: 4. *in ipso vita erat.* Nam *Pater dedit ei vitam habere in seipso.* Ioh. 5: 26. Consideranda sunt verba Petri; cum dicat se hoc habere quod dat, confert tamen

sani-

sanitatem in nomine Christi. Quid habet ergo ? Potestatem sanandi in nomine Christi: quam ipse & cæteri acceperunt, Matt. 10: 8. *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmonia eijcite* &c. Et Marc. 16: 17. *in nomine meo dæmonia eijcient.* Habuerunt Apostoli speciale mandatum & promissiones singulares: quæ causa est, cur nomen Christi ad miraculorum operationem fuit afficax in illis, ad Evangelij confirmationem. Hodie vero postquam fides Christiana confirmata & recepta est; prodigiorum operatio desijt: & frustra à papistis tentatur aut jactatur, extra promissionem: nulla necessitate urgente.

V. 8 Καὶ ἐξαλλόμενος. Sequentia effecta miraculi. 1. Lætatur hîc ob acceptam sanitatem: & quia intelligit non humana potentia, sed Divina operatione singulari & miraculosa datam sibi sanitatem, itaq; Deum laudat, cum notabili omnibusq; conspicua exultatione; & templum ingreditur in frequentiam hominum, ut omnibus innotescat hoc Divinum beneficium. 2. Ipsi verò agnoscentes & videntes hominem sanum factum, ad stuporem usq; mirantur facti novitatem. 3. Petro & Iohanni adhærens, in eos convertit omnium oculos, velut miraculi autores. Confirmatur itaq; in his promissio Christi: *cooperante Domino sequentibus signis.* Mar. 16: 20.

V. 12. Ἰδὼν δὲ. II. Pars cap. Concio Petri Apostoli ad populum Iudaicum, continens exhortationem ad pœnitentiam & conversionem ad fidem Christi. Habet hæc concio exordium, Narrationem, confutationem & confirmationem; cui etiam propositio inscribitur. Petrus cum populi errorem videt, tribuentis Apostolis Divinæ operationis & miraculi gloriam, Exordio docet, non esse vel ipsis

aut

aut ulli potentiæ humanæ tribuendam virtutem tantam, ut vel ipsi hac potestate ex se polleant,aut pietate ac merito suo talia possint impetrare. Nam Iudæi,Pharisaica opinione imbuti, putabant propriæ sanctitatis merito, posse eos talia operari; quod ex verbis Petri apparet. Εὐσέβεια enim ea Pharisæis erat optima, quæ in opere externo conspiciebatur. Matt. 23; 5.

V. 13. Ὁ Θεὸς. Narratio sequitur, in qua de exaltatione Christi, & gloriosa resurrectione agit primo; deinde de peccato Judæorum: tertio miraculi rationem exponit. Ostendit verò primò, Christum crucifixum, glorificatum esse, hoc est, exaltatum ad Divinam gloriam, & hoc virtute & potentia veri Dei, quem ipsi coluerunt. Dicitur ipse Deus Abrahã,Deus Isac, & Deus Jacob, trium Patriarcharũ gentis Iudaicæ, propter fœdus quod cum ipsis pepigit, & promissionem ipsis & posteritati eorum factam, de terra benedicta, ac de Messia. Hac prima narrationis parte, talia Judæorum animis ingerit, ut terrorem incutiat, & pertinaciam frangat; ut cognoscant, Divina majestate ornatum esse eum, cum quo ipsis lis intercedit; quo argumento Saulus perterrefactus est infra c. 9: 5. confutationem, seu reprehensionem subjicit, impij & iniqui facti Iudæorum: 1. Iniquiores erant Pilato gentili; damnando eum quem ipse absolvendum judicabat, de cujus innocentia ipse supremus judex, & judicij præses testabatur.

V. 14. Ὑμεῖς. 2. Latronem manifestum Christo innoxio prætulerunt, & veniâ dignum judicarunt, cum autor vitæ dimittendus ipsis offerretur: quæ erat hallucianatio & perversitas in judicio, haud unquam excusabilis.

V. 15. Τὸν δὲ. 3. Divino testimonio hæc iniquitas mani-

festata est: resuscitatione ejus à mortuis, quem illi iniquissima morte affecerunt. 4. Apostoli & fidelium multitudo testantur, Christũ verè ex mortuis resurrexisse: sicut Evangelistæ omnes in fine Evangelij sui docent, Paulus 1. Cor. 15. Act. 1.

V 16: Καὶ ἐπὶ Rationem miraculi exponit: & 1. causa efficiens miraculi est Deus. 2. finis præcipuus erat, ostendere Christum resurrexisse, vivere, Divina potentia excellere: confirmatum esse Messiam ac salvatorem mundi, 3. ideoq; Apostoli non virtute sua, sed fide nominis Christi miraculum illud operati sunt: qui est modus operationis miraculi. De veritate autem miraculi dubium esse non potest; cum is qui claudus erat & omnibus notus, nunc sanus consistat in conspectu omnium.

V. 17. Καὶ νῦν. Confirmatio, qua pluribus argumentis hortatur gentem Iudæorum, ut pœnitentiam agant, & convertantur ad fidem Christi. Inserit autem propositionem. v. 19. I. Argumentum coufirmationis quo pœnitentiam suadet, & veniæ spem facit, desumit ab ignorantia facti: nam quod quis ignorans fecit, non ἑκουσίως, aut ex proposito plenæ voluntatis commisit, in eo peccavit minus; facilior est igitur remissio: sicut docet Aristoteles ad Nichom. lib. 2. Cic, pro Ligario. *Ignosce pater, erravit, lapsus est non putavit.* Et Paulus, 1. Cor. 2: 8. *Si cognovissent, nunquam dominum gloriæ cucifixissent:* Et sine dubio plurimi factum non intelligentes aclamabant crucifige, solo Pontificum instinctu moti, quorum autoritatem sequebantur. Marc. 15: 11. Et Pontifices ac principes, proprij cōmodi desiderio commoti, Prophetias de Christo non intelligentes peccarunt: quod non obscure Sp. sanctus innuit Joh. 11: 48. & c. 12: 42.

V. 18.

V. 18. ὁ δὲ. 2. Arg. quo mitigat factum Judæorum; Quia propositum Dei hoc facto non frustrarunt, sed promoverunt: quia Christum ob hanc causam misit in mundum, ut morte sua peccata hominum expiaret. Probat à vaticinio prophetarum, quorum magna pars mortem Christi prædixit, & adventum in carmen. inf. v. 22. & 24.

V 19. Μετανοήσατε. Propositio generalis totius orationis; in qua etiam finis exprimitur; scilicet, ut conversi peccatorum remissionem accipiant, & pœnam effugiant: Et hic est totius orationis scopus. Grande enim facinus à gente Iudaica commissum fuisse, antea docuit, Divino testimonio probavit, videlicet resusciatione Christi, & miraculo per nomen ejus edito: cujus nominis virtus ulla esse non potuit, nisi vivat ipse. Ex lege autem damnationis sententia erat manifesta, in omnes transgressores; maximè ob atrocitatem facti: legis sententiam hic reticet Apostolus, ne convinctos nimium perturbet, & ad desperationem agat.

V. 20. ὅπως. 3. Argumentum ab adventu Domini ad judicium. Dicitur tempus refrigerij; quia in novissimo die, quietem dabit fidelibus, ab omnibus molestijs & laboribus, recipiendo eos ad gaudia cœlestia. Ioh. 16. 17: 24. 2. Thess 1. Supplenda est oratio sic: ut cum venerint hæc tempora; vos etiam sitis futuræ gloriæ participes. Vel si mavis ad superiora referre, in v. 18. & verba propositionis in parenthesi ponere. Ideo scilicet Deus hoc per Prophetas prædixit, ut cũ Deus misso salvatore liberaverit populum suum, legis pondere fatigatum, ac jucunda Evangelij voce recreaverit; ipsi non rejicient oblatam gratiam, sed benigno animo recipient; & prophetarum monitis obtempe-

rantes, fruantur salute & bonis in Evangelio promissis. Esa. 35. 61: 1. Sic enim ferè res eodem recidit, hoc sensu.

V. 21. ὃν δεῖ. 4. Arg. à consilio seu instituto, Divino, qui voluit Christum in cœlum ascendere, cœlestia habitacula occupare: donec instaurentur omnia, & in eventum deducantur, quæ per Prophetas prædicta sunt. Tale est vaticinium Davidis. *In omnem terram exivit sonus eorum* &c. Ps. 19: 5. Danielis de mutationibus & persequutione fidelium in Ecclesia, ac de antichristo. Dan. 12. 2. Thess. 2. De conversione & vocatione gentium. Esa: 9. *Populus qui in tenebris sedet, videt lucem magnam.* Et cap. 11: 10. *Erit radix Iesse vexillum populi, in ipsum gentes sperabunt.* Et cap. 60. *Ambulabunt gentes in lumine tuo.* Eph. 3: 6. Prædictio ejusdem de conversione Iudæorum ante finem mundi. Esa. 59: 20. quã adducit & interpretatur Paulus, Rom. 11: 26: Estq; hæc quædam responsio Apostoli, ad quæstionẽ; cur Christus præsens non sit in hoc mundo, sedens in throno Davidis; Ecclesiam gubernet ac defendet ab externa vi, doceatq; voluntatem cœlestis Patris: juxta expectationem Pharisæornm.

V. 22. Μωσῆς. 5. Arg. à testimonio Mosis, prædicentis adventũ Christi Messiæ: Deut. 18: 15. *Prophetam sicut me, excitabit Dominus Deus tuus, ex te, & ex fratribus tuis; hunc audies;* &c. addita est autem comminatio vindictæ Divinæ adversus inobedientes. Non loquitur hic Sp. sanctus de omnibus Prophetis simul, nisi oblique: sed de uno aliquo eximio & singulari, Divinæ voluntatis nuncio, cujus autoritas nõ erit minor autoritate Mosis; Reliquos omnes Mosi facit inferiores, certo consilio: Num. 12: 6. Itaq; hunc locum veterum Rabinorum pleriq; de Messia intelligunt; & confirmatur hæc sententia Deut. 34: 10. *Non surrexit ultra*

Pro-

Propheta in Israel, similis Mosi, qui Dominum cognovit à facie ad faciem. Vide Galatinum de judæorũ objectionibus in hunc locum, lib. 8: c. 7. Stephanus etiam de Messia hunc locum intelligit: inf. 7:37. Remotis itaq; alijs omnibus, solus Christus Mosi æquatur, dux chori Apostolici, sicut Moses dux Prophetarum vet. testamenti: cui Deus ipse testimonium præbuit. Matt. 3: 17. & 17: 5. de cœlo loquens. Loquitur de cœlo ad Mosen & gentem Iudaicam in monte Sina: loquitur de cœlo ad filium & Apostolos, & hac voce movit cœlum & terram, & omnes gentes; sicut prædixit Hagg. cap. 2: 7. Quod pulcre accommodat Apostolus, Heb. 12: 25. Ad testimonium Mosis etiam Christus ipse provocat: Ioh. 5: 46. Verbis sequentibus æternas pœnas denuncet comtemptoribus Evangelij & oblatæ gratiæ; sicut Matt. 11. *Væ tibi Corazin, &c.*

V. 24. Καὶ πάντες. 6. Arg. A testimonio Prophetarum omnium, qui post Mosen de Messiæ adventu vaticinati sunt. Primus Samuel scripsit de venturo Messia ex semine Davidis 2. Sam. 7. 12. David in Ps. pluribus in locis. Cæteri deinceps. Esaias c. 7: 9 11. Ierem. 23. 31. 32. Ezechiel de Ierosolyma nova & aliâs sæpius. Daniel tempus designat cap. 9.

V. 25. Ὑμεῖς. Concludit cum exhortatione ad populum Iudaicum; addito arg. 7. ex peculiari privilegio & promissione ad Abrahamum facta, Gen. 12: 3. *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Quia benedictio alijs gentibus continget, per semen Abrahæ; ergo benedictio primo continget Iudæis, filijs Abrahami, & ab ipsis incipiet. Conveniens est igitur, ut ipsi alacri animo oblatam gratiam acceptent, pœnitentiam agant; ut severitatem vindictæ Divinæ effugiant, & salventur.

CAP. IV.

In hoc cap. commemorat Evangelista gentis Iudaicæ ingratitudinem, & impium zelum ac seditionem adversus Evangelium Christi, & ejusdem præcones & prædicatores primos. I. Pars agit de captivitate Petri & Iohannis,& examine eorum in senatu Pontificum, cum eorundem apologia & dimissione. Altera de congratulatione post dimissionem Apostolorum; deq; conversatione & convictu fidelium.

V. 1. λαλόυντων. Hoc est docentibus illis Evangelium de Christo,& testificātibus Apostolis de resurrectione Christi, & consequente hanc, omnium hominum resurrectione in extremo die: ægre id tulerunt Pontifices, qui autores fuerunt cædis in Christum patratæ, itaq; propter hoc facinus nefarium malè conscij; ut patet inf. cap: 5: 28. Apparet ex textu, fuisse magistratum aut præfectum templi, armatū satellitio & apparitoribus,partim ad sedandos tumultus & comprehendendos turbatores doctrinæ, & cultus, & ad custodiam ordinis in templo: partim verò etiam ad custodiam munitionis, Habuit templum quatvor porticus, seu muros in circuitu, singulis autem sua custodia erat addita; sicut habet templi descriptio Iosephi, contra Appionem l. 2. Sadducæos ex hac concione de mortuorum resurrectione fuisse comotos, mirum non est; qui resurrectionem non credunt, nec angelum; neq; spiritum; Inf. c. 23; 8. Ideoq; comprehensos Apostolos cognitioni reservarunt in crastinum, & rem ad Sacerdotum concilum retulerunt.

V. 4. πόλλοὶ. Tertia hujus violentiæ causa fuit, creden-

dentium multitudo; unde ſeditio fuit timenda: tali etiam accuſatione Chriſtum gravabant coram Pilato Luc. 23: 2.

V. 5. ἐγένετο. Cognitio cauſæ nunc incipit; Et 1. ad veritatem rei & evidentiam, aſſeſſores hujus judicij deſcribit. Convenit autem ſupremus ſenatus, qui Divina autoritate ordinatus, ad hoc tempus uſq; duravit: qui à Moſe conſtitutus Exo. 18: 25 Divina autoritate poſtea confirmatus fuit. Num. 11. 16. & 26. Deut 17: 8. Et maximâ parte conſtitit ex Sacerdotibus & Levitis. Deut. 21: 5. Præſes erat Pontifex, qui ſi non ipſe, ſanè aſſeſſorum pars bona ex Sadducæis conſtabat: inf. c. 5: 17. & 23: 6. Et erant pauci quidem ex hac ſecta, ſed numero præcipui, ait Ioſephus antiquit. l. 18: c: 2. Ubi etiam dogma illorum deſcribit. Advocabantur etiam principes populi: principes tribuum, aut eorundem legati; velut in re maximi momenti 2. par. 19.

V. 7. Καὶ στήσαντες. Hic quod officij eorum erat de doctrina inquirunt, inf. v. 18 & miraculi rationem expoſcunt; ſuſpicio enim erat, aut dolo editum eſſe miraculum, aut arte Diabolica effectum: quomodo etiam Chriſtum calumniabantur, Matt. 9. 34. & 12: 24.

V. .8 Τότε. Petrus repletus Sp: ſancto: hoc eſt, peculiari Sp. ſancti motu interno confortatus & incitatus, juxta promiſſionem Chriſti, Matt. 10: 19 *Dabitur vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, loquitur in vobis.*

V. 9. Εἰ ἡμεῖς. Secundo, ſequitur apologia Apoſtolorum: Ubi 1. in Exordio accuſat importunitatem ſimul & injuſtitiam Senatus; qui eos propter beneficium ſanitatis, ægro præſtitum; in carcerem ducunt, ac in judicium magni Synedrij protrahunt. Facit autem id modeſtè Apo-

ſto-

ſtolus, cum inſinuatione; ne commotos offendat, aut ad iracundiam concitet.

V. 10. Γνωςὸν. 2. Miraculi rationem ex ponit ſicut ſupra c. 3: 12. & ſequentibus; ſanatum claudum producit in conſpectum omnium. Videatur explicatio ſupra data.

V. 11. Οὗτος. Confirmat teſtimonio ſcripturæ, & verba prophetiæ in ipſos accommodat, ex Pſ. 118: 22. Eodem modo quo à Chriſto fuerunt adducta, Matt. 21: 42. Repetuntur eadem verba ex Davide, Eſa. 28. 16. Ad eundem etiam ſenſum Paulus, Rom. 9: 33. Petrus, cap. 2. 7. Reprehendit his verbis factum eorum Apoſtolus, officij os admonens; qui cum à Deo conſtituti ſint, ad defenſionem piorum, & ſanæ doctrinæ, atq; ad promovendam Evangelij doctirnam; ipſi eam oppugnant, ad ſuam perniciem: donum Dei & Ecleſiam novi taſtamenti quam erigere oportuit, ipſi deſtruunt, in Chriſtum offendunt & pereunt; fitq; ipſis propter averſam voluntatem πρόσκομμα, qui ipſis fuit deſtinatus ad ſalutem.

V. 12. Καὶ ὀκ. Deinde, ad exceptionem eorum reſpondet, cum ſe juſtè facere exiſtiment, propungnantes antiquam fidem; nec obeſſe ipſis ſi Chriſtum rejiciant, cum habeant ſalutem in Moſe & operibus legis Ioh 9: 28. *Nos Moſi diſcipuli ſumus. Nos ſcimus quia Moſi toquutus eſt Deus: hunc autem unde ſit neſcimus.* Reſpondet Apoſtolus ex verbis allatis. *Qui ſperat in eum non confundetur.* Eſa. 28: 16. Erit autem lapis offendiculi omnibus impingentibus in eum. Eſa. 8: 14. Non eſt itaq; ſalus in Moſe, in lege, operibus, in nobis aut ullo alio. Summa Deus propoſuit Chriſtum ſalvatorem, fundamentũ fidei electum: in hunc ſperabunt alij, alij oblatum rejicient; qui ſperant in eum, non confundentur, qui

ipſum

ipſum rejiciunt, peribunt in peccatis ſuis: media inter hæc via non datur. Itaq; alia virtute tam ſalutaria miracula fieri nequeũt: ejusq; nomine autoritate ac juſſu hæc doctrina ſpargitur in mundum.

V. 13. Θεωροῦντες. Tertio loco ſequitur conſultatio Senatorum: & 1. agnoſcunt & mirantur in hominibus idiotis & indoctis dona extraordinaria & ſupernaturalia; quod ſcilicet tanta judicum autoritate & ſeveritate, aut etiam periculi metu non terreantur, aut commoveantur ad minimum. Deinde, quod homines non informati literis, noverint ex ſcripturarum fundamentis, tam validas probationes deſumere, easq; tanta cum ſeveritate urgere: inſuper credibile viſum fuit, eos à Chriſto quem vivum ſequuti ſunt, hæc ipſa habere; ſicut & ipſum non ignorabant, mirabilium operum factorem extitiſſe. Deniq; factum miraculum negare non potuerunt; conſtitit enim in conſpectu eorum homo notus omnibus, antea pedibus æger, & contractus nervis, nunc ſanus & inambulans. Unde in conſcientia convicti, quantumvis conarentur, contradicere tamen non potuerunt; non valentes reſiſtere Spiritui qui loquebatur in Apoſtolis; inf. c. 6: 10.

V. 15. Κελεύσαντες. 2. Iuſſis extra concilium ſecedere reis, ſequitur ſententiarum collatio. Mirum eſt autem homines potentes, & omni humana Divinaq; ſcientia inſtructos, coram Apoſtolis hîc obmuteſcere; ipſos confundere reosq; agere volentes ipſi confunduntur & rei fiunt: nihil invenientes quod juſtam reprehenſionem mereatur; ſive in facto, ſive in doctrina: unde intentione fruſtrati pudefiunt. Si enim Divina virtute facto miraculo, doctrinam probarunt; non poteſt ea eſſe erronea, cui divinitus datur ſuffragium: quo argumento utitur Gamaliel infra, c. 5: 39.

V. 17. Ἀλλ' ἵνα. 3. Sententia profertur concilij. Iudices convicti, veritati non cedunt, sed in proposito permanent, suæ existimationis causa: ne probantes doctrinam, deprehendantur ab omnibus, iniq; fecisse, damnando Christum ad mortem. inf. c. 5: 28. Itaq; exhausti rationibus, malunt iniquam causam defendere, & inhibitionis sententiam proferre, ne quid amplius doceant in nomine Christi: quod ipsis consilium nunc solum superest. Prohibent verò in universum, ne quicquam ulli mortalium loquantur in hoc nomine; itaq; ut miracula ad sanitatem languentium non reprehenderent, doctrinam tamen statuerunt non admittere, quæ cæremonias & Sacerdotium eorum destrueret; sicut infra c. 6: 13.

V. 19. Ὁ δὲ Πέτρος. 4. Apostolorum exceptio seu protestatio adversus sententiam concilij, qua declarant se non posse parere mandato Senatus: ratio est, quia Deo obtemperandum est; qui claro signo ostendit sibi probari doctrinam, & Evangelij prædicationem in nomine Christi Quia verò illi à Deo vocati sunt testes resurrectionis Christi; conscientiam eorum appellant, quid putent fieri oportere, Deo ne magis jubenti, an hominibus prohibentibus parendum sit. Illi vero iterata sententiâ, & minis additis, prohibent iterum; quærunt verò prætextum & speciem ad puniendos eos, sed obstitit favor multitudinis, factum probantis & laudantis Deum, pro liberatione claudi, quæ erat in homine adulto tanto illustrior.

V. 23. Ἀπολυθέντες II. Pars cap. Congratulatio fideliū describitur, cum pia prece ad Deū, pro successu prædicationis Evangelij: cui subjungitur brevis descriptio concordiæ, conuictus fidelium, cum sustentationis ratione

Im

In hac oratione 1. declaratur quibus detulerint hanc ſuam quærimoniam de principum objurgatione & minis; videlicet fratribus in fide & cum his conſultarunt: Non enim potuit non terrorem incutere, paucis & infimæ conditionis hominibus, comminatio & autoritas tanti ſenatus, ac potentiſſimorum principum cohibitio; jubentium eos, pœnâ propoſita, ab incepto deſiſtere. Itaq; rem referunt, non ad aliquem principum, qui ipſis conſilio juvaret, aut ſuâ autoritare patrocinaretur; ſed ad religionis & periculi ſocios ac fratres in fide; & ab his capiunt conſilium.

V. 24. Οἱ δὲ. 2. Conſilium eorum exprimitur: non ſuadent ab incepto deſiſtendum, Pontificibus & magiſtratui obediendum; neceſſitas enim teſtificandi de Chriſto incumbit: *væ mihi* inquit Apoſtol⁹, *niſi Evangelizavero.* 1.Cor. 9:16. Ex mandato. *Eritis mihi teſtes in Ieruſalem*; &c. ſup. c. 1: 8. Matt. 28: 19. Omnibus eadem ſentientibus, unanimiter Deum cœli & terræ invocant, auxilium ſperant, ex datis promiſſionibus: Joh. 16: 23. *Si quid petieritis à patre, in nomine meo, dabit vobis.*

V. 25. & 26. Ὁ διὰ 3. Scripturarum oracula conſulunt; hæc omnia quæ Chriſto ipſisq; contigerunt, per Sp. ſanctum antea fuiſſe præviſa, & prædicta: fide igitur, ſpeq; firma credunt, ſicut præſciente ac permittente Deo, iſta fiunt, ita etiam à Deo dirigi ad ſalutarem finem. Itaq; in Dei moderatoris poteſtate noverunt omnia ſita eſſe, in cujus paterna voluntate confidunt; ac ſperant fore, ut Reges, principes & potentes, qui nunc adverſus Chriſtum ſæviunt; aliquando futuri ſint nutritores & defenſores Eccleſiæ. juxta illud Eſa. 49: 22. & c. 60.

V. 27. Συνήχθησαν. 4. Prophetiam ad præſentia tempo

ra accommodant,& ostendunt se Christi cruce,& afflictiobus præsentibus non offendi, sed magis credere, Christum esse promissum Messiam, in quem hæc omnia quadrant. Respiciunt autem ad exitum talis impetus, & vaticinia sequentia: Dominus in cœlis irridebit eos; & dabit eos hæreditatem filio, cum gentibus usq; ad fines terræ. Contumaces verò confringet tanquam vas figuli. Ps. 2. Unde 5. subjiciunt v. 28. Non impedient, sed promovebunt consilium Dei: Deus enim constituit hoc modo plantare, promovere & salvare suam Ecclesiam. Et quod illi ad tollendã Evangellij, doctrinam meditantur, Deus ad ejusdem promotionem diriget, & amplificationem: sicut infra c. 8: 1. & 4.

V. 29. Καὶ τὰ νῦν. Forma precationis sequitur, & 1. deponunt quærimoniam in sinum omnipotentis; qui cum sit cœli & terræ dominus, potest grassantes impios reprimere, & consilia irrita facere. 2. orant ut robur animis addat, & eos confortet, ut terrore & minis non moveantur, sed in docendo Evangelio pergant. 3. ut virtutibus & prodigijs doctrinam obsignet: quæ sunt documenta validissima ad conversionem; semper enim ad prodigiorum operationes sequitur plurimorum conversio. infr. cap. 9: 42. cap. 19: 10. tota Asia conversa fuit ad fidem ex prædicatione & miraculis Pauli, facta Ephesi.

V. 12. Καὶ δεηθέντων. 4. Effectus orationis describitur; Deusq; signo dato, locum comovit; ipsi verò sentiunt peculiarem Sp. sancti afflatum, ac accenduntur insigni fiducia & alacritate ad prædicandum.

V. 32. Τοῦ δὲ. Alterum membrum huius secundæ partis: Sicut fieri solet, tempore persequutionis, de privatis simultati-

tatibus, si qua sit, nemo cogitat, sed quod societati conducit, ad declinanda communia incommoda. Alia est unio item ex virtute proveniens, quæ sola veram inter homines amicitiam generat; docente Aristotele, 7. Ethic. ad Nichom. Christianorum verò est unitas Spiritus, in vinculo pacis, ex caritate proveniens: cum sit unum corpus Ecclesiæ, & in illo corpore unus Spiritus. Omnes vocati in unam spem, scilicet salutis; quorum unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & pater omnium: Eph. 4: 2. Unus etiam Mediator Christus. 1. Tim. 2: 5. Caritatis regula est, ut nemo quæ sua sunt quærat. 1. Cor. 10: 24. Sic Paulus nou quærit quod ipsi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant: ibidem v. 33. qui est primus effectus fidei. Sic fideles sua omnia in usum publicum contulerunt, ad promovendam prædicationem Evangelij: ut supra cap. 2: 44: qui est alter fidei effectus, & ex priore fluit.

V. 33. Καὶ μεγάλη. Tertius effectus, confidentia in docendo Evangelio, abjecto omni metu & cura rerum temporalium. 4. Sequitur favor hominum, promoventium prædicationem fidei, benedicente Deo, & largiente ipsis gratiam, coram multitudine recipientium fidem Christi.

V. 34. Οὐ δὲ γὰρ. 5. Ex caritatis incremento oritur favor mutuus, ut alij aliorum defectus suppleant, sublevando egentium inopiam. 2. Cor. 8: 13. Peculiare verò erat in primitiva Ecclesia, quod publicatis facultatibus, vel omnibus, vel aliqua parte; pretium in communem usum contulerunt. Causæ superius adductæ fuerunt, cap 2. Præcipua erat ut docentes Evangelium, ipsi inopes, hac ratione sustentarentur, pauperes alerentur, ut vacarent exercitijs fidei Christianæ: Sic ad promovendam Evangelij præ-

dicationem tendebant omnia. Ipsi verò venditis domibus & agris, exilium eligunt, ad propagandam fidem in gentibus nec de reditu cogitant.

V. 36. Ἰωσῆς. Dictus est Barnabas filius consolationis, à Syriaca בַּר filius & נָפַשׁ refecit. Opulentus fuit agri & fundi possessor: hîc primus fundum vendidit, Christianos egentes perplures, opibus suis & liberalitate refecit. Hic infra c. 13. Paulo socius adjungebatur prædicationis apud gentes, Putatur fuisse idem, qui cap. 1: 23. Joseph dicitur, sicut Ἰωσῆς latinè Joseph redditur: Barsabas & Barnabas exiguâ vocis differentia distant. Quamvis Chrysostomus alium fuisse colligat ex hac cognominis differentia. Posuerunt precium ante pedes Apostolorum: ut quos fidei magistros habuerunt, eosdem haberent rerum temporalium dispensatores ac moderatores.

C A P. V.

In prima parte hujus capitis agitur de miraculis, quibus Apostoli fidem Christi confirmarunt. Altera captivitatem Apostolorum describit, cum miraculosa liberatione; ac eorundem examine coram Senatu Pontificum.

V. 1. Ἀνὴρ. I. Pars capitis, & ejusdem pars prior, describit miraculum quoddam Petri in puniendo Anania & Saphira, propter hypocrisin. Narrat 1. peccatum, deinde pœnam. Videntes illustria exempla fidelium qui ex fide in Deum & carirate in fratres, ut supra dictum est, etiam ex singulari studio Divinæ gloriæ, ac propagandæ religionis, bona sua in communem usum contulerunt: Ananias cum uxore, captandæ gloriæ studio, mundana quadã prudentia permotus, instigante diabolo; eandem laudem captabat,

&

& simul sibi prospiciebat in futurum. Nam Iosepho valde erat gloriosa & in sacris literis ad posteritatis memoriam celebrata liberalitas, quæ supra in fine præcedentis cap. describitur: ut & reliquis, qui ex simplicitate cordis hoc modo caritatem suam declararunt.

V. 2. Καὶ ἐνοσφίσατο. Fraudavit celando coram fidelium societate, quod sibi partem precij retinuerit. Sine dubio honesta specie se excusantes, quod caritas à nobis incipiat, rectè itaq; nobis primò esse prospiciendũ postea alijs. Sed Divina gloria in primis quærenda erat: ex mandato; Diliges Dominum Deum tuum super omnia. Deinde magna erat impudentia eorum, qui cum scirent eximijs donis ornatos Apostolos; ac Spiritu Prophetico præditos: metuendum erat, ne rerum absentium conscij, in factum eorum iniquirerent, sicut Eliæsus in factum servi Gehasi. 4. Regum. c. 5. 3. Deus metuendus erat, omnium secretorum conscius. Matt. 10: 26. 4. volebat videri, ex magna liberalitate, totum agri precium, in commune contulisse; ut majorem laudem captaret: quæ erat hypocrisis insignis. 5. Hypocritica fuit fides, quæ de successu ac duratione hujus sectæ dubitabat, sive de cura Divina, etiam visis tot miraculis. Forte etiam obstitit tenacitas & Avaritiæ vitium: Et hæc fuerunt eorum peccata Sequitur pœna.

V 3. Εἶπε δὲ. 1. Severa objurgatio in conspectu fidelim, cum eorum confusione: nulla enim hîc affertur excusatio. Mentiuntur hypocritæ Deo, qui cum aliud præferant, aliud in corde sentiant, Deus tamen horum omnium est arbiter. Insuper ostendit Diabolum mendacij esse autorem, & prava suggerere: Ioh. 8: 44. Non Deo hîc paruit, sed Diabolo talia suggerenti.

V. 4. οὐχὶ. In libera erat ejus potestate agrum non vendere; sed retinere: & postea precium agri, ad voluntatis arbitrium, sibi justè reservare potuisset. Mentitus est igitur Sp. sancto, qui cum sit in ecclesia, sua virtute potuit hanc fraudem detegere: Deinde novit Deum veracem odisse mendacium; & esse omnis fraudis severum ultorem.

V. 5. Ἀκέων. 2. Terror maximus in Anania, repentinam mortem induxit: sicut terror erat præternaturalis, & vis verbi in Petro, sic Divina potestate ac miraculosa Ananias examinimatus concidit. Causa finalis hujus miraculi subijcitur: scilicet, ut discant homines timere Deum, cujus potentiæ rerum natura subijcitur: qui potens est, sicut in reddenda vita & sanitate, sperantibus in eum, sic etiam pœnâ infligenda hypocritis & contemptoribus. Deut. 32: 36: Itaq; ob interitum Ananiæ, territi sunt cæteri.

V. 6. Ἀναστάντες. Additur sepulturæ officium, ut verè mortuum esse omnes intelligant. Juvenes eum efferunt; Sic videmus à primitivæ Ecclesiæ temporibus, fuisse hoc officij genus in efferendis, & humandis demortuis, à junioribus requisitum. Certo autem consilio, in sepeliendo marito pergitur: ut uxor incauta, in facinore deprehensa, pœnâ promerita afficiatur. Consentit in hypocrisi, fit igitur particeps pœnæ.

V. 7. & 8. Ἐγένετο Venit etiam Saphira uxor, plena simulatione, prout cum marito convenit; ea rogata, constanter idem mendaciũ profert: quæ sive à marito persuasa, sive ipsa doli inventrix maritum seduxerit; certè ambo in flagitium consentiunt, & pari pœna puniuntur.

V. 9. ὁ δὲ. Tentaverunt Sp. sanctum: unde colligimus subdubitasse eos, an Apostoli tale factum intelligerent, sug-

ſuggerente Spiritu, qui ipſis miraculorum virtutem tribuit; experiri tamen voluiſſe, putantes eos aut non intelligere, aut ſi intelligant, non tam ægrè laturos; neq; mirum videri, ſi ſibi aliquid in futurum reponant. Tales enim excuſationes diabolus ſuggerit, ad extenuandum peccatum.

V. 11. Καὶ ἐγένετο. Rei novitas & pœnæ magnitudo, fideles in ſtuporem rapit, & terrorem incutit: terrentur etiam qui extra ſunt, ut diſcant honeſte, aut minus iniq; de ijs ſentire, neq; doctrinam contemnere. Præterea, ſi qui ſint, qui ſe huic cætui conjungere velint; hypocriſin & dolum abjiciant, ac in ſynceritate cordis converſentur: deponentes omnem malitiam, dolum, ſimulationem, invidiam, detractiones: Sicut modo geniti infantes, ſine dolo lac concupiſcant; 1. Pet. 2: 1. qui eſt alter effectus miraculi.

V. 12. Διὰ, Singulare hoc erat in Anania: nunc oſtendit ſummatim, conſequutam faiſſe magnam multitudinem miraculorum: adeò ut fama eorum pervaderet omnes, vicinas civitates & regiones; afferentibus hominibus, etiam perigrinis, ægros quam plurimos ut curarentur. Locum publicum nunc eligere audent ſcilicet in porticu templi, ubi populus ad ſacra convenire ſolebat; docentes, & confirmantes doctrinam ſtupendis operibus.

V. 13. Τῶν δὲ. Tertius effectus: autoritas maxima Apoſtolorum, adeò ut, qui extra ſocietatem erant, agnoſcentes virtutem Divinam, in illis, veritatem quoq; doctrinæ; conſcientia peccatorum & pudore retracti; timent ſe illis conjungere, ne forte inſolitũ quicquam ipſis contingeret, aut manifeſtarentur peccata. *Omnis enim qui male agit, odit lucem.* Ioh. 3: 20. Sicut Adam. Gen. 3: 8. plurimi etiam ne à ſynagoga ejicerentur metuebant.

V. 14. μᾶλλον. Quartus effectus, multiplicatio credentium, seu recipientium fidem Christianam: quæ quamvis oppugnaretur ac rejiceretur, à principibus & sapientibus, tamen approbatores invenit, ex promiscua plebe plurimos. Joh. 12:19. *Videtis quia nihil proficimus, ecce mundus totus post eum abit. Verumtamen ex principibus multi crediderunt in eum.* ibidē v. 42, Utpote Nicodemus, Zacharias, Ioseph ab Arimatia, Simeon, Gamaliel, Regulus: Ioh 4. Chusa præfectus Herodis. Luc: 8: 3. & alij. Et infra, v. 28. conqueruntur Apostolos replevisse Ierosolymam doctrina sua. Pervasit etiam fama ad vicinas civitates; multitudo siquidem miraculorum auxit multitudinem credentium, per Iudæam, Samariam & Galilæam; infra, cap. 9:31. Et usq; Antiochiam, & Damascum Syriæ. inf. c. 9: 2. & 13: 1.

II. Pars. In hac parte describitur captivitas & miraculosa liberatio Apostolorum: consultatio deniq; & sententia Senatus Ierosolymitani de ijsdem.

V. 17. ἀναστὰς. Observa 1. Tumultum ordinis sacerdotalis: convenit pontifex & qui cum eo erant, quorum nomina exprimuntur supra, cap. 4: 6. principes scilicet sacerdotum & populi cum toto senatu. Digna verò notatu res est, Pontificem cum præcipuis, fuisse infectos hæresi Sadducæorum; & mortuorum resurrectionem non credere, neq; angelum: quæ erat ordinis Ecclesiastici miserabilis corruptio: prævidit eam & prædixit Sp. sanctus Ezech 7. 29. *Peribit lex à Sacerdote, & consilium à senioribus. Peribit sapientia sapientum.* Esa. 29: 14. Apostoli testantur Christum resurrexisse: Sadducæi omnem resurrectionem negant, Matt. 22. itaq; zelo accenduntur. 2. Et quia superiore exhortatione nihil proficiunt, itaq; nunc eos in custodiam mit-

mittunt, maleficis communem, & ideo ignominiosam.

V. 19. Ἄγγελος. 3. Describitur miraculosa liberatio, & mandatum docendi publicè: Apostoli verò accepto mandato, cum confidentia jussa exequuntur, nequicquam à Senioribus territi, præferentes mandata Divina. Modus quo Angelus carcerem aperuit cum sit supernaturalis; ex naturalibus principijs ostendi aut sciri nequit. Voluit enim Deus hoc miraculo, importunitatem gentis Iudaicæ & pontificum retundere; ostendens hanc doctrinam & testificationem de Christo; esse negocium, cui se Deus immisceat; quod etiam effectum velit, nec permittere, ut ulla humana potentiâ reprimatur.

V. 21. Παραγενόμενος. 4. Conventus Pontificum & concilij convocatio sequitur, cum causæ tractatione adversus Apostolos. Seniores filiorum Israel, erant principes tribuum; seu eorum legati, ut sup. c. 4: 5. Facilis est conjectura quid censverint, in Apostolos statuendum esse. 1. cognitionem ad se, spectare noverunt ex lege Divina; Deut. 17: 8. seq; esse doctrinæ arbitros & rectores ordinis docentium: nemini itaq; permitti publicè docendi munus, nisi ex ipsorum consensu. Deinde, doctrina hæc antea damnata est, & primus autor supplicio crucis affectus. 3. Ipsi quoq; sectatores cum comminatione admoniti, ne quid amplius in hac doctrina pergant. 4. tamen, legis Pontificiæ & Senatus contemptores, in docendo contumaciter pergunt. Iustè igitur in eos animadverti posse, sicut Senatus & legis contempores, usitatæ doctrinæ & pacis publicæ perturbatores, ac majestatis reos: ideoq; carceri publico eos includunt, addita custodia, sicut mortis & extremi supplicij reos, Princeps Sacerdotũ, o-

mnibus principibus tribuū major, officio & dignitate, reliquos principes assessores Synedrij ad cognitione convocat.

V. 22. Οἱ δὲ. Cum jam sit inchoanda actio, inveniunt, clauso & benè munito carcere, captivos evasisse, modo ipsis incognito: qua re audita, obstupescunt; & quid faciendum sit ambigunt. Hoc est, in proposito paulum retradantur, nec audent in destinata crudelitate pergere: injiciente Deo hanc remoram, ut Divini aliquid subesse intelligerent. Deus enim solus naturæ Dominus, vera miracula facit, & naturæ cursum immutare potest.

V. 25. Παραγενόμενος. Admirationem auget Apostolorum audacia, qui posthabito metu periculi & violentiæ principum: Dei protectione freti docere pergunt; & quidem in loco publico: quod ipsis Senatus postea objicit. v. 28. Esset hæc tanta autoritas potentissimo cuiq; formidabilis, ubi supremus senatus, & principes omnes, in unius aut duorum interitum conspirant.

V. .26 Τότε. Profuit autem illis favor populi, jam pluris facientis Apostolos; audita miraeulosa hac, & Divina liberatione: testimonium reddente Deo, innocentiæ eorum, & comprobante doctrinæ veritatem, edito novo miraculo; unde populus magis propendet, in eorum defensionem. Sentit hoc magistratus templi & senatus; & cum sentiunt, defendente populo, violentiæ locum non esse, sine vi, rogantes ut obtemperent, eos adducunt.

V. 27. Ἀγαγόντες. 5. Adducti sistuntur judicio, & ad actionem proceditur.

V. 28. Λέγων. Crimen objicitur: 1. inobedientiæ; cum contra inhibitionem Senatus, antea factam, publicè doceant, in nomine Christi, ac latam legem contemnentes

con-

contumaciter pergant. 2. Non privatim & apud paucos, aut loco à Senatu remotiore, quod esset signum metus, & obedientiæ erga superiores; sed in præsentia multitudinis, ut sit jam civitas imperialis & populosissima, in qua Senatus residet, principes quoq; & ipse Pontifex, repleta hac doctrina, ab omnibus & publico judicio damnatâ, ut blasphema, & adversus Majestatem sediciosa. Matt. 26: 65. *Blasphemavit; quid amplius egemus testibus.* Et Luc. 23: 5. Pervertit gentem nostram, & prohibet dare tributa Cæsari: dicens se esse Christum Regem. 3. Et nos apud populum, mendaciter & contra judicium publicum, etiam à populo approbatum, reos agitis sanguinis innocentis; audaci calumnia, & mortis supplicio digna, jure Gentium. Capitale enim est principes, & Senatores ac judices supremos, falsi criminis insimulare. Hæc est accusationis summa.

V. 29. ἀποκριθείς. 6. loco sequitur apologia Apostolorum, quæ quatvor partibus absolvitur: affuerunt hîc non Petrus & Iohannes soli, ut antea; sed una cum his plures ex Apostolis, quorum maxima pars adhuc mansit Ierosolymis: 1. Generalem regulam objectis criminibus opponunt, quæ communis sensus judicio nititur, & verbo Divino jubente nos id solum facere quod Deus præcipit, neq; ad dexteram aut sinistram ab eo declinare Deut. 5: 32. & c. 12: 32. Apostolos autem mandato Divino adductos esse, ad testificandum de Christo, satis fuit miraculis editis comprobatum: nisi enim Deus doctrinam probaret; eandem miraculis non comprobasset, sicut jam palam est omnibus. Utq; non in contemptum principum hoc faciant: sed ut fiat voluntas Domini; cui cedere tenentur omnes. *Vivo ego, dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu.* Esa. 45: 23.

V. 30. ὁ θεὸς. 2. Mandato Divino incumbit nobis necessitas testificandi de Christo: & nunc testamur, in conspectu rectorum Ecclesiæ, quorum interest hæc scire, Christum à vobis crucifixum vivere, & sedere in gloria patris. Itaq; nos neq; in Deum, neq; in homines peccavimus: vestrum verò peccatum atrox, Deum offendit & hominum saluti obstat. Sic crimen à se avertentes, in ipsos Senatores retorquent.

V. 31. τοῦτον. 3. Hic princeps super omnia constitutus est exaltatus ad dexteram Dei, Divina potestate auctus; Rex Regum factus est, & omnis potestatis supremus Dominus: frustra itaq; ei resistitur. Constitutus est, non ad eversionem politiæ; cnm non sit regnum ejus de hoc mundo: sed ad dandam misericordiam & gratiam conversionis, credentibus in ipsum; ut accepta peccatorum remissione, per nomen ejus; in æternum credentes salventur, donati hæreditate & vitâ æterna. act. 10: 39.

V 32. Καὶ ἡμεῖς. 4. Deus hanc testificationem nostram donis illustribus Sp. sancti comprobavit, in illis qui crediderunt prædicationi nostræ: dando ipsis χαρίσματα Sp. sancti, in donis linguarum & Divini eloquij: neq; enim miraculo caret, quod homines idiotæ, hæc divina mysteria prædicare noverint, ad multorum conversionem. Magnum enim hoc est pietatis mysterium, ait Paulus, 1. Tim. 3: 16. quod etiam stupendis miraculis confirmavit & donis sanationum; ut supra dictum est. Non est igitur metuenda perturbatio status politici & boni ordinis; sed agenda est pœnitentia, à peccatis. Apologia Apostolorum hæc erat.

V. 33. Οἱ δὲ. Sequitur 7. loco, consultatio seniorum

atq;

atq; Pontificum. 1. Audientes responsionem Apostolorum, cum murmure & iracundia fremunt, cædem minitantes. διαπρίομαι disseco, πρίων serram denotat. Sicut in iracundis mutatur sermonis sonus, edito stridore aut murmure, quasi serræ: sicut infra adversus Stephanum. cap. 7: 54: Tum quod antea dubitantes secum statuerunt, de cæde Apostolorum; nunc vident culpam innocentis sanguinis Christi, in se ipsos referri, furore perciti, Apostolos omnino tolledos statuunt: nec opus esse ulteriore consultatione.

34. Ἀναστὰς. 2. Mitigatur furor judicum, intercedente, & aliter suadente Gamaliele: quem describit 1. à dignitate, erat enm Senator seu assessor in Synedrio. 2. Sectâ Pharisæus. 3. ab officio & eruditione: Legis doctor. 4, ab existimatione apud populum; erat enim honorabilis apud omnes. Hic remotis ex senatu paulum reis, (ut fieri solet, cum de ferenda sententia disquiritur) ad Senatores sic incipit.

V 35. Εἶπέ δέ. 1. Exordio temperat affectuum vehementiam; docens non esse agendum præcipitanter, in hoc negocio: sed expectandum eventum ulteriorem, ac videndum quorsum tendat hæc res, homines eos esse non vulgares, sed populo dilectos, & nunc insuper miraculis claros; virtute quadam quasi Divina, ex custodia eductos, cum admiratione custodum ac populi, omniumq; nostrum. Quæ res suspicionem parit, homines Deo curæ esse, atq; Divino auspicio rem geri. Historias deinde, & rerum præteritarum exempla profert: docens hanc dilationem Ecclesiæ & Reip. nocere non posse. Theudas quidam, magus & impostor, ante hæc tempora populo multa

sua.

suasit, ut sumentes substantias suas, sequerentur eum ad Iordanem fluvium; Prophetam se dicebat, posse se fluvium dividere, eisq; transitum præbere. Fadus autem præses Iudææ, Agrippæ in provincia successor; immissis equitibus, seditiosos oppressit: Theudam captum capite plectit. Narrat Iosephus antiqu. l. 20. cap. 4: in quibusdam exemplaribus in fine cap. 2. Euseb. ex Iosepho. hist, l. 2. 10. Tempus hujus refert commentator Eusebij in annum Claudij 4. Christi vero, 46. Iudæ etiam Galilæi menimit idem Iosephus l: 18. cap. 1. & 2. erat is quartæ sectæ autor apud Iudæos, libertatis percupidus, dominum in terris agnoscens mortalium neminem. Hic seditione & tumultibus complevit rempublicam; sub Gessio sive Sestio Floro: propter acerbissimas præsidis injurias, quibus populum ad seditionem permovit. Diebus ἀπογραφῆς: hoc est, cum census ageretur. Incipit Gamaliel à Theuda posteriore, quod suæ ætati esset propinquior; & retrò munerando, Galilæum posteriore loco commemorat, ut remotiorem. Horum institutum non fuit cœlestem doctrinam promovere: sed quia sentiunt adesse tempus à Danele prædictum, sub nomine Messiæ aut prophetæ, socios conquirere, & imperium occupare.

V. 38. Καὶ τὰ. Tertiò, consilium dat tali dilemmate; aut enim institutum hoc Apostolorum est ab hominibus, aut à Deo. Si ab hominibus, & ex cupiditate gloriæ, aut petulantia profectum; facile corruet, sicut superiorum temporum exempla proposita docent. Breviter; Si quis ex propria temeritate & audacia, seu imperandi libidine, Messiæ nomen & dignitatem assumit; sine mandato Divino; Deus sanè omni difficultate remota, poterit hoc consilium,

filium, etiam nobis non adjuvantibus, turbare & evertere; ſicut ſuperioribus exemplis oſtendimus. Sin autem Deus cuiquam ſua autoritate, hanc dignitatem detulerit; non poterit ulla humana potentia, Dei conſilium impedire. Tempus adeſt, & Danielis hebdomadæ ad exitum pervenerunt. Dan. 9. Sceptrum à Iuda ablatum eſt, Gen. 49. Imperium à Romanis occupatum. Ieſus Nazarenus fidem ſuam ingentibus miraculis probavit; probarunt etiam diſcipuli; ſepulcro contineri non potuit: famam nativitatis ejus Magi attullerunt, ex Perſia. Favet populus, & forte ex principibus multi; Joh. 12. Res eò deducta eſt ut ſit incertum, utra pars ſectatores aut patronos plures ſit habitura, ſi vi agendum erit: itaq, attendite & cavete vobiſipſis, ne exitato tumultu, aliquid redundet, in vos ſive periculi, in re dubia; ſive culpæ, ſi tumultu aut ſeditione orta, cauſa hujus in veſtram, ſive impotentiam iræ, ſive crudelitatem nimiam referatur. Hic Gamaliel, Phariſæus ſit licet; apparet tamen ex dato coſilio, initia fidei Chriſtianæ ei non defuiſſe, aut dubitaſſe eum ſaltem, & conſilio interfuiſſe, non ad damnandos Apoſtolos, ſed ut abſolveret, quod etiam eventus oſtendit.

V. 40. Ἐπείσθησαν. 8. Loco; profertur ſententia, & dimittuntur Apoſtoli. Conſentiunt Gamalieli, & acceptant conſilium, ſuæ ſecuritati conſulentes: ac ne videantur Apoſtolorū doctrinam probare, aut antea judicio erraſſe, cædi jubent Apoſtolos, juxta legem, Deut. 25: 1. Deinde, iteratâ ſententia ſuperiore, doctrinam damnant, & prohibent.

V. 41. Effecta hujus actionis 1. Apoſtoli per Sp. ſanctum robuſtiores facti in fide, non terrentur nec triſtantur:

vident Deum sibi adesse, & conatus impiorum impedire. Sed lætantur propter successum doctrinæ Christi, contumelias æquo animo ferunt, quas vident ad Dei gloriam spectare, & confirmationem credentium. Unde ipsi majore confidentia quam unquam antea, pergunt docendo privatim & publice. Cedit itaq; hæc animadversio, non ad impedimentum, sed ad propagationem Christianæ fidei.

C A P. VI.

Continet III. Membrum primæ partis; agitq; de ordinatione Diaconorum & cæde Stephani.

In I. Parte hujus cap. describit Evangelista electionem septem diaconorum; cum occasione, qua moti Apostoli, ad eorum ordinationem sint perducti.

V. 1. *Ἐν δὲ ταῖς.* Tempore persequutionis hujus, quæ continuata diutius, videbatur aliquando magnas calamitates allatura Christianorum cœtui; crevit tamen quotidie credentium numerus. Conferebantur quoq; plurima in commune, ad victum fidelium, more superius recepto; quæ distribuebantur, secundum cujusvis indigentiam; sup. c. 4: 35. curantibus Apostolis. Erant in hac societate Græci; *ἑλληνιστὴς*, Græcorum sectatorem significat; *ἕλλην* græcum natione & gente. Unde intelligimus hos Græcos religione & gente fuisse Judæos, sed in Græcia natos. Erant enim Judæi dispersi per civitates & regiones vicinas, sicut ex itineribus Pauli postea patebit. Murmurabant illi, intellige, adversus Apostolos, & domesticos Iudæos; quia videbant negligi viduas eorum, in ministerio quotidiano: videlicet, quia minor erat sollicitudo & cura directorum de his, velut peregrinis, in distributione quotidia-

na

na rerum necessariarum ad victum: ut plerisq; interpretibus placet. Sive quia non adhibebantur, sicut Hebræorom viduæ, ad ministerium quotidianum; parandi ea quæ ad mensam & convictum fidelium erant singulis diebus necessaria: ut hac ratione illæ, sicut Hæbræorum viduæ victum quærerent, & rebus præessent: distributioni eleemosinarum, informationi juniorum. Ratio hujus sententiæ desumitur ex virtutibus, quas Apostolus requirit in talibus eligendis, 1. Tim. 5: 9. ut quæ filios educavit, hospitio recepit, subministravit, bonis operibus studeat. Vide Chemn. Exam. part. 3. tit. de cœlibatu, cap. 9.

V. 2. Προσκαλεσάμενοι. 2. Tale murmur vident Apostoli, schismatis & tumultus occasionem præbere in Ecclesia; itaq; huic malo medicinam adhibendam esse statuunt, sine mora. Illi igitur, velut primaria societatis membra, multitudinem convocant; Et primo, occasionem erroris exponunt; quia scilicet Apostoli negociorum multitudine, ac docendi labore gravati, œconomiam fidelium, ea diligentia qua oportuit, simul curare nequeunt: nec rectè facere fidelium societatem ostendunt, quæ tantam curarum molem in ipsos conjiciat, quos docendi laboribus solum occupari convenit; ideoq; omnia hac ratione rectè administrari non posse. Sed insuper Evangelicæ prædicationi hoc modo impedimenta objici, cum damno fidelium non minimo.

V. 25 Ἐπισκέψασθε. Secundo, consilium dant de viris eligendis huic negocio idoneis: habeant verò hi testimonium societatis bonum, justitiæ scilicet, probitatis quoq; & fidelitatis, quæ præcipuè in dispensatore requiritur. 1. cor. 4:2. Deinde, qui Sp. sancti donis illustrib⁹ ornati sint; ut ne-

cessitate requirente, doctrinæ opus juvare possint; sicut Stephanus, infra v. 8. Deniq; Sapientiam quoq; requirit, prudentiam scilicet, cum alacritate, in administrandis rebus creditis: quæ dona etiam Sp. sanctum autorem habent; qui operatur omnia in omnibus. 1. cor. 12: 6.

V 4. Ἡμεῖς. Tertio, utilitatem hujus constitutionis innuit; sic poterint Apostoli liberius orationi vacare, & prædicationi Evangelij, talibus scilicet curis levati.

V. 5. Καὶ ἤρεσεν. Placet Apostolorum consilium multitudini; & quemadmodum sine fuco ex simplicitate cordis, id solum proferunt, quod Dei gloriam & Ecclesiæ salutem & commodum respicit: à societate fidelium, candido animo absq; exceptione acceptatur. Notandus est ordo qui in electione servatur. 1. Apostoli electionem multitudini deferunt, ac jubent, ut de viris bonis & idoneis circumspiciant. 2. Multitudo obtemperat, & personas eligit. Non potuit autem in hac electione multum aberrare fidelium societas, quæ habuit personarum notitiam, ex antecedente conversatione: deinde quia collecta erat hæc multitudo, non ex sola fece plebis, sed etiam ex Sacerdotibus, infra v. 7. ex Senioribus & Pharisæis. Ioh. 12: 42. quales Nicodemus & Ioseph ab Arimathia: interfuerunt etiam discipuli Chtisti. Nam (ut refert Epiphanius l. 1. tom. 1. in fine:) fuerunt hi septem Diaconi ex 70. discipulis; itaq; discipuli cæteri interfuerunt electioni. 3. Electio sine strepitu ac contentione peragitur; scilicet, ex caritate publicæq; utilitatis, ac Divinæ gloriæ studio. 4. Multitudo electionẽ suam cũ personis designatis, Apostolorum judicio & aprobationi committit. 5. Apostoli electos confirmant, oratione ad Deum præeundo multitudini, pro augmento

do-

donorum & aſſiſtentia Sp. ſancti, in peragendo officio, ad Dei gloriam, & utilitatem credentium. Nulla hîc æmulatio, contentio, ambitio; abeſt lucri,& propriæ gloriæ ſtudium, nemo ſuperiorum aut inferiorum contemnitur; ſolius Dei gloria quæritur: itaq; feliciter electio peragitur. Manuum impoſitio, ut eſt ritus hominum arbitrio adhibitus,ad certos reddendos eos qui ordinantur, ita hominum arbitrio adhiberi vel omitti poteſt: præſtat tamen retinere modum uſitatum Apoſtolis, propter autoritatem & vetuſtatem. Fabuloſum verò eſt & magicum imprimi hoc ritu characterem indelebilem ordinato, juxta Papiſtas, cum de tali effectu Scriptura taceat.

V. 7. Καὶ ὁ λόγος. Fructus hujus ordinationis, & prædicationis, uberrimus ſequebatur; aucto plurimum credentium numero: deinde, Sacerdotum multa turba, hoc eſt, numerus inſignis, fidem Chriſti recepit quorum exemplo cæteri ducebantur. Sequitur enim promiſcua multitudo eos, qui legis Divinæ ſcientia præſtant, & docendi munere funguntur: ſicut ex adverſo multum obſtat fidei infirmorum, pertinacia doctorum, qui faciunt multos impingere in legem: Mala. 2. 8. ideoq; gravior erit eorum condemnatio. Matt. 23.

II. Pars orditur hiſtoriam S. Stephani. v. 8. Stephanus ante ordinationem, dicitur plenus fide & Sp. ſancto: illuſtrior erat in ipſo fides, & dona Sp. ſancti in illo magis conſpicua, quam in multis alijs; quanta maxima homini contingere poſſent. Nunc in officio conſtitutus, propter fidelitatem, & æquitatem carus fit omnibus; etiam ob inſignem fortitudinem in periculis, tam in officio, quam in confeſſione & doctrina Chriſtiana, omnibus admirabilis &

dilectus: etiam propter dona miraculorum, quibus claruit præ alijs in Ecclesia.

V. 9. Ἀνέστησαν. Stephanum propter virtutis excellentiam, invidia & prima tentatio Diaboli concutit, ut eo represso & domito, cæteri conticescant; atq; Evangelicæ prædicationi remora injiciatur. Adversarij erant ex synagoga quæ dicitur Libertinorum, ut quibusdam placet; qui Chrysostomi autoritate moti, putant hos fuisse Judæos, bello captos, aut aliàs jure gentium servos factos, & postea manumissos. Oecumenius putat fuisse Lybios, aut alios à patria appellatos: sed ignotum est talis regionis nomen. Ex textu apparet, fuisse quandam scholam, seu synagogam, pro peregrinis Romanis, Asiaticis, Græcis, Ægyptijs, institutam Hierosolymis; in qua peregrini & advenæ in Lege Divina, & riru Iudaico informabantur; in qua fuerunt sine dubio, viri in omni hnmana & Divina scientia doctissimi: floruit enim circa hæc tempora literarum studium in Græcia, Ægypto, Syria, quam maximè. Cepit verò disputatione persequutio, postea violentiâ peracta est; more usitato hæreticis: sic Christum Pharisæi, cum disputando vincere non possent, lapidibus petunt, Ioh. 8.

V. 10. Καὶ οὐκ ἴσχυον. Virtus Sp. sancti in Stephano validè se exerit, & dat specimen altioris sapientiæ, quam ejus, quæ ex humana industria, viribusq; naturæ paratur: juxta promissionem Christi, Matt: 10: 19. *dabitur vobis in illa hora quid loquamini:* Et Luc. 21: 15. *Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterint contradicere.* Divina enim sapientia, omnem humanam sapientiam longissimè superat.

V. 11. Τότε. Alter iniquitatis modus, quo Stephanum adoriuntur; calumniâ siquidem & falsis testibus, ipsum blas-

blaſphemiæ inſimulant; in Deum, ut impium & prophanum, & in Moſen velut patriæ religionis contemptorem, & in legem Divinam contumelioſum. In hunc modum traducentes Stephanum, conantur ipſum populo & principibus inviſum reddere.

V. 12. Συνεκίνησαν. Tertiò; hac ratione concitato in Stephanum odio plebis, poſtea ſeniores & ſcribas: hoc eſt, ſuperiores Eccleſiaſtici & politici ordinis accendunt. Hinc Sephanum tumultu facto correptum, vi adducunt in concilium, & innocentem, calumnia prægravatum, iratis, odioq; inflammatis judicibus committunt.

V. 13. Ἔστησαν. Quartò, proceſſus deſcribitur. 1. Accuſatio proponitur, & blaſphemiæ criminis reus agitur: loquitur verba, ſcilicet contumelioſa, adverſus templum, ſacrificium, ritus, religionem antiquam, quam Deus per Moſen patribus tradidit, ipſiq: per manus acceptam à majoribus, ad hunc uſq; diem religioſè ſervarunt. Quam etiam in poſterum, & in perpetuum ſervandam putant, propter autoritatem Moſis, qui teſtimonio Divino inter Prophetas poſteriores non habuit parem. Deut. 34: 10. *Poſtea non ſurrexit Poprheta in Iſrael, ſimilis Moſi, &c.* Deinde propter mandatum Divinum, Exo. 19:5. Deut. 5:6. cap. 6:4. 12:32. &c. Et propter comminationes, in locis citatis. etiam Deut. 27. 28. & alias ſæpius repetitis. 2. Falſos teſtes talium verborum producunt, ne quis vanam hanc accuſationem eſſe putet. 3. Pertinaciæ ipſum, accuſant; qui exhortatione, informatione, diſputatione, argumentorum ac rationum evidentia non movetur; nec ceſſat.

V. 14. Ἀκηκόαμεν. 4. Formalia verborum Stephani proferunt, ad majorem certitudinem, & evidentiam rei.

Sed

Sed est in accusatione dolus insignis. 1. enim; quod Stephanus de ceremoniarum & sacrificiorum abrogatione dixit, illi de universæ, etiam moralis legis abolitione accipiunt. 2. Iustificationem per fidem Christi, quantumvis ex Mose probatam, ac miraculis confirmatam, ut blasphemam rejiciunt. 3. Legis ceremonialis finem pervertunt: ponunt enim in salutis merito, quod umbræ saltem rationem habet; quæ singula in hac actione fuerunt κεινόμενα, cum Stephano, quæq; ipsi ut certa & definita accipiunt. 4. Templi destructionem maximè urgent, undè maximi fuerunt judicum reditus: ut Stephani causam gravent, & Senatum in ipsum commoveant. Cum Stephanus & Apostoli, de ipso templo adeo solliciti non essent, quam ut docerent sacrificiorum & typorum umbras Christum præfigurasse, & in ipso terminari. *Lex enim & Prophetæ usq; ad Johannem prophetaverunt:* ait Christus Matt. 11: 13. Fieri etiam potuit, quod vaticinium Christi de excidio templi & Ierosolymæ, Luc. 19: 43. & 21. 5. fidelibus aliquando insinuaverit: quod postea sub Vespasiani filio contigit.

V. 11. Καὶ ἀτενίσαντες. Hoc est, intentis oculis in faciem Stephani intuentes, vident ipsum, ex objecto crimine nihil moveri, aut pallescere: ut solent rei qui culpam agnoscunt, pœnæ metu, Lucet verô aliquid divini in facie Stephani, cum aliqua formidine intuentium; ut fit in visione Angelica. Quo licet obstupescant judices, Sthephanum tamen non absolvunt.

C A P. VII.

In quo apologia Beati Stephani describitur, cum reprehensione incredulitatis, gentis Judaicæ; quam sequitur

cæ-

cædes Stephani. Tribus itaq; partibus hoc caput absolvitur.

In I. Parte breviter recitat historiam Abrahami & patriarcharum, Mosis quoq; & patrum in deserto.

V. 1. Ἔπε δὲ. Princeps Sacerdotum, audita accusatione & falso testimonio adversus Stephanum; quamvis antea damnare Sephanum constituit; tamen ne videatur in reum iniquus, respondendi partes ei offert.

V. 2. ὁ δὲ ἔφη. Incipit Apologia Stephani: qui ne videatur in Deum aut Mosen contumeliosus, fidem suam exponit, & ostendit eam à fide Iudæorum non dissentire. Facit hoc cum honoris & veniæ præfatione, orans, ut ipsum cum patientiâ audiant: majores natu & dignitate, patres, æquales frates appellando, eos officij admonet & benignitatis exercendæ in judicio. Deum gentis Iudaicæ Deum gloriæ confitetur; hoc est, omnis boni autorem in creaturis, & in gente Iudæorum; qui gentem illam præ alijs, ex sola sua misericordia elegit. Historiam itaq; vocationis Iudæorum pertexit, commemoratis simul insignibus beneficijs Divinis, exorsus à vocatione Abrahami, usq; ad Salomonem continuat: ostendens se eandem fidem cum Iudæis profiteri. Dicit beatus Stephanus, vocatum fuisse Abrahamum, in Mesopotamia antequam veniret in Haran. sive id factũ sit per patriarcham Sem, Noe filium, adhuc superstitem; sive occulto instinctu Divino, suadente profectionem, sive expresso mandato; id enim Moses non exprimit. Achior, in lib. Iudith cap. 5: 7. Dicit eos noluisse sequi Deos Chaldeotum, & habuisse insuper mandatum Divinum, & ideo migrasse. Unde Agustinus lib. 16. cap. 13. de civit. Dei, colligit, domum Thare persequutio-

nem passam à Chaldæis, pro vera pietate, qua unus & verus Deus ab eis colebatur. Certum est autem ex Dei ipsius testimonio, quod extat Ios. 24: 2. Thare patrem Abrahami coluisse Deos alienos, sine dubio etiam domesticos ejus & Abrahamum: quem Deus, nullo præcedente merito ejus, ex sola sua misericordia, eduxit ex Chaldæa, in terram Canaan. Quæ verba cum his beati Stephani planè consentiunt. Epihpanius initio operis de hæresibus, dicit hunc Thare primum fuisse statuarum formatorem: cum antea coloribus & pingendo idola finxerint. Consentit Suidas in voce Abraham. Qui verò negant Thare idololatram fuisse, quia persequutionem passus est, nolens in idolorum cultum consentire; falluntur, verbo Divino contradicentes: potuit enim postea à Deo vocatus & conversus, à religone paterna dissentire. Quæ ex Philone contra afferuntur, ad rem non faciunt. Et S. Stephanus etiam hìc v. 3. in terra Chaldæorum Abrahamum vocatum fuisse docet. Notat Stephanus gratuitam vocationem Dei, qui sua gratia complexus est domum idololatricam, & Abrahamum ex media idololatria eduxit, & amplissimis promissionibus beavit. Gen. 12: 1.

V. 4. Τότε. Deinde, Obedientiam Abrahami describit, qui nihil moratus, Deo paruit.

V. 5. Καὶ οὐκ. III. Magnitudinem fidei in Abrahamo commendat. 1. credidit Deo promittenti terram. 2. cum tamen suo tempore in hac terra nullum vestigium possideret. 3. cum nec filium haberet hæredem. 4: ipse centenarius: uxor efœta. 5. cum posteritatem exilio præmendam sentiret, annis quadringentis.

V. 8. Καὶ ἔδωκεν. 6. Grave & molestum, omnibusq; gentibus,

tibus invisum cricumcisionis signum suscepit, quæ objecta singula, gravia & molesta, fidem Abrahami convellere potuissent; nisi Deus singulari gratiâ ipsum fuisset complexus, eumq; miraculis & crebra promissionum repetitione confirmasset. Sicut & Moses commemorat, Gen. 12. & sequentibus. Hinc Abraham Paulo dicitur pater credentium. Rom. 4: 11. qui cerdidit contra spem in spem. v. 18. Hinc patet Abrahamũ Deo dilectum fuisse ante latam legẽ ante ritus & sacrificia; post vocationem verò justũ declaratum ex fide. *Credidit Abraham Deo & reputatum est ei ad justitiam.* Gen. 15: 6. Et Rom. 4: 20. *Non hæsitavit diffidentiâ; sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quæ promisit: potens est & facere.* Nitebatur igitur fides promissione, benedictionis primũ in venturo semine: deinde numerosæ posteritatis, & possessionis terræ Canaan. Fide itaq; ad Deum conversus & justificatus, jam Deum diligere cepit eiq; obedire. Hæc est religio antiquissima, ante templum ante legem & omnes ritus Mosaicos, quod Iudæi negare non possunt; quam habet etiam Stephanus cum ipsis communem: quam etiam Abraham in posteros propagavit: quam post Abrahamum tenuerunt Patriarchæ, Isac, Iacob, & filij eorum.

V. 9. Καὶ οἱ. Altera pars narrationis, Iosephi historiam perstringit; quem à fratribus oppressum & venditum, Deus merâ sua gratiâ ex servitute eripuit, & Dominum Ægypti fecit. Quæ liberatio per somnium ipsi Divinitus patefacta est, cui etiam fidem adhibuit; etiamsi, à fratribus irrideretur. Fide itaq; periculum evasit, & dominus Ægypti factus est. Insuper etiam, somnij & prioris apparitionis veritas ipsi confirmata est, qui posteaDominus patris

& fratrum suorum effectus, jisq; nutricius constitutus fuit in maxima annonæ difficultate.

V. 15. Κατέβη. Eadem fide Iacob descendit in Ægyptum, agnoscens mirabilem Dei dispositionem, qui Iosephum præmisit, ad procuranda ipsis necessaria vitæ: nec dubitavit peregrinus fieri in terra aliena, juxta revelationem Abrahamo factam: Gen. 15:13. sup. v. 6. certissimè sciens, quod qui eos in terram alienam, mirabili hac dispositione traduxit; potens quoq; erat eos reducere, in terram promissam. In hac fide mortui sunt patriarchæ, in terra aliena; cupientes sepeliri cum fideli Abraham, in terra promissionis: Gen. 47:29. & c. 50:24. atq, ita declarantes, se certissimam spem tenere, adipiscendæ hæreditatis promissæ; temporalis, scilicet, & æternæ. Heb. 11:22.

V. 17. Καθώς. Tertia pars narrationis, complectens historiam Mosis: & 1. describit nativitatem & educationem Mosis. Tempus promissionis, est terminus quadringentorum annorum exilij, definiti supra, v. 6. Gen. 15:13. Signum Divinæ benedictionis fuit, insignis multiplicatio gentis, etiam sub servitute: cum contra soleat populus servitute pressus, non multiplicari, sed imminui & ad paucitatem redigi. Vera insuper fit prædictio Divina, de servitute, qua præmendi fuerunt Israelitæ in Ægypto.

V. 20. Ἐν ᾧ. Continuatur fides eadem promissionum, in parentibus Mosis, qui spe liberationis infantem domi occultarunt. Deus autem Mosi puero nihil merito, dedit gratiam coram filia Pharaonis, ut educaretur in omni disciplina liberali: unde factus est Moses omnibus conspicuus, sapientia sermonis, & industria singulari, rerum gerendarum.

V. 23. Ὡς δὲ. 2. Tranſitum Moſis ad Iſraelitas, & liberationis ſtudium deſcribit. Ex eadem fide potiundæ promiſſionis, Moſes neglectis opibus Ægypti, maluit pauper eſſe cum populo Dei, Heb. 11: 24. Et relictâ aula Pharaonis, Iſraelitis ſe conjunxit: annos quadraginta jam natus, juſta ſcilicet ætate, ac maturâ rebus gerendis. Cum inſuper in omni humana ſapientia informatus eſſet: potens verbo & opere, aulica quoq; diſciplina & vita habilis factus; ut multitudini præeſſe poſſet, gentemq: ſuam ſervitute eripere. Nec habuit gens Iudaica, ſervitute preſſa, ſimilem, quem ſibi præficeret.

V. 24. Καὶ ἰδὼν. Cauſam quare Ægyptium interfecerit, ipſe adhuc privatus, neq; adhuc conſtitutus dux populi; poſtea exprimitur. Putabat enim intelligere Iſraelitas, hæc dona eximia ei collata eſſe divinitus, circa tempus liberationis à Deo definitum, ut ipſo duce eriperentur è ſervitute: ideoq; velut homo eximiæ autoritatis, etiam Iſraelitas ſequenti die litigantes reconciliare ſtuduit. Fecit igitur iſta Moſes, non nocendi ſtudio, aut ut injuriam inferret: ſed fretus promiſſione liberationis, & vindictæ in Ægyptios, oppreſſores gentis Iudaicæ: non ex privata vindictæ cupiditate, ut homicida, ſed motu quodam heroico, ſicut Pinees, Num. 25: 7. Divinitus excitatus, qui fidem ac memoriam promiſſionis menti ipſius ingeſſit, qui annis quadraginta curâ fratrum neglectâ, nunc incipit de liberatione cogitare: unde ſupra, v. 23. Cum Emphaſi dicit beatus Stephanus, tales cogitationes mentem ejus ſubijſſe.

V. 27. ὁ δὲ ἀδικῶν. 3. Cauſam exilij & exilium ipſum Moſis commemorat. Magna ingratitudo deſcribitur gen-

tilium Mosis: qui eum zelum declararet, & studium insigne liberationis eorum ex servitute; tamen ab ingratis & impijs repellitur: & insuper in capitis discrimen adducitur, ac perpetrati homicidij reus agitur. Unde ipse territus maluit in exilium ire, quam apud Regem homicidij simul & perduellionis accusari. Duo enim insignia crimina ipsi objiciunt; Quia à Rege non constitutus, principem se facit magnæ multitudinis Israelitarum, eosq; ad seditionē sollicitat: deinde, quod cum publica autoritate careat, morte tamen in Ægyptium vindicat; quod cum iterum tentet perpetrare, non caret res illa seditionis suspicione.

V. 30. Punit hanc ingratitudinem Deus, producendo tempus servitutis annis quadraginta: toto scilicet tempore exilij Mosis: cum antea dicat appropinquasse tempus liberationis. sup. v. 18. 4. Mosis vocationem recenset, & quomodo à Deo constitutus fuerit dux populi, repellentis ipsum: per quem tamen Deus populum suum ex servitute liberavit. Angelus qui Mosi apparuit, fuit filius Dei, qui etiam euntes præcessit & comitabatur in deserto: sicut explicat Paulus: 1. Cor. 10: 4. Quem etiam hoc nomine notat Patriarcha Iacob; Gen. 48: 16. Qui etiam *Angelus testamenti* dicitur, Mala. 3: 1. Et *Angelus faciei ejus*, Esa. c. 64: 9. Terra Madian vicina fuit terræ Amalechitarum, ab orientali parte maris rubri, non procul distante monte Sina: hîc Deus ostento Mosen excitatum vocavit: ut esset Dux populi Israelitici per desertum.

V. 32. Ἐγώ. Quis sit indicat, docetq; se esse eundem, quem coluerunt Patriarchæ; revocans Mosen ad promissio-

ſiones patribus datas, de hæreditate terræ Canaan, & liberatione ex ſervitute: ut ſupra, v. 6.

V. 33. Εἶπε δὲ. Præceptum de ſolvendis calceamentis devotionem ac venerationem exigit, cum reverentia numinis. Aug. T. 10. de ſanctis Apoſtolis, ſermone 1. c. 6. calceamenta, pecorum mortuorũ exuvias, mortuis operibus cõparat, terram ſanctam Eccleſiæ, in cujus medio eſt Deus.

V. 34. Ἰδὼν. Vocatio ipſa deſcribitur; cauſſa additur, quia Deus miſericordia motus reſpexit afflictionem populi ſui, & recordatus eſt promiſſionis patribus factæ. Deinde, exaudire conſtituit preces & gemitus invocantium Deum, ex fide promiſſionis. Nam licet multorum magna fuerit contumacia, adverſus Moſen & adverſus Deum: tamen in hac multitudine fideles erant aliqui, qui peccata agnoſcentes, in fide promiſſionum Deum invocabant. Et Moſes, relictis opibus Ægypti, etiam exul, in fide adipiſcendæ promiſſionis perſeveravit; quæ conſtantia in fide Deo placuit, ut ipſum ducem populi ſui eligeret.

V. 35. Τοῦτον. 5. Pars Narrationis in qua incipit relationem paulatim inſtituto accommodare, & transferre ad ſequuturam reprehenſionem. Intendit verò oſtendere, ex moribus gentis Judaiçæ, Chriſtum non idcirco Meſſiam non eſſe, qnia à primoribus populi Iudaici rejicitur; ſicut Moſes non ideo à Deo rejectus eſt, quia ipſum Iſraelitæ rejecerunt: ſed Deo ipſum vocante, conſtitutus eſt vindex in Ægyptios, & libetator populi Dei, ac dux per deſertum; nequicquam repellentibus, ac murmurantibus adverſus ipſum Iſraelitis, in Ægxpto & in deſerto. Punijt enim Deus contumaces pœna horribili: ut docet Paulus 1. Cor. 10. Et propoſitum ſuum per Moſen continuavit: tribuens

ei

ei autoritatem, signis & miraculis terribilibus, ad Pharaonis & omnium contumacium internecionem.

V. 37. οὗτός ἐστιν. Deinde vaticinium ipse edidit de venturo Messia; quem Deus præfinito tempore exhibuit.

V. 38. οὗτος. Tertio, inter illustria facta, quibus Deus Mosen glorificavit; est, quod Moses acceperit legem, à Deo ipso conscriptam, in Horeb. Lex dicitur verbum vitæ: quia qui fecerit hæc vivet in eis. Lev. 18: 5. *Finis enim legis Christus.* Rom. 10: 4. Aliás lex, extra Christum est *ministerium mortis*, ut docet Paulus, 2. Cor. 3: 6. Per accidens lex damnat, mortificat, terret, fructificat morti in fidelibus; propter concupiscentiam & infirmitatem carnis: sicut hanc quæstionem prolixè persequitur Apostolus, Rom. 7. Interim beatus Stephanus hîc respicit simul, ad legem & ad promissionem datam per Mosen.

V. 39. ᾧ οὐκ. Iterum reprehendit contumaciam populi Iudaici, qui quamvis viderunt hæc miracula, in Ægypto & in deserto, Deumq; ipsum Mosi loquentem audirent; tamen retro aversi sunt, cupientes reverti in Ægyptum. Num. 14: 1. facientes sibi idola, in morem Ægyptiorum. Exo. 32. Sicut Ægyptij olim vitulum Isidem coluerunt. Adorarunt etiam idola gentium, per quos transierunt; Moloch, qui dicitur Deus Ammonitarum. 3. Reg. 11: 7. & 33. Cujus tabernaculum gestandum susceperunt in deserto, relicto tabernaculo Dei: Stellas insuper coluerunt & militiam cœli; sicut eos Deus accusat per Prophetam Amos. cap. 5: 26. Unde hæc desumpta sunt כִּיּוּן in Hebræo est, quod Pagninus vertit Saturnum: Septuaginta Remphan: quos sequutus est Lucas.

V. 44. Ἡ σκηνή. Quarto, clarificavit Deus Mosen, per ipsum

ipsum extruendo tabernaculum,& constituendo ritus, juxta quos coli voluit : quæ & patribus tradidit, ipsiq; per Iosvam introducti, in possessionem terræ promissæ,servanda susceperunt, usq; ad tempora David, & Salomonis, qui templum extruxit. Sic Beatus Martyr, honorificè de Mose loquutus, & de beneficijs à Deo præstitis genti Israeliticæ, palam ostendit calumniam esse manifestam, quæ ipsi supra impingitur, de contumelia in Mosen dicta. Ostendit quoq; eandem cum patriarchis se fidem tueri.

V. 48. Ἀλλ' ὐκ. Ultima pars apologiæ, quæ est de templo: non ille blasphema loquitur, adversus locum illum sanctū, sed sublimiora de Deo cogitat, quā ut templo credatur includi: quasi alio in loco coli aut inveniri nequeat, qui omnia continet, omnia complet in cœlo & in terra. Licebit igitur omni in loco Deum adorare; modo in spiritu & veritate. Ioh. 4: 24. Hanc quoq; ostendit patrum & prophetarum fuisse fidem: Salomon fatetur cœlos cœlorum Deum comprehendere non posse, multo minus templum. 3. Reg. 8: 27. Esaias quoq; c. 66: 1. Tacent Sacerdotes & principes populi huc usq; non possunt negare; nec contradicere: omnibus nota protulit, nullam contumeliam loquutus, neq; in Deum, neq; in Mosen, neq; adversus templum aut ritus: fidem antiquam professus est, scripturarum fundamentis roboravit, nihil inveniunt quod reprehendant.

V. 51. Σκληροτράχηλοι. II. Pars capitis, continet severam objurgationem Pontificum & seniorum populi, assidentium in iudicio; cum sequente tumultu, & cæde Stephani. 1. Reprehendit eos, quod sint dura cervice, sicut taurus indomitus, cujus cervicem jugo aut loris flectere

nequeas. Utitur verbis Sp. sancti, qui Israelitarum contumaciam his verbis sæpius castigavit. Exo. 32: 9. 33: 3. & 5. Et 4. Reg. 17: 14. At non obediverunt, sed induraverunt cervices suas, sicut fecerunt patres eorum, qui non crediderunt Deo suo; Sicut de hujus gentis contumacia loquitur Moses; Deut. 31: 27. Sic Christus Matt. 23: 31. *Filij estis eorum qui Prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram patrum vestrorum: serpentes, progenies viperarum.* Et v. 37. *Jerusalem, Jerusalem quæ occidis Prophetas*: &c. Sic Jer. 6:10. *Incircumcisi auribus*, dicuntur; & cap. 9: 26. *Tota domus Israel, incircumcisi sunt auribus.* Maluit enim Spiritus sancti verbis uti, ut corda & conscientias magis feriret, & ut altius penetraret admonitio. 2. Accusat eos peccati in Spiritum sanctum, quia oblatam gratiam Divinam rejiciunt, & operationi Sp. sancti resistunt. Sicut Matt. 12: 31. etiam à Christo salvatore reprehenduntur, quod contumeliâ insuper afficiant Sp. sanctum. 3. Quod insistentes vestigijs patrum suorum, consentiant in peccata eorum, & reatum super se inducant delicti eorum; secundum judiciũ Christi. Matt. 23: 35. Et Dei, *visitantis iniquitatem patrum in filios*; Exo. 20: 5.

V. 52. Τίνα. 4. Exemplo rem probat, primò ab iniquitate patrum, qui persequuti sunt prophetas: & eos qui Messiæ adventum prædixerunt, morte affecerunt; historia nota est, probatione non eget. Deinde ostendit filios nunc viventes, patribus nihilo meliores esse: qui Messiam exhibitum à Deo, & illustribus miraculis probatum, iniquè sustulerunt: Quod scelus ipsis à Christo antea fuit objectum, Matt. 23: 30.

V. 53. Οἵτινες. 5. Qui acceperunt legem, in Dei & sancto-

ctorum Angelorum illuſtri ac formidabili præſentia: in igne, tonitru, tuba, voce terribili, ut terra & mons Sina commoveretur: Exo. 19. Nec potuit hæc vox Divinæ legis, ſeu viſio & præſentia Dei, in cor ipſorum deſcendere, & tam altas radices agere, ut ſervaretur ab his, qui iſta præſentes viderunt: multo minus à poſteris: Ioſ. 2: 7. Tollit igitur omnem gloriationem eorum, quæ eſt in circumciſione, in templo, patribus, prophetis, teſtamento, fœdere, lege: circumciſio enim non prodeſt, incircumciſis corde, quam Deus non minus requirit: Deut. 10: 16. *circumcidite igitur præputium cordis veſtri: & ne ſitis duræ cervice.* Patres non proſunt, fœdus Dei rejicientibus. Nec Prophetæ perſequutoribus; & his quî vaticinia nõ curant, qui Meſſiã non recipiunt: ſic Templum & ritus non proſunt, niſi his, qui legem ſervant, & eam ad antitypum Meſſiam referunt; Lev. 26: 31. Ier. 22: 5. extra quem non eſt ſalus in ritibus, aut propitiatorio antiquo. Sic Lex non juſtificat eos, qui Legem non ſervant.

V. 54. Ἀκούοντες. Secundo, deſcribit iniquitatem horum judicum, qui audita veritate, convictiq; in conſcientia, contra mutire non poſſunt, nec ſaltem ad ſpeciem ſe excuſare; neq; etiam recipiſcunt peccatum agnoſcentes: ſed indurati magis, in furorem vertuntur, ſigno furoris edito, dentium ſtridore; quæ affectuum impotentia, aliena eſſe ſolet, ab æquis judicibus.

V. 55. Ὑπάρχων, Tertiò, Stephanum quomodo affectus ſit oſtendit: ipſe in hac rerum perturbatione, in iniquorum manibus conſtitutus, mortemq; ſibi paratam ſentiens, in Deo quærit refugium, quem ſpe firma compellat, in cœlum reſpiciens: confortatus Sp. ſancti gratia, confeſ-

sionem non revocat, sed in fide perdurat; sicut Paulus 2. Tim. 4. sibi gratulatur, quod ipsum Deus servaverit ab ore Leonis, hoc est, à terrore Diaboli, ne in mortis periculo deficeret. Confortavit ipsum Deus, visione cælestis gloriæ; & Servatoris sui Iesu Christi, ad hanc divinam gloriam exaltati, ne frustra in ipsum crediderit. Visus est idem Saulo inf. c. 9: 3. ad terrorem. Et cap. 22: 6. ad confirmationem: ut certa sit & infallibilis fides nostra in Christum.

V. 56. Καὶ εἶπεν. Admirabilis beati Stephani constantia; qui in mortis periculo constitutus, non veritus est, hanc suam visionem adversarijs edere: ex caritate insigni, ut furibundos ab errore revocaret. Et quamvis certissimam mortem sibi paratam videt, testimonium tamen edidit, ut in conscientijs eorum stigma relinqueret; ut cum deinceps, morte ipsius sedata fuisset vindictæ cupiditas, ipsiq; animum collegissent, postea de hac martyris constantia & visione cogitarent. Itaq; etiam ex hac eadem caritate pro ipsis orat, inf. v. 60. A dextris Dei Iesus consistit, hoc est, in Divina majestate, potentia, gloria: ut experimento ostendat quod Petrus prædicavit, supra cap. 4: 10. & cap. 3: 13. & 2: 32. Qui potens est reprimere omnes adversantes sibi; & salvare omnes credentes in se: qui etiam judex constitutus est in extremo die. inf. c. 17: 31.

V. 57. Κράξαντες. Quartò, furor judicium & populi describitur, qui hac Divina revelatione non moventur, sed quia pro blasphemia habent omnia, quæ de Iesu ab ipsis interempto, piè Stephanus loquitur, itaq; aures obturant, ne audiant: Et hanc gloriosam Stephani testificationem, pro contumelia in Deum, & sufficiente damnationis causa acci-

cipiunt, malè torquentes legem in blaſphemos & ſeducto-res latam, Deut. 13: 6. Et in idololatras, Deut. 17: 2. Ubi etiam teſtibus injungitur, ut ipſi primi in damnatos lapides mittant, poſtea populus. Clamore autem & tumultu omnia peragunt: cum judicibus errat multitudo, omnes unà impetum faciunt, extra civitatem, ad locum ſupplicij protrudunt, lapidibusq́; ſanctum & innocentem obruunt. Quod verò teſtes depoſuerint veſtimenta, cauſa eſt, quia ipſos juxta legem primos manum adhibere oportuit, ad inferendum ſupplicium. Ut verò eſſent ad opus iniquum expeditiores, tunicas deponunt, quibus longioribus Iudæi utebantur: & quidem ad pedes Saulis, quia ipſe in mortem Stephani conſenſit. inf. c. 8: 1. qui etiam hoc tempore Chriſtianos magno zelo preſequebatur: inf. c. 22: 3.

V. 59. Καὶ ἐλιθοβόλουν. Fidei conſtantia in Stephano commendatur, qui autoritate tanti Senatus, & illuſtrium virorum, non movetur, nec dubitat, ſed fidem quam profeſſus eſt, morte obſignat, primusq́; pro fide Chriſti, in novo teſtamento, ſanguinem fundit: non metuens eos qui corpus occidunt, modo animam ſalvam teneat, in fide & conſcientia bona; quam etiam Chriſto ſervatori in quem credidit, commendare non dubitat. Qui ipſe in cruce moriens, Deo ſpiritum commendavit.

V. 60. Θεὶς δὲ: Orat beatus martyr pro inimicis; ſic in rebus omnium difficilimis, magiſtri ſui monita & exemplum imitatus, uſq́, ad mortem in fide perſtitit. In fide inſignis caritas lucet: quia ſi cauſam reſpicias, cur ſe morti tradere beatus Stephanus non dubitaverit, apparet fuiſſe caritatem Chriſti, pro cujus gloria certabat, adverſus ejus hoſtes infenſiſſimos & potentes, quam dilectionem ſuam

etiam morte testari voluit. Altera causa fuit dilectio fratrum, quos in fide confirmare etiam inimicorum & incredulorum, quos ab impietate & errore revocare studuit.

C A P. VIII.

SEquitur sectio quarta prioris membri hujus historiæ, de persequutione Hierosolymitana, fidelium dispersione; de Simone Mago Samaritanorum; & Æthiopis Eunuchi conversione. Tres sunt partes capitis. In I. Saulum describit ejusq; crudelitatem & cacozeliam adversus Christianos: erat autem Saulus Pharisæorum discipulus, sectator legis strenuus, quod ipse indicat infra, cap. 22:3. cujus præpostero studio, adversarios Pharisaicæ sectæ Christianos persequebatur, & gratam operam Pharisæis præstabat. Persequutionem hanc Deus convertit in salutarem finem habitantium incredulorum in vicinis regionibus, sicut infra dicetur. Manent in civitate Apostoli sive occultè, absconditi in ædibus fidelium, sive palam servante Deo, ut esset Hierosolymam fidelium recursus in omni negotio fidei graviore, sicut infra cap. 15. Manseruntq; semper Apostolorum nonnulli præcipui Hierosolymis, usq; ad eversionem civitatis: qua imminente, sine dubio fugerunt ad montes, sicut Christus monuit, Luc. 21: 20.

V. 2. Συνεκόμισαν. Sepultura Stephani inseritur, curantibus & lugentibus fidelibus. Lucet constantia fidei in hisce, qui in hac persequutionum turba, funeris officium præstant defuncto, propter fidei confessionem: Faciunt idem Iohannis discipuli, Matt. 14: 12. Laudatur etiam hoc nomine Tobias, Tob. 1: 21. & cap. 2: 3.

V. 3.

V. 3. Σάυλ☉. Ad Saulis persequutiones describendas revertitur: qui inquisitione quadam, quasi Hispanicâ, Christianos impijs prodit, & ad supplicia producit; sine dubio, carcere multos ad abjurandam fidem Christi cogit, facitq; ut ad Judaismum revertantur, metu supplicij: quod ipse ad Regem Agrippam fatetur, infra c. 26: 11. Itaque adversus talem defectionem præmunit Judæos Apostolus, Heb. 12: 3. videns plurimos, persequutionis impatientia fidem deserere: duravit enim longo tempore hæc persequutio, & Paulus per tumultum hac de causa ad necem abreptus, perijsset sine dubio; nisi eum tribunus militum eripuisset; inf. c. 21: 27.

V. 4. Οἱ μὲν. 2. Quid ex hac persecutione effectum sit describit. Et primo, magna cum alacritate prædicabant Evangelium, qui per vicinas regiones dissperfi erant; unde hæc persequutio vicinis populis fuit causa conversionis, ad fidem Christi. Erant cum cæteris dispersi septuaginta discipuli Christi, qui Christum docentem ipsi audiverunt; fuerunt præter hos multa conversorum mlllia, & inter eos plurimi viri docti, & peculiari Sp. sancti gratia donati; crebrisq; iusuper Apostolorum concionibus informati, & ad docendum instructi.

V. 5. Φίλιππ☉. 3. Speciali Samaritanorum exemplo successum declarat. Erat forte hìc Philippus ex diaconorum numero, supra c. 6:5. Apostoli enim Hierosolymis remanserunt, qui audientes successum, accurrentes Samaritanos confirmant, & Sp. sancti dona conferunt. infr. v. 14. Samaria metropolis erat Regni Israelitici, Chaldæorum colluvie referta. 4. Reg. 17: 24. Audiens enim gens impia Evangelium, & videns miracula, mitescit ex concione Phi-

lipi,

lippi, & cervicem indomitam jugo Evangelij submittit: hæc est operatio & vis Sp. sancti, & verbi Divini, quod est validius quovis glapio ancipiti. Heb. 4: 12.

V. 7. Πολλῶν. Miracula quæ fiebant commemorat, ad rei evidentiam: dedit enim Dominus discipulis potestatē in Spiritus in mundos,&ad tollendum langorem omnis generis, Matt. 10: 1. & 8. ad confirmationem doctrinæ. item Mar. 16: 17. Sic cum intenderent impij doctrinam Evangelij sistere & inhibere: persequutione sua juvant, ut ulterius spargatur. Videtur hæc tempora prædixisse Sp. sanctus, per Esaiam, cap. 31: 5. Ubi de protectione fidelium in urbe Hierosolyma; & de conversione Israelitarum; quæ capite sequenti continuat.

V. 8. Καὶ ἐγένετο. Gaudium ingens exortum est ex hac Divina illuminatione; quamvis plurimi erant in hac civitate impij plerіq; tamen expectabant adventum Messiæ, & ab ipso pleniorem informationem de fide: ut patet ex mulieris Samaritanæ colloquio cum Christo Joh. 4: 25. Ex quo colloquio mulier fidem Christi recepit, & cum illa Samaritanorum plurimi, sine dubio doctrinæ Pharisæorum pertæsi.

V. 9. Ἀνήρ. II. Pars capitis, in qua, quæ apud Samaritanos acta sunt, ulterius commemorat, Et nominatim agit de quodam Simone, homine magnæ autoritatis & existimationis apud Samaritanos, idq; propter artem magicam, cujus præstigijs & fascinio genti imposuit; ut putarent Divina virtute ipsum mirabilia operari. Non mirum est verò gentem superstitiosam, quæ cultui veri Dei conjunxit cultum idolorum, 4. Reg. 17: 29, & 33. Diabolicis præstigijs fidem adhibere; qui frequens erat apud sacerdo-

dotes gentilium decipiendi modus; ſcilicet per incantationes. ut in Ægypto, Exo. 7: 12. aut per reſponſa Dæmonum; ſicut pythoniſſa, 1. Sam. 28. Qualia fuerunt oracula Delphica, Pythia, Baal, 4. Reg. 1. Dicit ſe eſſe, aliquẽ, hoc eſt Meſſiam, ſicut Theudas; ſup. c. 5: 36. Diabolus enim ſuo more plures excitavit, qui Meſſiæ nomen aſſumerent, ne intelligeret mundus, quiſnam eſſet Meſſias verus. Irenæus dicit de Simone, quod jactaret ſe ſuper omnia Deum: mundumq; ab angelis ejus creatum. l. 2. c. 9. Plura de doctrina ejus; & quomodo ei fuerit à Claudio Cæſare ſtatua poſita, refert idem Irenæus l. 1. c. 19. Epiphanius hæreſi 21.

V. 12. ὅτε δὲ. Simon credit Evangelio. videns miracula Philippi, majora & veriora ſuis: nam Diabolus rerum naturam immutare nequit, aut vera miracula facere; ſed per apparentias, phantaſmata & illuſiones, quibus ſenſus perturbat & impedit. Agnoſcit verò Simon ſua virtute majorem in Philippo, itaq; credit eiq; adhæſit. Ferebatur autem ipſe fine non bono, quod poſtea patebit: ſperabat enim per fidem ſe acquiſiturum eandem cum Apoſtolis autoritatem, & virtutem, operandi miracula, quibus quæſtum majorem faceret.

V. 14. Ἀκούσαντες. Secundo, narratur in hac parte adventus Apoſtolorum, ad confirmationem Samaritanorum. Apoſtoli diſſipatione fidelium ſoliciti, metuentes ruinam Eccleſiæ, inſperato gaudio afficiuntur, ex converſione Samaritanorum, & plantatione novæ Ecleſiæ, in urbe populoſiſſima: læti igitur & alacres accurrunt, ut uberiora Divinæ gratiæ dona ipſis conferant, eoſq; confirment, ac fidei incrementa ſua autoritate juvent atq; promoveant. Epiphanius putat Philippum, qui Apoſtolus non erat, Sp. ſan-

 ctum

ctum conferre non potuisse; quicquid sit, certum est diversitatem maximam fuisse, in primitiva Ecclesia, donorum; alij enim minoribus, alij majoribus Sp. sancti donis ornati erant: verisimile est enim Apostolis maxima dona fuisse collata, diaconi quoq; in donis variant. Sic Stephanus ex magnitudine virtutum laudatur, sup. c. 6: 8. Quod Deus sic disposuit, ad illustrandum Evangelij ministerium, & constituendos gradus in Ecclesia, quo alter alterius suffragio & autoritate juvetur. Certum est etiam cum fide & baptismo collatum esse Sp. sanctum, cum gratia justificationis: *nemo* namq; *potest dicere dominum Christum nisi per Sp. sanctum.* 1 Cor. 12: 3. Itaq: cum fide & baptismo etiam Samaritani Sp. sancti facti sunt participes. Est verò hic sermo de visibilibus Sp. S. donis, linguarum, miraculorũ, prophetiæ, alijsq; conspicuis; quibus Christus ex cœlo ornavit discipulos, ut splendidior redderetur Ecclesia primitiva, & ut his velut Divino testimonio confirmaretur fides Christiana; secundum promissionem Christi, Ioh. 14. & 16. Etiã ut animosiores redderentur Apostoli, ad testificationem Evangelij Christi. Ἰότη. Apostoli precibus & manuum impositione Sp. sanctum conferebant, agnoscentes esse hoc donum divinum, itaq; â Deo petendum: neq; etiam manuum impositione hîc utuntur, quod insit huic ceremoniæ tanta vis, sed ut singulis credentibus hoc ritu dona Spiritus conferrent & applicarent.

V. 18. Θεασάμενος. Tertiò ad Simonis magi hypocrisin describendam redit. Asuetus Simon quæstui per incantationes & Satanæ ludibria; cum spes nulla superesset lucri apud populum conversum ad fidem, patefactis Apostolorum doctrinâ imposturis: aliud lucri genus cominiscitur; petitq; ab Apostolis, ut qua ipsi donati sunt potestate

ſtate hac ipſum ornent, ut fiat ſimiliter Divinorum operum effector. Id ut facilius obtineat, pecuniam offert egenis Apoſtolis, ipſe opulentus, volens exiguæ pecuniæ jacturâ majus lucrum facere, & deinceps dona hæc Divina alijs precio vendere. Itaq; non ſimplici & ſynccrâ fide Euangelio credidit, ſed ut per Evangelij fidem, amiſſam lucrandi occaſionem reciperet: tales ſunt omnes illi, qui propter externa commoda Evangelio credunt, aut Eccleſiaſtica munera expetunt. Voluit enim & Simon doctor in Eccleſia fieri, ſed accepto precio, ut opes acquireret. Chriſtus verò non vocat ad potentiam & opes, ſicut impius Mahomet, ſed peccatis gravatos, Matt. 11. ad ferendum jugum: ibidem &. Luc. 9: 23. *Si quis vult venire poſt me, abneget ſeipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.*

V. 20. Πέτρος δὲ. Reſponſio Petri duo continet; 1. maledictionem, ſeu retentionem in peccatis; ubi in conſpectu fidelium, eum excludit ex bonis per Chriſti meritum, & Evangelij fidem collatis; quæ eſt concio legis & clavis ligans, Non enim ex privato Petri odio aut ira hæc maledictio procedit, ſed publica miniſterij autoritate cor peccatoris ferit, cordis perverſitatem & hypocriſin detegit, damnationis periculum indicat: non ut pereat, ſed ut reſipiſcat.

V. 22. Μετανόησον. 2. Viam ſalutis ei aperit, cum conditione ſyncerææ pœnitentiæ: jubet ut à peccatis actâ pœnitentiâ convertatur, & verè in Chriſtum credat, ſperetq; ſe poſſe in gratiam recipi; Deum oret de peccati remiſſione. Εἰ ἄρα: Si forte; non eſt dubitatio de remiſſione peccati, reſpectu Dei, quaſi non velit, rogatus ex fide, o-

mnia peccata remittere; sed respectu Simonis, ligati à Diabolo in iniquitate & cupiditate prava, impediente pœnitentiam veram. Videt enim Apostolus dira cupiditate constrictum Simonem, & eventus docuit; nam de peccato in peccatum lapsus Simon, factus est omnium hæreticorum princeps, qui subsequentium errorum fundamenta jecit: unde mox pullularunt Ebionitæ, Cherintus, valentiniani, Gnostici, Marchionitæ, Cerdoniani, Menander, & alij sequentium hæreticorum duces; ut docet patrum antiquissimus Irenæus, l. 2. c. 20. 28. & 29. in præfatione libri 2. & l. 2. c. 9.

V. 24. Ἀποκριθεὶς. Simon, quamvis simulate pœnitentiam ageret, ut antea; territus tamen miraculis & autoritate Apostolorum, ab his malis damnationis liberari postulat. Ipse autem simulationis conscientia impeditus, & desperatione exauditionis, qui fructus est incredulitatis, non orat; sed Apostolos precatur ut orent ipsi, ne in præsens aliquod periculum incurrat.

V. 25. οἱ μὲν. Concludit secundam hanc partem, inculcando studium Apostolorum, prædicandi in varijs locis & civitatibus Samariæ; & ut postea reversi sint Ierosolymam.

V. 26. Ἄγγελος. Describitur in hac parte conversio Æthiopis Eunuchi, quem Philippus ex mandato Divino, informat & ad fidem convertit. Via à Ierusalem versus Gaza, non procul abest à mari mediterraneo, & ex parte per terram Philistinorum trasit: est enim Gaza civitas maritima, in termino terræ Philistinorum, versus desertum Ægypti, qua iter est in Ægyptum & in Æthiopiam.

V. 27. Καὶ ἀναστὰς. Commendatut Ærhiops, 1. à potentia,

tia, 2. quod præfuerit thesauris ac reditibus Reginæ Æthiopum; quod est indicium singularis fidelitatis, quæ tantam fidem meruerit apud Reginam potentissimam. 3. à pietate quia longo itenere venit Ierosolymam, adorare in loco quem Deus constituit. 4. Qui à lectione saeræ scripturæ, etiam in itinere non abstinuit. Templum Ierosolymitanum promissiones habuit peculiares, præ alijs locis, ut exaudirentur qui eo in loco orarent & sacra facerent: & peculiariter peregrini. 3. Reg. 8: 41. *Si venerit peregrinus qui non est ex populo tuo Israel, ex terra longinqua*: &c. Et Esa. 56: 6. pro filijs peregrinorum singularis extat promissio. Daniel in captivitate Babylonica, orat versus Ierosolymam. Dan. 6: 10. Erat enim in templo Ierosolymitano propitiatorium, sanctum sanctorum, ex quo Deus preces exaudivit & responsa dedit. Salomone orante gloria Dei templum complevit. 3. Reg. 8: 10.

V. 28. Εἶπε. Philippi diligentiam describit in exequendo mandato; assistentiam quoq; Spiritus sancti suggerentis consilium, ad feliciter efficiendum officium vocationis. Legit Eunuchus Esaiã, qui plurima de Messia vaticinatus est, unde colligimus Eunuchum habuisse spem in Messiam venturum. Simul notatur ejusdem humilitas, qui cum sit homo maximæ dignitatis, non tamen despicit colloquium & informationem Philippi, pauperis, cujus vilis erat aspectus. Habuit itaq; Æthiops animũ fidelem, Divinarũ rerũ studiosum, & salutis percupidum. Itaq; ignorantiam fatetur, & Philippum orat, ejusq: informationi se permittit: agnoscens infirmitatem suam, & scripturarum majestatem, quæ nisi illuminatis à Deo pervia non est. Unde pro Ephesijs Paulus orat, ut Deus det ipsis Spiritum sapientiæ & revelationis, in agnitione ejus; &c. Eph. 1: 16. Quales verò sint

 ho-

homines carnales & non illuminati ostendit. 1.Cor. 2. Eph. 3. 17.

V. 32. Ἡ δὲ περιοχὴ. Prophetia est Esaiæ prophetæ de passione, patientia, humilitate, morte resurrectione ac æternitate Christi.

V. 33. Ἐν τῇ ταπεινώσει. Sequitur Evangelista in citatione Septuaginta interpertes: in Hebræo est וּמִמִּשְׁפָּט לֻקָּח; & è judicio ereptus est.

V. 35. Ἀνοίξας. Philippus rogatus ab Eunucho, os aperit & ex hoc textu Esaiæ ostendit Christum verè esse Messiam, filiũ Dei, passum pro peccatis hominũ, qui & resurrexit, & nunc regnat in cœlo subjectis omnibus inimicis, regnabitq; in æternum; ut omnes in ipsum credentes, remissis peccatis, in æternum salvet. Hæc & similia Eunucho insinuans, suasit ei fidem in Christum. Neq; enim alius est in scriptura locus, ad hanc rem clarior..

V. 36. Ὡς δὲ ἐπορεύοντο. Quia etiam sacramentorum usum ostendit, desiderio motus Eunuchus, ut credentium societati se jungeret & initiaretur, à Philippo petit, ut baptismi saramento in societatem fidelium recipiatur..

V. 17. Εἶπε δὲ. Philippus antea delusus à Simone Samaritano hypocrita, ne & hic idem eveniat metuit: itaq; claram confessionem ab Eunucho exigit: qui etiam fatetur se credere Cbristum esse filium Dei hoc est, Messiam, redemptorem & salvatorem, qualem Philippus prædicavit: itaq; in hanc fidem à Philippo baptizatur, & catholicæ Ecclesiæ conjungitur.

V. 39. Ὅτε δὲ. Certum est insigni lætitia affectum esse Eunuchum, ex hoc insperato gaudio quod ipsi contigit: qui Dei cognitione & salutis repente auctus, oculi quoq; aper..

perti in ſcripaurarum lectione, ipſe nunc ſalvus, cum fide, & certa ſpe ſalutis æternæ, domum pergit. Fuit hic Apoſtolus & plantator Chriſtianæ fidei in Æthiopia, quæ ſuperveniente Matthia Apoſtolo, doctrina multiplici & miraculis confirmata eſt, quæ etiam in illis locis adhuc viget; & paucis in rebus à fide noſtra differt. Euſebius hiſt. l.2. cap. 1. Dorothes in Sonopſi; de Mattiha. Iovius hiſt. l. 19. docet habere Æthiopes veteris noviq; teſtamenti libros, in linguam ſuam traſlatos. Abreptus eſt Philippus è conſpectu Æthiopis, & per Spiritum tranſlatus Azotum, quæ eſt Aſdod Philiſtinorum, civitas maritima, inter Ioppen & Aſcalon: ut etiam his prædicaret Evangelium.

CAP. IX.

V. Pars prioris membri de converſione Pauli & Cornelij, cæde Iacobi & liberatione Petri, uſq; ad cap. 13. Prima pars hujus cap. de couverſione Pauli agit; hiſtoria quatuor membris abſolvitur. 1. Docet qualis fuerit ante converſionem. 2. converſionem miraculoſam deſcribit cum viſione cœleſti. 3. officium ex Diviro mandato ei præſtitum, per Ananiam. 4. Qualem ſe geſſerit poſt converſionem. Notandus eſt verò ſtatus Eccleſiæ, & perſequutorum ſtudium: acquieſcunt in conſilio Gamalielis, ſup. c. 5. capite 7. crudele exemplum ſtatuunt in Stephanum. Poſtea in cæteros credentes perſequutionem extendunt, Eccleſiam diſſipant. vident autem diſperſo cætu fidelium, doctrinam quoq; diſpergi latius, cujus rei exprientiam præbuit recens Samaritanorum exemplum. Et ne Damaſcus ac vicina Syria Evangelium reciperet, cum eorum confuſione; itaq; Saulem mittere conſtituunt, ſua ſpon-

sponte in opus fervidum: qui qualis fuerit postea explicatur.

V. 1. ὁ δὲ Σαῦλος. 1. Plenus zelo & affectu, studioq; nocendi & abolendi fidem Christianam: 2. Minas superaddit, palam quid animo gerat ostendens. 3. Mortis supplicium non obtemberantibus denunciat. 4. A summo Pontifice literas accipit cum potestate comprehendendi, & perducendi Ierosolymam, quoscunq; Christianam fidem profitentes invenisset Damasci, & in Synagogis Syriæ: Ne in Syria sicut in Samaria, fides Christiana radices ageret. Tanta autem erat persequutorum rabies, ut nec à mulieribus & imbelli multitudine manus abstinerent. Fecit verò hæc Saulus legis studio, pro cujus justitia acriter pugnabat, sicut ipse indicat, Phil. 3: 6. Erat enim legis observator studiosissimus, cupiens more Pharisaico per legem justificari. inf. cap. 22: 1. quam sanctitatem postea pro damno habet; Phil. 3: 8. August. de peccat. meritis, l. 2. c. 13.

V. 3. Ἐν δὲ τῷ. II. Pars: De visione cœlesti, quæ fuit Apostolo prima occasio conversionis. Lux erat miraculosa & supernaturalis, tanta ut visum adimeret, & animi deliquium videnti induceret, propter evidentiam & majestatem. Vox quoq; audita est, monitoria, sive concio legis, patefaciens persequutori peccata & furores adversus Deũ. Quia enim Gamalieli eadem suadenti, ipse & Pontifices non obediunt, supra c. 5: 39. Voluit Christus quasi fulmine de cœlo, insanientes adversus Deum reprimere, gloriam suam vindicare, & fideles suos persequutione eripere.

V. 5. Εἶπε δέ. Perterrefactus Saulus docilem se præbet: sententia legis intenditur, ut intelligat persequutor, se non adversus homines, sed adversus Deum bellum gerere.

V.

V. 7. Καὶ ὁ κύριος. Legis concionem excipit concio gratiæ, remedium proponens, cum ſpe veniæ. De viris comitibus Apoſtoli dicitur, quod ſtupefacti ac mirabundi aſtiterint, non verò quod deliquio affecti ſint, aut viſum amiſerint: deciderunt tamen cum ipſo in terram; c. 26: 14. Et c. 22: 9. *Lumen quidem viderunt, vocem non audiverunt.* Dirigitur ita; hoc miraculum in ipſum Saulem ducem ac perſequutorem acerrimum; ut hoc perculo terreantur cæteri, & quia ejus culpa maxima eſt.

V. 8. Ἠγέρθη. Quia vero non ulterius reſiſtit, ſed informandum ſe offert, itaq; in gratiam recipitur. & à comitibus in civitatem Deo obtemperans introducitur.

V. 9. Καὶ ἦν. Tempus hujus tridui, quo Damaſci expectat ſine viſu, ſine cibo ac potu, non inepte putāt nonnulli fuiſſe tempus, quo ſe ipſe raptum fatetur in tertium cœlum. 2. Cor. 12. Et Evangelium à Domino audiviſſe. Gāl. 1: 12. Nam & viſionem ipſum vidiſſe Damaſci, hiſtoricus indicat, infra; v. 12. Sine dubio, tam gravi voce & terribili viſione monitus, ſerio de peccatis ſuis doluit, Deumq; precibus ſollicitavit: unde nova apparitione ipſum dignatus eſt Deus miſericors, remittendo peccatū, & manifeſtando voluntatem ſuam Evangelij revelatione: atq; ad ulteriorem certitudinem, ſignum additum, reſtitutione viſus, quam per Ananiæ miniſterium promiſit: unde ſpes nova, miſero & in conſcientia territo, refulſit.

V. 10. Ἦν δέ τις. III. Pars. Apparet Evangelij doctrinam Damaſcū uſq; perveniſſe, ubi inter alios docuit Ananias: rumor etiam hujus ſucceſſus relatus erat Ieroſolymam; quæ fuit Sauli hujus itineris cauſa. Mittitur autem Ananias ſingulari Dei conſilio ad Saulem, non ad informandum eum

in fide: non enim accepit ipse Evangelium ab homine, Gal. 1: 12. Jam enim antea fidem concepit; orat enim, quæ oratio Deo sine fide placere non potuisset. Heb. 11: 6. Sed ut visum ei restitueret manuum impositione, ex potestate à Christo collata. Mar. 16: 18. atq; ita æger & in conscientia territus, in fide confortaretur, & consolationem acciperet. Deinde, ut suo ministerio per baptismum ipsum in societatē fidelium reciperet, deq; gratia Dei & ministerio credito ipsum certum redderet.

V. 12. Καὶ εἶδεν Denuo ad majorem certitudinem, & ut discat persequutor, quanti oporteat in posterum facere ministros Evangelij; itaq; nova insuper visione tremefactum & hærentem confirmat: utq; sentiat Divino mandato advenisse Ananiam, eiq; fidem adhibeat: sciatq; miraculum quod in ipso operatum est, visum restituendo, non Diabolica fascinatione, sed Divina virtute factum esse, ad fidei Christianæ commendationem.

V. 13. Ἀπεκρίθη. Exceptio Ananiæ ex metu profecta; propter crudelitatem quam Saulus in fideles exercuit, & mortis periculū, quam sibi paratam sensit, ex instructione ejus data à Pontificibus Ierosolymitanis. Proficiscitur hæc trepidatio ab infirmitate fidei, dum non credit Deum qui ipsum misit, posse aut velle eum ex periculo eripere. Rectius Paulus inf. c. 21: 13. qui se paratum ostendit etiam mori pro nomine Domini Iesu.

V. 15. Εἶπε δὲ. Accommodat se Deus altissimus infirmitati Ananiæ, & mandatū repetit, & ostendit ipsum non ut antea, persequutorem esse fidelium; sed vocatum ut prædicet nomen Domini, coram gentibus, coram Regibus, qui ipse jam antea asvetus erat virorum principum conver-

sa-

ſationi: ac coram filijs Iſrael quibus antea legis juſtitiam commendabat, adverſus Chriſtum. Deinde, Non ipſe in poſterum mala inferet fidelibus, ſed ſocius paſſionum factus, plurima mala perferet ab infidelibus, pro nomine Chriſti. Hac conſolatione Deus benigniſſimus Ananiam dignatus eſt, cum videat exceptionem ejus non ex contumacia procedere, ſed ex infirmitate, itaq; juxta promiſſionem ex miſericordiæ fonte ipſum erigit. Ezech. 33: vivo ego nolo mortem peccatoris, &c. Et lychuum fumigantem non extinguam. Eſa. 42: 3.

V. 17. Ἀπῆλθε. Hac informatione animatus Ananias opus aggreditur, Sauli triplex præſtat miniſterium: viſum reſtituit, Sp. ſancti donum confert, Baptiſmo quoq; eum recipit in ſocietatem fidelium, Primo exordio ipſum humaniter compellat, & autoritatem præfert Domini Ieſu, à quo miſſus erat; cujus ſe miniſtrum profitetur, in mentem ei revocans viſionem, quæ ipſi contigit in via, ut metum ac reverentiam inſinuet. Deinde juſſa exequitur. Manuum impoſitio uſitata Apoſtolis adhibetur, ut certus ſit ſibi hæc dona conferri, ut dictum eſt ſup. c. 6. Potuit autem Deus hæc omnia ei conferre ſine miniſterio Ananiæ, ſicut converſionem & cognitionem Evangelij ac myſteriorum fidei, eumq, ſine baptiſmo ſalvare: voluit tamen Chriſtus ſalvator, Miniſterij autoritatem aſſerere, ſicut medium efficax ad ſalutem alijsq; exemplum præbere, ut ordinarià viâ ad converſionem contenti, miniſtros venerentur, ac debito honore afficiant. Itaq; ſubjicit Saulem accepto cibo confortatum eſſe in Dei gratia, & ſe diſcipulis conjunxiſſe.

Siquitur IV. Pars hujus historiæ: in qua fructus baptismi & conversionis hujus describitur.

V. 20. Καὶ εὐθέως. Studium quoq; Pauli qui ad fidem conversus, non sibi soli sapit, sed scientiam suam confert ad aliorum conversionem, & Divinam gloriam: idq; cum omnium admiratione, qui Paulum ante noverunt, persequutorem ejus fidei quam nunc prædicabat.

V. 22. In primis adversus Iudæos disputabat, ostendendo ex veteris testamenti scripturis, Christum verè esse Messiam; & esse filium Dei: hoc est, Deum & hominem, ad hominum salutem & redemptionem missum. Sic in thesi veram de Christo doctrinam credentibus prædicabat: in antithesi, contradicentes redarguit: cujus prædicationis vestigia extant infra. c. 13: 16. Rom. 9. 10. & 11. 2. cor. 3. Epist. ad Galatas. c. 3. 4. 5. Magna parte Epist. ad Hebræos. Iudæi enim de Messia malè sentiunt. 1. Nesciunt Messiam esse filium Dei: patet ex disputatione Christi. Matt. 22: 42. *Quid vobis videtur de Christo cujus filius est?* Ioh. 7: 42. Ioh. 5: 18. 10: 33. 2. Errant de officio Messiæ, quem putant saltem fore doctorem eorum, in obscurioribus quæstionibus legis, sicut respondit mulier Samaritana: Ioh. 4. 25. Et præterea regem terrenum, potentem, qui liberaturus erat eos de manu Romanorum & aliorum hostium: restituendo pristinum splendorem Regni Israelitici, & potentiam, qualis erat sub Davide: Qui iusto imperio eos regeret. Sic carnaliter interpretati sunt, oracula veterum prophetarum de Christo. 3. De passione & morte, ac redemptione à peccatis, victoria mortis & inferni, nihil noverunt: verum contra statuebant messiam morti non esse obnoxium, sed mansurum in æternum. Ioh. 12: 34. *Nos audivimus in*

in lege quod Christus manet in æternum. Contra disputando Paulus Iudæos superavit, fidemq; Christi veram esse asserunit, nequicquam contradicentibus adversarijs.

V. 23. Ὡς δὲ. 2. Iudæi convicti, ira accenduntur & ad vim convertuntur, suo more cum superati & rationibus exhausti, succumbunt: tantoq; furore in ipsum feruntur, ut necesse fuerit discipulorum ope murum transcendere, quo mortem effugeret. Quæ omnia tanta cum diligentia ab Evangelista notantur, ut intelligamus Paulum verè fuisse conversum.

V. 26. Παραγενόμενος. 3. Reversum fideles Ierosolymitani metuunt, propter persequutiones præcedentes: sistitur autem Apostolis à Barnaba, teste conversionis ipsius: qui sive Damasci docentem audierit, sive Ierosolymis ei familiaris factus fuerit, non exprimitur; cæteris tamen Paulo notior, sua testificatione fidem facit.

V. 29. Ἐλάλει. 4. Magna cum confidentia etiam Græcis, fidei contradicentibus, se opposuit, qui Ethnicam fidem idolorum propugnantes, Christianismum pro stultitia habent. 1. Cor. 1:23. Donec ad iram concitati Græci, ipsum civitate pellerent; ac per discipulos Tarsū, ubi natus erat, deducebatur. Unde patet quanta fuerit Apostoli nuper conversi alacritas, quantus fervor, in docenda ac propugnanda fide Christi: ut errorem in quo vixit deseruisse, se omnibus manifestaret, gratiamq; Deo præstaret pro conversionis beneficio.

V. 60. Αἱ μὲν ἐκκλησίαι. Posterius membrum V. Partis incipit: ubi historicus, absoluta historia conversionis Pauli; ad gesta Apostoli Petri revertitur, miracula facta Lyddæ & Ioppæ describens, cum conversione Corne-

lij: in fine hujus capitis, & toto capite sequente. Exordio primum sibi & Ecclesijs gratulatur, quia cessante nunc persequutione, Divino auxilio pace fruuntur Ecclesiæ, in universa Judæa, Samaria & Galilæa; quam sequebatur notabile incrementum fidelium, in timore Dei. Agnoscunt enim ope Divina territos & confusos adversarios persequutores, & conservatos credentes, Divinitus quoq; datum successum Evangelij, apud Samaritanos & populos impios, qui miraculis & doctrinâ Apostolorum convicti, fidem receperunt: hoc opus Dei mirabile considerantes, eundem timent, scilicet tam mirabilium operum effectorem. 2. Ex hac mirabili ac Divina conservatione, oritur confidentia, & confortatio mutua, cum fidei caritatisq; incremento ac Sp. sancti gratia.

V. 32. Ἐγένετο. Petri nunc acta subjicit: & primo peragrando Ecclesias harum regionum, credentes confirmat: pervenit autem Lyddam; quæ fuit civitas maritima, à Cæsarea circiter mille passus distans. Saronam Hieronimus in Abdiam, facit inter Cæsaream & Joppen mediam, Joppe civitas sita ad mare mediterraneum, in tribu Manassis; de qua Hieronimus in cap. 1. Johannis, docet suo tempore saxa monstrari in littore, ubi religata Andromeda, Persei ope liberata fuit.

V. 33. Εὗρε δὲ. Duo miracula commemorat 1. Lyddæ sanat hominem paralyticum decumbentem in lecto, solutis membris octo annis, quæ temporis longinquitas, declarat, morbum fuisse incurabilem; ut miraculum fiat magis illustre; quem Petrus verbo sanum reddit. Rem autem sic gestam esse absq; omni exceptione, probat testimonio omnium fidelium Lyddæ & Saronæ, qui ægrum vide-

viderunt ante, postea verò sanum: quem nulla humana industria potuit sanum reddere.

V. 36. Ἐν Ἰόππῃ z. Miraculum Joppæ editum; Petrus sollicitatus fidelium precibus, puellam demortuam resuscitatam, vivam suis restituit. Audientes enim in vicina Lydda adesse Petrum, doctrina Christi miraculisq; clarum; cum etiam quid Lyddæ Apostolus egerit innotuisset, fore sperant, ut fidelem, præmatura morte illis ereptam, beneficam erga egentes, bonis operibus conspicuam, Ecclesiæ utilem, ad vitam excitet. Qui enim langventem tam longo tempore, lethali morbo, & incurabili, sanitati restituere potuit; poterit etiam eadem virtute, juvante Deo, mortuis vitam reddere. Plurima namq; miracula fiebant à Petro & Apostolis: sup. c. 5. 12. Nomen fœminæ erat Tábitha, quod ex interpretatione Evangelistæ est Δορκὰς, quod est dama, aut caprea. Alij Capnionem imitati legunt Talitha, quod puellam significat, quasi dicat Petrus, puella surge: sed tutius est sequi interpretem Evangelistam, cui lingua Syriaca erat materna: qui vocem hanc allegat ut proprium nomen, addita insuper interpretatione.

V. 37. Λούσαντες Consuetudo mortuos abluendi, antiqua est: Plato Socratis exitum describens, refert Socratem lavisse corpus, priusquam cicutam biberet; rationem ipse subjicit, ne, ait, opus sit mortuum corpus abluere, intellige juxta consuetudinem. Honesta legatione Apostolum compellant, agnoscentes autoritatem & dona Dei eximia in ipso, declarantes reverentiam, & quanti ipsum faciant.

V. 39. Mulieres lugendo & proferendo vestes, caritatem

tem declarant, & qualibns operibus excelluerit: videlicet pietate in Deum, & beneficijs erga egentes.

V. 40. Ἐκβαλών. Ejecit circumstantes, ne tumnltu interturbetur oratio, qua ardente opus erat, in tanti miraculi operatione: deinde ut jactantiam fugiat. Fecit idem Elisæus 4. Reg. 4: 33. Et Christus cum excitaret Iairi filiam. Matt. 9: 25. satis esse putantes ad Dei gloriam, si quos mortuos omnes noverunt, vivos reddant.

V. 42. Γνωστόν. Ex fama miraculi plurimi conversi sunt ad fidem: Estq; verus finis miraculorum, Dei gloria & salus hominum: sicut de cœco Christus respondit, Ioh. 9: 3. Et, *si mihi non vultis credere, operibus credite*, Ioh. 10: 38. Plurimorum ea fuit durities cordis, ut nisi miraculis visis credere noluerint; sicut Regulus, Ioh. 4: 48. Thomas, Ioh. 20.

C A P. X.

TRibus potissimum membris hoc caput absolvitur. I. Pars agit de apparitione facta Cornelio & Petro Apostolo. II. De eorundem colloquio. III. De concione Petri, & Cornelij conversione.

V. 1. Ἀνήρ. Cornelius centutio erat, Italicæ cohortis: ipse sine dubio etiam Italus; certè gentilis ipse ac milites quibus præerat, ut patet ex initio capitis sequentis. Unde etiam patet Apostolos hactenus Iudæis solis, ac Samaritanis alijsq; circumcisis prædicasse Evangelium, inf. c. 11: 3.

V. 2. Ευσεβής. Pietatem Cornelij tribus encomijs prædicat. 1. Timet Deum, cujus gloriam respicit, metuens ne factis impijs eum offendat, familiamq; suam ad eandem pietatem exercuit. 2. Caritatis opera plurima exercet in proximum, ἐλεημοσύνης, largitionum ex misericordia in

pro-

proximum, ſicut vox ſonat. 3. Orationibus ad Deum frequens erat ſeu aſſiduus. Potuit Cornelius noviſſe Deum ex rebus creatis ſicut cæteræ gentes, Rom. 1: 19. Act. 17: 27. Pſ. 19: 1. Quam cognitionem veram eſſe, nec in ijs reprehendi cum convertuntur; ait Auguſt: de unico baptiſmo cont. Patil. c. 4. Legem etiam ſcriptam habuit in corde, juxta aſſertionem Pauli; Rom. 2: 14. Quæſtio hic oritur, quomodo potuerint placere Deo, opera hominis gentilis non renati? nam nec circumciſus erat; cap. 11: 3. nec voce Evangelij ad fidem converſus. Valebit hic regula Apoſtolica, Heb. 11. Impoſſibile eſt placere Deo ſine fide: Et Rom. 10: 14. quomodo credent ei de quo non audierunt? Quia verò opera Cornelij placuerunt Deo, & preces exauditæ, conſequens eſt in Cornelio fuiſſe fidem: verbo enim accenditur fides etiam ante baptiſmum; docet exemplum Æthiopis, ſup. c. 8: 37. Non potuit autem Cornelius verbum & promiſſiones de Chriſto aliunde habuiſſe, niſi ex Judæorum converſatione, & lectione prohetarum in Synagogis. Talis fuit centurio Luc. 7: 4. qui dilexit gentem Judæorum, & religionis amore Synagogam eorum extruxit.

V. 3. Εἶδεν. 2. Poſt perſonæ deſcriptionem, jam viſionem quæ ei contigit commemorat. Vidit ſibi loquentem Angelum, circa horam nonam: quæ nobis eſt tertia veſpertina.

V. 4. ὁ δὲ. Angeli quia repente apparent & diſparent, & propter pulcritudinem ſpeciemq; inuſitatam, terrorem incutiunt, hominibus, peccati conſcientia gravatis. Legationem poſtea Angelus exponit, docens gratas fuiſſe Deo eleemoſynas precesq; Cornelij, ac tandem exauditas.

V. 5. Καὶ νῦν πέμψον. Doctorem ipſi nominat Petrum,

locum quoq; hospitij diligenter indicat, iubetq; ab eo quærere veræ fidei pleniorem informationem: Ex hoc responso Angeli non obscurè deducitur petitio Cornelij, quidvè precibus & cum multis eleemosynis apud Deum contenderit. Postquam ex Italia in Judæam pervenit & Cæsareæ habitare cepit, relictis Dijs Gentium, Judaicæ religioni adhæsit; (aliàs religiosus & timens Deum dicendus non erat,) ex qua fidem concepit Messiæ venturi, juxta promissiones Patribus factas. Nunc à quibusdam Messias adesse dicitur, Jesus Nazarenus; alij negant eum fuisse Messiam, Ioh. 7:31. & 40. unde dubius Cornelius hæsitat; quæ tentatio fidem ejus vehementer exercuit. Itaq; ad preces versus Cornelius, Deum anxiè orat, pro mentis fideiq; confirmatione ac illuminatione, ne ipsum de persona Messiæ à vera fide aberrare sinat. Obstant enim ab una parte miracula Christi & Apostolorum, per orbem nota: ab altera parte autoritas principum, sacerdotum, & doctissimorum hominum, maximaq; multitudinis in gente Iudaica, quam ministris objiciunt. Ioh. 7: 48.

V. 7. Ὡς δὲ. Paret Cornelius patefactioni Divinæ, rem cum familiaribus, hominibus itidem religiosis, & in eadem re anxijs communicat; quos etiam ut Petrum adducant mittit. Potuisset Deus per Angelum, Cornelium in fide plenius informare: potuit Christus ipse Paulum sanitati restituere, sup. c. 9. maluit verò per Ananiam & Petrum, ut salva maneat ministerij autoritas, utq; appareat, Deum velle dona sua spiritualia per ministros suos largiri.

V. 9. Τῇ δὲ. Sequitur apparitio facta Petro Apostolo in rem candem. Communis erat omnium Iudæorum sententia Messiæ beneficia ad gentes non spectare; foreq;

in-

inconveniens, si gentes in hac parte Iudæis æquentur, qui onus legis & rituum tanto tempore gestarunt. Reprehendit hanc invidiam Christus ipse similitudine filij prodigi: Luc. 15. Et laborantium in vinea: Matt. 20: 11. Informandus itaq; fuit Petrus, ne dubitaret prædicare Christum gentibus: deinde ut intelligat munditem illam legalem cum ritibus esse abolitam in Christo: *Lex enim & Prophetæ usq; ad Johannem*: Matt. 11: 13. Ascendit Petrus in superiora domus; hoc est, in cœnaculum superius, locum solitarium quærens ut oraret: idq; circa horam meridianam, ter igitur in die oravit; qualis assiduitas precum fuit etiam in Daniele, tempore persequutionis, Dan. 6: 10.

V. 10. Ἐγένετο. Visio nunc describitur, in qua Petrus raptus in deliquium seu excessum mentis, videt sibi esurienti cœlitus afferri omnis generis animalia, intellige munda & immunda, ut his vesceretur qualia Petrus legis observator diligentissimus, hactenus nunquam attigit; itaq; negat se his usurum, quæ lex ut immunda prohibet, Levit. 11. & Deut. 14. v. 14. In linteo hæc continentur, quatuor angulis colligato. Cœlum apertum visitur, ut intelligat, omni genti patefactam Divinam gratiam per Christum. Animalia munda & immunda, gentes & Iudæos notant.

V. 15. Καὶ φωνή. Vox cœlestis docet, ejus legis nullum usum esse in posterum, sed Christi sanguine mundari gentes simul & Iudæos omnes credentes: ut docet etiam Paulus. Gal. 3. 28. Eph. 2: 13. Duplex igitur est Petri ignorantia. 1. putat legem ceremonialem adhuc esse servandam, 2. Evangelium gentibus non esse prædicandum: infra. v. 28. erat itaq; visione tali informandus. Paulus Gal. 2: 11. Petrum etiam hoc nomine reprehendit quod ser-

vando legem ceremonialem Gentes cogat Iudaizare. Ter itaq; repetita visione monetur, tanquam de re seria, ne putet esse somnium inane. Perculsus igitur mente Petrus hæret quorsum spectet visio, & quid sibi velit.

V. 17. ὡς δὲ. Adsunt quoq; viri à Cornelio missi, & Sp. sanctus, per quem facta est visio, interpretationem addit, præcipiens, ut homines gentiles sequatur, nihil discernens, propter mandatum Domini à quo missi sunt. Hic sine dubio intelligit Petrus voluntatem divinam de vocatione gentium, in qua sententia felix eventus qui sequebatur, ipsum perfecte instruit & confirmat; infra v. 34. Abstrusa sunt enim & multa Divinæ sapientiæ mysteria, quæ simul universa exhaurire nequit humana infirmitas quam Paulus miratur, Rom. 11: 34. Et hoc vocationis Gentium mysterium, alijs generationibus non fuisse superius revelatum ostendit, Eph. 3: 5. Petrus quoq; infra cap. 15: 7. rectius sapit de hoc mysterio; & fatetur â Deo se esse missum, ut prædicaret Evangelium Gentibus: ritusq; legales ad salutem non esse necessarias. Sic ipse Petrus non in puncto temporis hausit omnia fidei mysteria; sed sensim magis magisq; adaucta cognitione ad perfectionem contendit.

V. 21. Καταβὰς. Petri obedientia & studium describitur, qui insidias gentilium non metuit, Cornelij nuncios in crastinum retinet; ut plenius cognoscat quo fine, aut quo monente accesserint. Illi Cornelium laudant à justitia & pietate; totius gentis Iudaicæ testimonium adducunt, ut fidem faciant Apostolo, se nihil simulatè, nihil insidiose agere: insuper ad rei evidentiam, sancti Angeli apparitionem & mandatum adjiciunt.

V. 23. Εἰς καλεζάμενος. Petrus re omni benè explorata, vocan-

vocantes sequitur; adducens secum ex fratribus nonnullos, autoritatis, securitatis, aut testimonij causa, quibus comitatus Cesaream ingreditur. Non est pro incredulitate reputandum, quod Petrus omnia diligenter explorat, comites fideles adducit; laudabile est fidei exercitium, confirmationem quærere, omnia facere, quæ ad fidei augmentum & corrobarationem conducunt: Maria accepto nuncio de Messia, per angelum, Elizabethā cognatam consulit. Luc. 1: 39. Non caruit difficultate hoc Petri negocium; ingrediendum erat ad hómines gentiles, contra morem Iudæorum, & fidelium omnium sententiam. infra, v. 28. Cornelius homo Romanus, stratiota, potens, magnæ dignitatis: qui potuisset Petrum in vitæ discrimen adducere, & ad fidem Christi abnegandam cogere. Non venit ipse ad Petrum, sed illum ad se vocat, quasi cupiens eum in suam potestatem redigere.

V. 24. Καὶ τῇ. Cornelius domi expectat propter cognatorum & amicorum Ecclesiam: ut plurimos secum salvos faciat, maluitq; eos Petrum cum spiritu & autoritate Apostolica docentem audire, quam ex sua relatione aut aliorum fidem percipere. Unde etiam studium hominis intelligimus, qui non solum de sua, sed etiam aliorum salute erat sollicitus.

V. 25. Ὡς δὲ. II. Pars. cap. colloquium Petri & Cornelij commemorat; 1. Cornelius magna cum reverentia obviam procedit; adoraturus procidit: juxta veterem orientalium consuetudinem, qui coram hominibus summæ dignitatis procumbunt in genua & in faciem, adoratione non Divina sed civili. Mulier de Thecoa procidit in faciem coram Davide: Ioab item. 2. Sam 14: 4. & 22. Sic pri-

mo congressu declarat centurio reverentiam suam, erga Deum ejusq; ministrum. Tamen nimia hæc veneratio Petro non placet; cupit enim inter Divinum hononorem & venerationem hominum, teneri discrimen. Tanta enim est plerumq; insolentia potentum, an dicam rectius, adulatorum levitas & simulatio, ut ijsdem quibus Deum gestibus honoramus, ea mortalibus applicent: Reges etiam Gentiũ, sæpius impij, pro Dijs coli voluerunt, sacrificia decernentes sibi. Sap. 14: 14 Itaq; Claudiũ in ludo suo merito ridet Seneca. Pij Reges hos Divinos honores respuunt, & ad exemplum Petri, in genua prolapsos erigunt, atq; in pedibus erectos negotia proferre jubent.

V. 28. Ἔφη τε. Causa cur Iudæi abhorent à conversatione gentilium, sine dubio est mandatum Divinum prohibens fœdera & contractus cũ Cananæis idololatris Deut. 7: 1. Iosv. 23: 7. 3. Reg. 11: 2. Negociatio tamen nõ fuit prohibita. Videntur autem nimis rigidi fuisse Iudæi, in legis hujus observatione, adeo ut profanari existimarent suam sanctitatem à conversatione gentilium, sicut habent verba Apostoli. Nam si finem legis inspicias, cavendum erat id solum, ne fœderibus & nimia familiaritate, ad idolorum cultum seducerentur, sicut Salomo, 3. Reg. 11: 1. Quæ Lex non minus hodie servari debet; ne impiorum conversatione in hæresin & vitia deducamur. Talibus ne ave dixeris; ait Ioh. Ep. 2: 10. Deinde, ostendit Apostolus se non temere recedere ab avita & Iudæis rigide servata consuetudine; sed mandato Divino, cui cedere cogitur humana traditio: Et lex caritatis saluti proximi jubet consulere, cui si obsit consuetudo aut statutum humanum, abolenda sunt talia; ut prosimus proximo. Huic enim necessitati

cedit

cedit sæpè etiam lex Dixina: ut lex Sabbati: Luc. 14: 3. & cap. 13: 15.

V. 29. Διό. Postquam mandatũ Divinum cũ revelatione sibi facta Apostolus breviter exposuisset, jam quid Cornelio contigerit exquirit, ut ab ipso plenius percipiat, quæ antea ab internuncijs fuerunt indicata. Sic per omnem modum certus fieri cupit, ut intelligat an seriò cognitionem fidei Christi, & ex corde expetant, & quis sit expectandus fructus suscepti negocij: maximè vero, ut ipse de Divina voluntate, in vocatione Gentium plenius adhuc informetur; quod exclamatione fatetur infra, v 34.

V. 30. Καὶ ὁ. Cornelius itaq; visionem sibi factam exponit, eodem ordine quo antea ab Evangelista commemorata fuit. Addit jejunasse se usq; ad vesperam, quod in re seria & in periculis, sanctis Dei hominibus fuit usitatum. Ioel 2. 15. Nimivitæ, Ionæ 3: 5. Et est cultus Divinus: Anna Prophetissia servivit Deo jejunijs & percibus die ac nocte. Luc. 2: 37. Absit autem ab his operibus opinio meriti: gratiæ Dei omnia accepta referantur.

V. 33. Ἐξ αὐτῆς. Paruit Cornelius visioni, vocans Petrum; alias ausus non fuisset; sed Apostolum ipse potius compellasset, Summam hanc reverentiam ad Deum refert, quem præsentem, in Dei ministro & familiarium Ecclesia agnoscit. Et hoc Christus promisit: Matt. 18: 20. *Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine meo; ibi sum in medio illorum.* 2. Cor. 5: 20. *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* Idq; tum, cum minister non sua aut aliorum placita, sed mandata à Domino proponit. Matt. 10: 20.

V. 34. Ἀνοίξας. III. Pars cap. concio Petri, cum fructu

ejus.

ejusdem in conversione Gentilium & donis Sp. sancti. Habet hæc oratio Petri Exordium, propositionem, narrationem & confirmationem. Exordium exclamatione orditur: os aperit; hac enim phrasi utitur scriptura in sermone insigniore, in malam partem, vel bonam. Hiob maledicendo diei nativitatis suæ. c. 3: 1. ad maledicendum. Iob. 16. 10. Ps. 22: 14. in docendo; in proverbijs: Ps. 78: 2. Christus in monte: Matt. 5: 2. Miratur sapientiam & bonitatem Dei, qui ex sola misericordia, sine ullius sive gentis sive personæ respectu, omnibus salutem offert, credentibus ac timentibus Deum: nullius opera, dignitatem aut conditionem vel statum respiciens: quod ex facta apparitione, & responso Cornelij se nunc tandem intelligere fatetur Apostolus; cum de gentium vocatione antea dubitasset.

V. 36. τὸν λόγον. Propositio. Verbum Evangelij Deus misit & annunciavit per Christum, pacem scilicet, & reconciliationem cum Deo, nobis propter peccatum prius irato. Eum mortuum & sepultum, exitavit ex mortuis, fecitq; Dominum rerum omnium: ut per eum omnes salventur. Hanc propositionem argumentis astruit.

V. 37. ὑμεῖς. Confirmationis. I. Argumentum ducit á rebus gestis, & fama perlata per universam Iudæam, ac præditione Christi & Apostolorum, nota toti genti Iudaicæ: remq; non aliter se habere probat, provocando ad notitiam eorum ad quos verba facit. II. Argumentum, ducit à prædicatione & baptismo Iohannis, qui de ejus adventu nunciabat; & in fidem ejus baptizabat. *Iohannes quidem signum nullum fecit, omnia autem quæ de eo dixit vera sunt*: Joh. 10: 41. ἴησουν. III. Arg. A virtute atq; potentia Christi, ac stupendis miraculis quibus doctrinam suam con-

confirmavit, seq; à Deo instructum demonstrabat. Unctio virtutem significat & dona infinita, sine mensura. Joh. 3: 34. Desumtum est hoc verbum ex Ps. 45: 8. Et Dan. cap. 9: 24. Ad hanc ἀπόδειξιν provocat Christus, Joh. 5: 36. 10: 25. & 15: 24. velut ad quoddam fidei fundamentum infallibile. Et Nicodemus se hoc documento victum esse fatetur: Ioh. 3: 2: Et populus, Ioh. 7: 31. *Messias cum venerit num plura signa faciet?*

V. 39. Καὶ ἡμεῖς. IV Argumentum à testimonio Apostolorum & discipulorum Christi, qui docentem audiverunt & miracula viderunt; qui passum etiam sepultum, vivum iterum conspexerunt, & ascendentem in cœlum, vocem Dei testificantis de cœlo, auribus hauserunt: Matt. 17. Provocat huc etiam Petrus 2. Eph. c. 1: 16. Iohannes itidem 1. Ep. c. 1: 1. viderunt eum, post resurrectionem redivivum, audiverunt, contrectaverunt, ederunt & biberunt cum ipso. Luc: 24: 30. & 42. Joh. 20: 27. 21: 13. Quæritur verò, cur non omni populo, sed solis Apostolis nonnulla manifestaverit: Clarificationem in monte tres Apostoli viderunt; cicatrices & vulnera Thomas, edentem & bibentem Apostoli, &c. Resp, Quia hos testes ipse ex beneplacitò suo elegit, ad testificandum mundo. Luc. 24: 48. Act. 1: 8. Sufficit autem horum testimonium, 1. propter dona eximia Sp. sancti, quibus ornati erant: quæ sicut in locis citatis promissa fuerunt, sic etiam ipsis contigerunt. Testium alias sat magna multitudo fuit: viderunt eum redivivum Apostoli, septuaginta discipuli, & plus quam quingenti fratres ascendentem in cœlum. 1. Cor. 15. 2. Propter miracula & virtutem Divinam, quibus doctrinam confirmarunt Deo cooperante & contestante signis & prodi-

gijs Marc. 16: 20. juxta promissionem datam; ibidem: v.17. cujus promissionis memor Petrus orat, Act. c. 4: 29,

V. 42. Καὶ παρήγγειλεν. Hinc V. Arg. deducitur à mandato Divino, quod miraculis & testificatione Divina comprobatur; quæ si quis negaverit, in Deum ipsum est contumeliosus, & in Sp. sanctum peccat. Matt. 12: 31. Et Christus ipse vindex erit in novissimo die, à Deo judex constitutus vivorum & mortuorum: quo argumento utitur Paulus, infra, c. 17: 31. Athenis.

V. 43. Τούτῳ. VI. Arg. ducit à communi testimonio omnium Prophetarum: quorum alij de loco nativitatis ejus vaticinantur, ut Micha cap. 5: 1. de tempore ut Dan. c. 9: 24. de prosapia ut Moses, Gen. 12: 3. Jer. 23: 5. de matre virgine, ut Esa. c. 7: 14. de miraculorum qualitate, ut Esa. c. 35: 5. De officio pleriq;. De beneficiis erga Ecclesiam, de victoria ac successu David Ps. 45: 10. Salomon in canticis: de exinanitione & exaltatione; David Ps. 8: Ps. 102. & 110. De passione, Ps. 22. 31. 39. 69. Esa. 53. Zach. 12: 10, vocatione Gentium: Ps. 47: Esa. 11: 10. 42:6. De peccatorum remissione per fidem. Esa. 28: 18. & fœdere novo. Jer. 31: 34. Micheæ. 7. Præter ea scripturæ loca, quæ in novo testamento adducuntur, & in Epist. ad Hebræos, aliaq; innumera.

V. 44. Ἔτι. Effectus hujus concionis describitur, conversio Cornelij & cæterorum, audientium verba Apostoli. 2. Sensibilis communicatio gratiæ & donorum Sp. sancti: cum admiratione Iudæorum, qui cum Petro venerant; qui antea non putarant Deum voluisse per fidem Christi salvare gentes.

V. 46. Ἤκουον γὰρ. Iudicia exponit; videlicet dona linguarum quibus repente fuerunt ornati; deinde laudes quibus,

bus Deum extollunt, gratias agentes, propter gratiam justificationis exhibitæ per Christum: velut homines nova cognitione aucti. Confirmationi narrationem immiscuit, ut patet.

V. 47. *Μήτι.* Quæstio Petri, qua fideles ex circumsione consulit, ac sententiam rogat, & fatetur se ostentis hisce persuasum, Deum velle etiam ex gentibus Ecclesiam colligere: & nunc quia in conspectu omnium Sp. sanctus visibiliter effusus est, super congregatione hac gentilium, in domo Cornelij, itaq; baptizandos putat. Ratio est; quia quibus Deus, *qui novit corda omnium.* infr. c. 15: 8. fidem & gratiam ac illustria Sp sancti dona contulit, eis baptismum nō denegabit, quo fides obsignatur, ut sint certi se esse receptos in gratiam Dei, ac societatem Ecclesiæ. Deus enim suffragio suo donisq; hisce ac visione cœlesti eos recepit, & cæteris ex circumcisione conjunxit. Quærit itaq; an habeat quisquam quod contradicat? Et cum nemo excipiat, jubet baptizari eos. Habuerunt enim comites diaconos Apostoli quorum opera usi sunt in hujusmodi ministerijs; Christus ipse non baptizabat. Ioh. 4: 2. Paulus paucos: 1. Cor. 1: 14. Rogant autem ut maneat apud illos ad uberiorem informationem in fide: quod desiderium cognitionis certum est veræ fidei indicium.

CAP. XI.

EGit Evangelista cap. 9. de conversione Pauli, 10. cap. de Cornelij conversione; nunc tertio loco in hac V. parte Murmur Iudæorum conversorum adversus Petrum describit: cum apologia Apostoli, ac fundatione Ecclesiæ Antiochenæ.

V. 1. ἤκȣσαν. I. Pars cap. Fama conversionis Cornelij & domesticorum ac familiarium ex Italia gentilium, Apostolos & fideles ex gente Iudaica perturbat: qui antiquo errore putabant gratiam novi testamenti, & beneficia Christi ad posteritatem Abrahami solum spectare. Notus erat fervor, ac studium sanæ doctrinæ propagandæ in Petro, mirantur verò ipsum ingredi voluisse ad gentiles, & cibum cum ipsis sumere: abominatio enim erat viro Iudæo, conversatio gentilium; ut fatetur Petrus, sup. c. 10:28. quia Divina lege interdicta fuerunt cum illis fœdera & conjugia; deinde, cibũ cum ipsis capere non licuit, propter cibos immundos quibus usi sunt gentiles, itaq; Iudith cum Holoferne cibum capere noluit, Iudith c. 12. de quibus definitũ fuit infra cap. 15:7. Videtur insuper huic sententiæ favere promissio, facta Abrahamo & semini ejus; ut est in cantico Mariæ, Luc. 1:55. Et Zachariæ, ibidem. v. 72. Erat itaq; opinio Judæorum Messiæ beneficia spectare ad posteritatem Abrahami tantum, non item ad gentes; nisi quis velit se illorum societati jungere, ut proselita; ad augendam potentiam gentis Iudaicæ: quæ carnalis Iudæorum sententia de regno mundano, obstitit saluti gentilium. Neq; verò rectè percipiunt promissionem Abrahamo factam, quæ promittit benedictionem omnibus gentibus in semine ejus. Nec missionem suam satis considerant, cum habeant mandatum prædicandi in universo mundo, Matt. 28: 19. & Marc. 16: 15. Act. 1: 8.

V. 4. ἀρξάμενος. Apologia & excusatio Petri, qua ostendit se neq; ad petitionem nudam gentilium, neq; ex arbitrio propriæ voluntatis, ingressum ad eos, aut etiam cibum cum eis cepisse: Sed Divino mandato compulsum,

ad

ad faciendum id, quod sua sponte facturus minime fuisset. Hujus rei fidem facit quatvor documentis illustribus, omnem humanam exceptionem superantibus.

V. 5. Ἐγὼ. 1. Argumentum, visio animalium mundorum & immundorum, sibi appositorum ad esum, sublato discrimine mundi & immundi. Ostendit verò se non facile adductum, ut faceret, sed cum exciperet, ad legem respiciens & consvetudinem, tunc iterato mandato, non sine objurgatione, ipsum urget visio; ita, ut mente perculsus hæreat, & quid faciendnm sit ambigat, præsertim repetita adhuc tertiò eadem visione.

V. 11. Καὶ ἰδὲ. 2. Argumentum, viri gentiles in momento ad fores astant; mandante Spiritu, ut comes eat ad Cornelium, omni omissa cunctatione: quod intelligentes viri Christiani qui cum ipso erant, omni dubitatione seposita eunt unâ.

V. 13. Ἀπήγγειλε. 3. Argumentum, Cornelio facta est apparitio Angeli, jubentis vocare Petrum, eumq; docentem audire. Mutua igitur apparitione ac visione cœlesti Petrus & Cornelius sese confirmant: uterq; mandatum habuit, hic Angeli, ille Spiritus sancti,

V. 14. Ὃς λαλήσει. Virtus verbi Divini describitur, simul & efficacia ministerij ac prædicationis verbi: his enim medijs Deus utitur ad conversionem hominum; unde Evangelium dicitur *potentia Dei ad salutem omni credenti.* Rom. 1:16. Apollo, Paulus dicuntur *ministri per quos credidistis.* 1. Cor. 3: 5.

V. 15. Ἐν δὲ τῷ. 4. Argumentum evidentissimum, virtus Sp. S. collata gentilibus, in conspectu omnium; eodẽ modo quo Apostolis collata fuit, post ascensionem Christi,

die pentecostes. sup.cap. 2. cum dono linguarũ ,& extraordinaria cognitione mysteriorum salutis. Accommodat ea ad promissionem Christi, supra c. 1: 5. de baptismo Spiritus sancti ; ac docet Apostolus, Deum facto ipso ostendere & complere promissionem, non in solis Israelitis ; sed nunc etiam in Cornelio & gentilibus. Ut omnibus sit manifestum, Evangelij januam esse apertam etiam gentibus, juxta vaticinium Mosis, Deut. 32: 21. *Ad æmulationem vos excitabo, in gente non gente;* &c. Rom. 10: 19. Esa. 9. *Populus qui in tenebris ambulat, videt lucem magnam* c. 11: 10. *erit radix Iesse, vexillũ populi: in hunc gentes sperabunt.* Sic voluit Deus insignia Prophetarum vaticinia, illustri revelatione in effectum deducere: ut firma esset etiam gentilium spes in Christum Messiam, Et sic *maceriem diruit*, dividentem Gentes à Judæis, *& fecit ex duobus populis unum:* sicut de hac gentium vocatione eleganter ratiocinatur Paulus, Eph. 2: 11. Et cap. 3: 3. dicit mystrium hoc sibi revelatum, *nec antea cognitum filijs hominum, sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis & Prophetis in Spiritu.* Unde infert Petrus, adversus reprehensionem fidelium Ierosolymitanorum, validam conclusionem, ex præmissis deductam: Deus jussit gentibus prædicare Evangelium; eosq; Sp. sancti gratia & conspicuis donis miraculose donavit, sicut nobis. Quis igitur ego sum? aut vosipsi? ut possimus Deum prohibere, volentem ipsis gratiam conversionis tribuere, eisq; beneficia Messiæ nobiscum communia facre: mandato ejus resistere non possumus.

V. 18. Ἀκούσαντες· Hæc excusatio Petri tam fuit in illis efficax, ut qui à Gentilium conversatione, à cibis lege prohibitis antea tantopere abhorruerunt, nunc mutata sen-

ten-

tentia, voluntati Divinæ acquiescunt, gratias Deo agentes, quod voluerit etiam gentes beneficiorum Christi esse participes, eosq; in gratiam recipere. Descripsit Evangelista occasionem & initium vocationis gentium; deinceps progressum assignat & occasionem, qua plures ex gentibus regno Christi sociantur..

V. 19. οἱ μὲν II. Pars capitis, de fundatione Ecclesiæ Antiochenæ agit. Et primò, sapientiæ & providentiæ divinæ exemplum proponit, qui novit persequutionem, ac malignum Ierosolymitanorum studium, adversus prædicationem Evangelij Christi, ad Ecclesiæ incrementum & multorum conversionem flectere. Persequutio fideles sedibus suis ejecit: illi dispersi, prædicabant Iudæis, qui propter multitudinem patria egressi, vicinas Judeæ regiones incoluerunt, suasq; synagogas habuerũt in civitatibus; sicut in progressu patebit: meminit hujus dissipationis Evangelista sup. c. 8: 1. Galilææ septentrionem versus proxima est Phœnicia, ubi Tyrus & Sidon, Hinc Laodicea, & Antiochia Syriæ metropolis; huic littori ad sinum Issicum opposita est Cyprus insula, Alia est Antiochia Pisidiæ in minore Asia; cuius fit metio inf. cap: 13.14. Cyrenæi, sine dubio ex Cyrene urbe in Cypro insula: neq; enim credibile est ad Cyrenen Lybiæ emporium adhuc pervenisse Evangelium Christi; ob interjectum mare & distantiam loci. Hi viri Cyprij, sive ipsi ab Apostolis audierint, sive ab eorum discipulis; incipiunt non solis Iudæis, sed Græcis etiam prædicare Evangelium Christi. Nihil hic exprimit historicus, an famâ conversionis Cornelij; an Divino instinctu moti gentilibus prædicaverint. Ἑλληνιστὰς hic denotare Græcæ religioni deditos, patet ex verbis præcedentibus, cæte-

cæteri enim solis Iudæis loquebantur, putantes Evangelium ad eos solos pertinere; sicut Ierosolymitani, sup. v. 2. Itaq; Græci quo ad religionem Iudæis hic opponuntur.

V. 21. Καὶ ἦν. Viri non admodum celebres, magnam hominum multitudinem ad fidem Christi convertunt, Spiritu sancto cooperante, & addente efficaciam verbo: non est enim virtus illa in hominibus, 2. Cor. 4: 7. *Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. Deus enim personam hominis non respicit*. Gal. 2: 6.

V. 22. Ηκούσθη. Ecclesiæ Ierosolymitanæ præclarum studium, confirmandi Antiochenos in fide: facile enim fit, ut superveniant falsi doctores, qui nuper conversos in diversum sensum rapient; quippe non dum satis corroboratos: quod etiam hic postea factum esse videmus, infra cap. 15. Sic prædicante Luthero, supervenit Carlstadius, zuinglius, Muncerus & Anabaptistæ, seducentes magnam multitudinem, in Germania, Gallia, Belgio. qui se ex errore in hodiernum diem explicare non potuerunt. Sic Apostoli, gliscente controversia de abrogatione legis ceremonialis, de Antiochenis nuper fundatis pia cura afficiuntur; veriti etiam quos doctores nacti sint, ne quem errorem imbibant in initio, deinceps non facile expurgandū. Miserunt itaq; Barnabam, virum Apostolicum de cujus probitate, & doctrinæ synceritate ac perfectione ipsis probè constitit: ut si quid eis ad Evangelicæ doctrinæ perfectionem deesset ipse compleret. Qui cum præsens videret Divinæ gratiæ dona, in tanto gentilium numero, datam ipsis scilicet, conversionis gratiam, & participes effectos meritorum Christi, ad salutem; veritus, quod postea accidit, ne pseudodoctorum

ctorũ impostura turbarentur, aut abducerentur à synceritate fidei. Item, ne persequutionum procella territi, fidem receptam desererent. Itaq; hortatur, ut rebus integris firmiter in corde sibi proponant, in eadem perdurare: patientia igitur hîc opus erit, sicut docet Apostolus Heb. 12.

V. 24. ὅτι ἦν. Virtutes Barnabæ recenset: vir bonus erat, itaq; fide dignus, præterea donis eximijs Sp. sancti ornatus & magna constantia fidei; hoc est, ardore insigni propagandi fidem; itaq; multa erat efficacia ad conversionem & confirmationem multorum. Magna igitur fit conversorum accessio, ad reliquum credentium numerum.

V. 25. Ἐξῆλθε Ulterius describit studium Barnabæ; videt in populosa civitate occasionem magnam, itaq; opus esse in magna messe operarijs pluribus: idcirco profectus Tarsum, adsciscit Paulum socium, sibi notum, quem sup. c. 9: 27. Apostolis commendabat. Hi Antiochiæ prædicabant, confirmantes & informantes fideles, plurimos insuper convertunt ad fidem: adeò, ut cum tantus esset numerus conversorum, jam potentes facti, ausi sint nomen sectæ indere, & se Christianos appellare. Non minima hîc laus, ac celebritas accedit Antiochenæ Ecclesiæ, cujus conversio, ex gentibus tantæ multitudinis prima, & Christiano nomine insignis, fulget in mundo, quam diu prædicatur Evangelium: quæ nominis celebritas est quædam temporalis gloria, & illustris fidei celebratio, quæ comitem ducit gloriam æternam. Quo nomine celebratur mulier, ex beneficio Christo exhibito, Matt. 26: 13. Nec minima est Christianorum dignitas qui à filio Dei, Messia denominantur, qui ipsos Reges & Sacerdotes fecit. 1. Pet. 2: 9. Nec mi-

nima consolatio militantium sub vexillo ejus; cum quo etiam ingredientur in gloriam: Matt. 25: 34. Venite benedicti patris mei. Et Ioh. 17; 24. *Pater quos dedisti mihi volo, ut ubi ego sum, & illi sint mecum: ut videant claritatem meam.*

V. 27. Ultimo loco in hac secunda parte capitis, docet Evangelista, quomodo Deus exornaverit hanc Ecclesiam Prophetiæ dono, ad uberiorem doctrinæ confirmationem. Prædicitur fames sub Claudio, de qua Eusebius hist. l. 2. c. 12. Ex Josephi antiquitatum l. 20. cap. 2. Suetonius cap. 18. de hac fame sic loquitur: *Arctior autem annona, ob assiduas sterilitates, detentus quondam* (Claudius) *medio foro à turba, conviciis ac simul fragminibus panis ita instratus, ut agrè nisi ex postico evadere in palatium valuerit*, Incidit hæc fames fermè in annum salutis 46. qui erat 4. Claudij. Auditis fidem habent fideles; ubi notandus est insignis fidei fructus; solliciti sunt Christiani de Ecclesia Apostolica quæ fuit Jerosolymis, Christianæ Ecclesiæ fonte & columna, ne inopia fatigati docentes, qui præerant Ecclesijs, doctrinam desererent. Itaq; benigno affectu constituit quisq, ijs ad subsidium mittere, quod cujusq; facultas permittit, quasi sacrificium spontaneum & gratiam Deo, pro revelatione Evangelij. Mittunt autem per homines fideles; ne qua fraus fiat indigentibus, aut eorum liberalitas laude promerita privetur.

CAP. XII.

DEscribitur persequutio nova, superiore illa Pontificum & Seniorum vehementior: cum scilicet Apostoli, Ecclesiæ capita, sive præsides ad cædem rapiuntur, à Rege tyranno; cujus pœna & exitus tragicus ad finem capitis descri-

scribitur. Partes sunt quatuor. I. De nece Jacobi. II. De captivitate ac liberatione Petri. III. De gestis & colloquio Petri cum fratribus post liberationem. IV. De morte Herodis.

V. 1. Κατ' ἐκεῖνον. Tempus notat Apostolus, & superiora sequentibus connectit: hoc est, post conversionem Cornelij, & constituta jam Ecclesia Antiochena, videlicet, cum exultaret universa Ecclesia, ac lætitia insigni afficeretur, ex successu prædicationis & incremento Ecclesiæ, jam ad gentes usq; propagatæ: frustra renitentibus inimicis. Herodes sive instigatus à Ierosolymitanis, sive ex propria suspicione & malitia; Veritus ne hoc Christianorum institutum, in seditionem erumperet; constituit more tyrannico, capita hujus factionis è medio tollere; consequens est, populum Iudaicum Christianos prægravasse affectati regni calumnia, apud Herodem: sicut Christum, Matt. 23: 2. *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, prohibentem dare censum Cæsari, & dicentem se esse Christum Regem.* Est enim objectum crimen majestatis, qua insimulatione nulla est efficacior, ad accendendos potentum animos.

V. 2. Ἀνεῖλε δὲ. Erat Iacobus filius Zebedæi, Mar. 1: 19. quem cum Iohanne fratre, & Petro, rerum præcipuarum spectatorem esse voluit Salvator; clarificationis in monte; Matt. 17. cum oraret in horto, Matt. 26. &c. Unde major erat in illo autoritas, sicut in Petro & Iohanne. Non potuit autem hominem tantæ autoritatis morte afficere, sine plausibili causa.

V. 3. Καὶ ἰδὼν. II. Pars, captivitas ac miraculosa liberatio Petri. Quæ verò res ipsum moverit ad comprehendendum Petrum, non est dubium, eadem scilicet quæ Ia-

cobum; ne ipse, sublato Iacobo, factionis dux factus, res novas moliretur. Addit verò Evangelista causam aliam, applausum Iudæorum,& comprobationem homicidij perpetrati in Iacobum. Tempus notat, dies scilicet azymorum, hoc est, festis diebus Paschæ: quæ causa fuit quod in Petrum; ex lata sententia non sit mox gladio vindicatum.

V. 4. ὃν καὶ. Mortis sententiam in Petrum latam fuisse Evangelista docet, exequutioni dandam exactis diebus festis Paschæ; producendus erat populo: hoc est, populi desiderio ac expectationi satisfacere sine mora constituit. Metuit Rex, ne concitato tumultu Petrum ex custodia Christiani eriperent, itaq; carceri inclusum & catenis vinctum, addita militũ custodia diligenter servat. Custodiam hanc Evangelista magna cum diligentia describit, ut illustrior fiat liberatio.

V. 5. ὁ μὲν. Quid interim agunt fideles cæteri, Apostoli & congregatio fidelium? Non arma corripiunt, non seditiosè agunt, non sicarios in cædem tyranni armant, non de veneno deliberant, ut hostem Ecclesiæ tollant è medio, sicut mos est Iesvitis. Non excommunicatione feriunt, aut vicinos principes in ipsum concitant, subditosve juramenti religione liberant; sicut Pontificij, sed assiduis precibus apud Deum agunt, pro incolumitate & liberatione Apostoli. Memores promissionum Christi. Matt. 10. Nolite timere eos, & Ioh. 16. Quicquid petieritis in nomine meo dabo vobis.

V. 6. ὅτε δὲ. Quo propior erat hora mortis hoc magis auxit Tyrannus custodiam: ut custodia exterior tumultum & vim Christianorum prohiberet, interior personam Apostoli observaret, ne per dolum carcere aperto effugeret aut

custo-

custodes falleret. Erat enim memoria eorum quæ gesta fuerunt supra, cap. 5: 19. cum eos Angelus Domini carcere recluso liberavit.

V. 7. Καὶ ἰδού. Liberatio miraculosa describitur, docens quid possit humana industria adversus Deum, qui est Spiritus; Angeli quoq; & ministri, Spirituali virtute prædit, ut facile sit omnem vim humanam eludere. Mirum est autem Petrum, in tanto mortis imminentis periculo, dormire potuisse: facit autem id confidentia, ardens in Deum fides & spes vitæ æternæ; tutum enim se fore confidit, quocunque res cadat. Differtur autem, usitato modo, auxilium Divinum usq; ad extremum, cum res in summo discrimine esset, & de vita Petri actum esse videbatur, quo reddatur illustrius beneficium Divinum: Et hostes in conscientia convicti, de piorum innocentia, intelligant Deum esse autorem doctrinæ eorum, & potentem suorum defensorem. Item, ut addatur animus fidelibus, cum vident se Deo curæ esse, in maximis periculis. Angeli Dei cum splendore apparent, sicut in nativitate Christi, possunt apparere uni, reliquis inscijs, quod videmus etiam sæpe facere angelos, qui terribili specie sæpè alicui apparent, nihil tale sentientibus alijs, quamvis æq; præsentibus. Potuit etiam hic Petrum educere, custodes omnes fallere, portam carceris ferream aperire, eumq; liberum dimittere: sic validissimis claustris spiritus incorporei non cohibentur: Apostolus propter rei insolitam magnitudinem, animum colligere nequit, quia negocium visioni simile, mentem Apostoli in diversũ trahit, cum tam valida custodia, ex vinculis & morte eripi posse quenquam, videatur impossibile. Nec frustra tanta cum diligentia historiam hanc liberatio-

nis Petri Sp. sanctus describi voluit: sed ut consideratis circumstantijs omnibus, appareat doctrinam Apostolicam salutarem esse & verè Divinam, quæ Divino suffragio & tam illustribus miraculis, fidelibus simul ac infidelibus comprobatur.

V. 11. Καὶ ὁ Πέτρος. III. Pars capitis de gestis & sermone Apostoli post liberationem. Petrus jam solus ac liber factus, secum cogitat, mentem recolligit, cum admiratione cogitat de miraculosa liberatione, dat gloriam Deo, cujus potentia superat omnem potentiam Regum mundi, unde & *Rex Regum* dicitur 1. Tim. 6.

V. 12. Συνιδών τε. Mariam hanc piam ac verè Christianam fuisse, inde patet, quod in tanto periculo & furore Herodis, audet hospitium præbere conventui Christianorum, qui nocturno tempore coeunt ad preces, ne sentiat tyrannus. Maria mater Marci dicitur, sine dubio ejus, quem secum assumere volebat Barnabas, infra c. 15: 37. Col. 4:10. dicitur consobrinus Barnabæ. Meminit etiam cujusdam Marci Paulus 2. Tim. 4: 11. Petrus filium suum dicit. 1. Ep. c. 5: 13. sunt qui existiment esse Marcum Evangelistam.

V. 13. Κρούσαντος. Quanto cum gaudio Petrum exceperint Christiani, in de patet, quod ancilla etiam præ gaudio voluerit prius lætum nuncium fidelibus referre quam Petrum intromittere: hi verò præ stupore non potuerint credere, ullo modo ex tam valida custodia eum fuisse liberatum. Unde statuunt puellam aut vana loqui, aut adesse Angelum, qui Petrum & Apostolos liberavit è custodia, sup. cap. 5: 19. nunciantem Apostolum moriturum, eosq; frustra, pro liberatione ejus laborare. Viso autem Apostolo obstupescunt, mirantur rei novitatem, certatim rogan-

gantes quid novæ rei Petrus afferat. Petrus indicto silentio quid factum sit narrat, liberationis modum exponit; quomodo Deus misso Angelo eum è manu Herodis, eripuerit: fratribus læta nunciare jubet; modum scilicet positũ tyrannidi Herodis, ne in reliquos sæviat sicut proposuit. His dictis Petrus relicta Ierosolyma egreditur fines imperij Herodis, juxta consilium salvatoris, Matt: 10. fugit ad loca tutiora, ne Deum videatur tentare, & ut alijs quoq; prædicet, & plures ad fidem convertantur.

V. 18. Γενομένης. Quomodo hostes affecti fuerint describit, milites turbantur perculsi novitate rei, nescientes modum, quo Petrus ex vinculis & custodia tam valida effugerit: vident suplicia sibi parata, ob suspicionem conspirationis cum Christianis, sicut custos carceris, infr. cap. *16:27*. patet ex his verbis custodes sopitos aut obstupefactos Petri egressum sentire non potuisse. Herodes sæva quæstione explorata fide militum, cum intelligit Divina virtute liberatum Petrum, veritusq; ne & sibi quid novi contingat, conscientiæ terrore & numinis metu perculsus, discedit Cæsaream. Ex hac quæstione in milites institutâ, patescit magis veritas, Petrum scilicet Divina ope liberatum: apparet & ex fuga Regis, qui conscientiæ terrore locum mutat, ac persequutionem institutam deserit.

V. 20. Ἦν δὲ. IV. Pars capitis de Herodis exitu tragico. Aliam causam Evangelista affert quæ Herodem avocat, inimicitiam adversus Tyrios: his infensus erat, forte, ut fit, quia ipse potentia auctus, videt hos suis injurijs maxime oportunos, quorum potentia minor erat quam aliorum vicinorum; Romanis enim subjectus erat; Parthorum & Persarum vires tentare non audet, Tyrios itaq; aggreditur

ditur ac injurijs lacescit: quos cum terra Commeatu prohibere possit; ex vicina Galilæa, & judæa maritima, itaq; Cæsaræam petit, civitatem maritimam & munitam: unde merces & commeatus etiam classe prohibiturus videbatur. Tyrij viso periculo. Blastum cubicularium precibus muneribusq; sollicitant, ut placato tyranno pacem suadeat.

V. 21. Ταχτῇ. Constituit autem Herodes diem: quo cum Tyrijs de summa rerum ageret: & ornatu Regio prodit in publicum, ac tribunal conscendit, ac convocata concione causas hujus dissidij exponit, cum Tyrijs ac Sidonijs transigit. Populus videns magno cum splendore rem peragi, magnificentiam ac sermonis ornatum in Rege miratur, & adulatoriè commendat: ethnico more Divinos honores Tyranno defert. Ipse oblatum honorem recipit probatq;. Iosephus narrat facta hæc fuisse etiam, cum spectaculum seu ludos faceret in honorẽ Cæsaris, cum Solis radij reflexi vestem, auratã Regis illustrassent, hæc verba protulisse aulicos, ac simul eum ut Deum adorasse. Antiqu. l. 19. cap. 7. Confestim itaq;, hoc est, in conspectu hominũ percussit eum Angelus Domini, vel visibili specie apppa-rens, ut putant nonnulli; vel, ut Iosephus tradit, quod ad rem satis esse videtur, corripiendo Tyrannum repentina ægritudine, ut languidus ex conspectu hominum discedere sit coactus. Fœda lue ac putredine intestinorum exorta, nascebantur vermes, à quibus consumptis intestinis, miser extinctus est: eo quod non daret gloriam Deo, hoc est, quia se Divino consilio, de prædicando Evangelio, opposuit; nec miraculis persuasus & Divino testimonio, cœ-

lesti

lesti doctrinæ consentit. Deinde quia Deo debitum honorem sibi attribui passus est.

V. 24. ὁ δὲ λόγος. Herodis interitu territi hostes, de persequutione fidelium remittunt, & respiratio datur Ecclesiæ, succedente melius doctrina Evangelij: non enim est consilium aut prudentia ulla contra Dominum; Prov. 21:30.

V. 25. Barnabas & Saulus dum hæc gesta sunt, fuerunt Ierosolymis, ab Antiochena Ecclesia missi, ad perferendum subsidium Ecclesijs Iudææ collatum, ex contributione fidelium. sup. c. 12: 29. Forte etiam ad sacrificandum & orandum pro successu & pace Ecclesiæ:

CAP. XIII.

SEcunda pars Historiæ Apostolicæ nunc sequitur: quæ, ut in initio dictum est, de peregrinatione, concionibus, actis & adversis Apostoli Pauli agit, usq; ad finem; Estq; bimembris, quorum primum habet partes 4. Prima agit de missione Pauli & peregrinatione ad gentes Syriæ minorisq; Asiæ, ac reditu Antiochiam unde egressus erat: duobus primis capitibus. 15. cap. Synodus Ierosolymitana describitur. 3. Visitatio Ecclesiarum in quibus antea prædicavit; cum ulteriore progressu usq; in Macedoniam & Græciam: cap. 16. 17. & bona parte cap. 18. Quarto loco sequitur reditus Apostoli in Asiam & Syriam, cum his quæ Ephesi gesta fuerunt, toto biennio, quo ibi resedit Apostolus, usq; ad cap. 20. Posterius membrum hujus partis describit iter Apostoli Ierosolymã, & exortã adversus eum persequutioné cum captivitate & accusatione coram præsidib9: usq; ad cap. 27. Deinde ut missus fuerit vinctus Ro-

 mam

mã ibiq; prædicaverit Evangeliũ toto biennio; uſq; ad finẽ hujus hiſtoriæ. Huj9 capitis tres ſunt partes. I. De electione & miſſione Pauli & Barnabæ, ad prædicandum gentibus.

V. 1. Ἦσαν δέ. Ad majorem autoritatem Eccleſiæ Antiochenæ, oſtendit Evangeliſta quibus doctoribus uteretur; erant autem Prophetæ, vel prædicentes futura, ut Agabus, ſupra, c. 11: 28. & inf. c. 21: 10. Vel qui in interpretatione ſcripturarum excellunt. Veriſimile eſt autem in primitiva Eccleſia fuiſſe donum prædicendi futura, ſicut ex Pauli, Petri, Iohannis vaticinijs Agabi quoq; manifeſtum eſt, filiæ quoq; Philippi diaconi inf. c. 21: 9. Neq; enim fruſtra credendum eſt dixiſſe Petrum ſup. c. 2: 17: filij veſtri & filiæ viſiones videbunt. Doctores dicebantur qui ipſi in fide Chriſti probe informati & fundati, ſimpliciores informabant, de quibus Paulus ad Timoth. 2. Ep. c. 2: 2. & Eph. 4: 11: plures gradus enumerat. Manahen Herodis σύντροφον. inter alios numerat: Sine dubio virum nobilem & ab Herode ornatum dignitate & opibus ut fieri ſolet cum illis, qui magnatum familiaritate & gratia pollent.

V. 2. Λειτουργούντων. Mandatum Sp. ſancti, & vocatio Pauli ac Barnabæ, ad prædicandum gentibus: facta eſt autem hæc revelatio, dum in congreſſu jejunantes, cultui Dei & ſacris vacant. Sequitur verò ordinatio, cum precibus ac manuum impoſitione, ac miſſio: quæ omnia Sp. ſanctus tanta cum diligentia conſignari voluit, ut oſtendat mandato & voluntate Divina prædicatum eſſe Evangelium Gentibus: ut illuſtribus his revelationibus, corrigeretur perverſa Iudæorum ſententia, exiſtimantium Evangelium cum beneficijs Meſſiæ, ad ſe ſolum pertinere; non item ad gentes. Nam etiam ad gentes ſalutem pertinere ſupra o-

ſten-

ſtenſum eſt cap. 10. Et Paulus oſtendit, Rom. 11. Gal. 3. Eph. 2: 11. 3: 7. Quod etiam ſalvator intendit, ſimilitudine laborantium in vinea; Matt. 20. Itaq; Paulus & Barnabas primum immediatè à Deo vocati erant, ad prædicandum gentibus.

V. 3. Τότε. Deinde mediatè, per ordinationem, factam à doctoribus Eccleſiæ, ſupra nominatis, cum manuum impoſitione: quæ erat ceremonia in ordinatione uſitata, ut patet 1. Tim. 4: 14. & 2 Tim. 1: 6. Ad ordinariam vocationem ſatis erat juxta præſentem ſtatum Eccleſiæ, miniſtrorum ſuffragiũ & ordinatio miſſioq; ſine conſenſu magiſtratus aut Eccleſiarum ad quos mittebantur; cum adhuc eſſent increduli. Peracta fuit hæc ordinatio jejunio, precibus ac ſumma devotione, ut ſciamus à Deo vocari, ordinari & mitti miniſtros, ipſum quoq; ſucceſſum largiri: itaq; à Sp. ſancto dicuntur miſſi.

V. 4. Οὗτοι. II. Pars cap. Ex qua patet, ſine mora progreſſos fuiſſe ordinatos, ad opus, ſine reſpectu laboris & periculi, quod comitabatur prædicationem Evangelij. A vicina Seleucia maritima in Cyprum inſulam populoſam ac divitem perveniunt, & Salaminem civitatem, Seleuciæ oppoſitam: atq; juxta ordinationem ſalvatoris, in Synagogis Judæorum prædicant, primo ipſis offerentes gratiam Evangelij, inf. v. 46. Deinde, quia habuerunt Judæi patres ac Prophetas, unde deſumenda fuerunt probationum fundamenta. Johannes hic etiam Marcus dictus fuit: ſup. c. 12: 25:

V. 6. Διελθόντες. Converſio Sergij Proconſulis deſcribitur: ubi primò occurrit pugna cum ſeductore, homine Mago; ſicut Samariæ, ſup. c. 8: 9. Satanas enim Evange-

lij hostis, ut gentes in errore contineat, ne miraculis Apostolorum ad fidem recipiendam adducantur, Magos opposuit, præstigijs illudentes incredulis, æmulando miracula Christianorum: fecit idem in Ægypto coram Pharaone; Exo. 6. Nam plurimum est incantationis & veneficij semper, ubi Ethnicismus dominatur, aut falsa religio. Elymam Evangelista Magum interpretatur: Vetus vocum Biblicorum interpretatio, transgressorem; Pseudopropheta erat; natione Iudæus, sicut Simon Samaritanus, sup. c. 8: 9. Dici voluit Barjesu, voce Syriaca, hoc est, filius salvatoris: Homo salutem afferens eam, de qua nunc fama ferebatur in oriente, ex nativitate, miraculis, resurrectione & beneficijs salvatoris. Sic magno titulo dolum tegens, gratiamq; Proconsulis captans, sperabat se ejus ope posse Evangelij doctores à Cypro insula avertere. Proconsul vir prudens, agnita vanitate idololatrica gentilium, aures præbuit homini Iudæo, saniora perhibenti ex scripturis: Iamq; fama miraculorum ac doctrinæ Pauli & Barnabæ permotus, eos quoq; audire cupiens, ad se vocat. Restitit præstigiator Magus, suæ autoritati metuens. Paulus itaq; justo adversus ipsum zelo commotus, adversantem sibi primo verbis castigat: deinde cæcitate punit, ut omnes intelligant, Evangelium non ex hominum voluntate prædicari per orbem, sed Deo autore, cujus virtute miracula fiunt, omni fascinatione diabolica majora. Convincitur Magus doli & imposturæ, ac perversi studij adversus Deum; fitq; manifestum, eum non esse Dei salvantis, sed Diaboli filium, cujus arte & auxilio utitur. Proconsul videns digito Dei superari diabolum & Magum, credit ac miratur virtutem

tutem ac potentiem Dei, oblatam Dei gratiam recipit, cum gaudio & gratiarum actione.

V. 13. Ἀναχϑέντες. III. Pars cap. habet primò concionem Pauli ad Iudæos & populum Antiochenum: deinde varium hujus concionis effectum, apud Iudæos simul & Græcos, A Papho Septentrionem versus, in minore Asia, Perga primum occuerit; longius verò ingredientibus succedit Antiochia Pisidiæ, ad radices Tauri montis. Iohannes discedit, sive itinrris tædio, sive laborum aut periculi molestia permotus; sen cura Matris, sup. c. 12: 12. rerumq; domesticarum: neq; enim quivis quibusvis ministerij laboribus est aptus: quo spectat similitudo de aratro, Luc. 9. Et ædificante turrim: Luc. 14: 28. Quod autem ipsis nolentibus discesserit, patet infra, c. 15: 38. idcirco Paulus eum in visitatione Ecclesiarum assumere noluit.

V. 15. Μετὰ. Usitatum fuisse in sacris Iudæorum conventibus Moysen legere & Prophetas, ex hoc loco patet, & inf. v. 27. 2. Cor. 3: 15. Et Lucæ 4: 17. traditus est, Christo liber Esaiæ, Postulant verò præsides Synagogæ à Barnaba & Paulo exhortationem ad populum: sive quia facie ipsis sive fama noti facti sint, sive ex habitu seu quia ex loco quē occuparunt: colligimus autem fuisse hanc consuetudinem Iudæis, sicut & hodie nobis, offerendi advenis doctoribus docendî partes in Ecclesia, ad declarandam concordiam doctrinæ, aut consensum animorum. Ambitiosi autem & inquieti, non facile id permittunt, ut laus universa apud ipsos permanet: neq; etiam de aliorum consensu aut amicitia multum sunt solliciti.

V. 16. Ἀναστὰς δὲ. Incepit concio Apostoli, habens Exordium, Narrationem, Propositionem seu trasitionem ad

thesin, confirmationem, cum intermissa confutatione & increpatione loco conclusionis. Exordio benevolentiam captat & ad attentionem excitat; 1. Israelitas grata ipsos appellatione compellat. 2. veri Dei cultores dicit, quales videri cupiunt Iudæi, & ut includat religiosos ex Gentilibus, qui cultum veri Dei ex Judæorum conversatione didicerunt.

V. 17. ὁ Θεὸς. Narratio; ex historia nota incipit, probatq; ex gratuita electione Dei, non ex ullo suo merito, gentem Iudaicam in hanc magnitudinem crevisse: quos Deus ex media idololatria, & deinde ex servitute Ægyptiaca ereptos, eduxit Josv. 24. multa cum tolerantia per desertum: sæpius ab ijs offensus: Exo. 32. cultu vituli, peccato filiorum Aaron. Lev. 10. seditione Corah. Num. 16. Murmuratione ob aquæ defectum. cap. 20. Et tædiū Man. cap. 21. Scortatione cum Baalpeor, & Moabitis; cap. 25. Ob quæ peccata cum eos justè perdere potuisset, ignovit tamen, eosq; in terram promissam introduxit; destruens coram ipsis Cananæos. Iterum seditiose agentibus adversus Deum & Samuelem, peccatum condonavit, eorumq; voluntati obtemperans tribuit ipsis Regem Saul, postea Davidem. Reges victorijs illustres. Et David cum Deum sæpè graviter offendisset, adulterio, homicidio, & numerando populum.: tamen cum ipsum Deus bonis plurimis cumulasset, superaddidit promissionem de Messia. 2. Sam. c. 7: 12. quæ bona, juxta rigorem Divinæ justitiæ, David peccatis suis potius perdidisset: ea tamen Deus ex misericordia tribuit. Dicitur tamen fecisse omnes voluntates Domini, quia fide in Messiam Deo placuit, admonitus seriam pœnitentiam egit, & pœnas inflictas patienter tulit, dans

glo

gloriam Deo Ps. 119: 137. *Iustus es Domine & justa judicia tua.* Et. *Bonum est mihi Domine quod humiliasti me.* v. 71. cultum Dei verum pro viribus promovit. In gubernatione justitiam, exercuit.

V. 23. Τούτου ὁ Θεὸς. Propositio, quam propter aversionem Iudæorum hactenus occultat; Postquam verò ostendit gratuita esse bona omnia, quæ huic genti Deus præstitit; non propter eorum merita, sed propter Messiam, quem ex ea gente nasci voluit: jam præparatis judæorum animis, ingerit sententaim de Christo Messia quam probare instituit. 1. Ratio confirmationis est., quia natus est ex posteritate David: erat enim Ioseph & Maria ex domo Davidis. Luc. 1: 27. juxta promissionem, 2. Sam. 7: 12.

V. 24. Προκηρύξαντος. 2. Ratio confirmationis, à prædicatione Iohannis præcursoris; sicut prædixit Malach. cap. 3: 1. 4: 5. Prædicavit baptissimum pœnitentiæ, ut pararent viam Domino; sicut prædixit Esa. c. 40: 3. Joh. 1: 23.

V. 25. Ὡς δὲ 3 Ratio à testimonio Iohannis, qui erat magnæ existimationis apud Iudæos; cui etiam Messiæ dignitatem ipsi obtuleruunt. Joh. 1: 20. Quæ causa fuit, cur etiam ad Johannis testimoium eos Christus remisit. Ioh. 5: 33. ipse Iohannis testimonio non egens ibidem v. 24.

V. 26. Ἄνδρες. Repetit captationem attentionis & benevolentiæ: & ostendit verbum Evangelj Christi ad eos missum esse, ut salventur; ad hoc enim missi erant Apostoli ut gentibus & Iudæis apud eos habitantibus, hanc Dei gratiam prædicarent.

V. 27. Οἱ γὰρ. Occupatio qua occurrit objectioni: Si Christus quē prædicatis, verus est Messias, à Deo promissus; quare non recceperūt eū Pontifices & primores nostræ gentis,

tis, sed accusatum coram Pilato & damnatum, cruci affixerunt.? Respondet Apostolus; non noverunt eum, propter errorem & cæcitatem cordis; quam Dei ignorantiam ipsis Christus objicit, Ioh. 5. & 8. Et quia sine Christo in lectione Mosis versabantur, itaq; obtusi fuerunt sensus eorum, & velum positum est super cor eorum, usq; in hodiernum diem. 2. Cor. 3: 13. Expectabant enim Messiam Regem terrenum salvantem eos ex manu hostium terrenorum. Voluntariam fuisse hanc ignorantiam, & ut vocant, ascitam seu affectatam, probat; neq; enim in universum ignorare potuerunt verba & prædictiones Prophetarum, de passione, morte, sepultura, resurrectione ejus, *quæ per omne sabbathum legebantur.* At damnatus est publico judicio, & cruci affixus? Respondet, nihil hoc officit officio Messiæ; cui moriendum erat secundum scripturas: quod argumentum adversus discipulos incredulos Christus urget, Luc. 24: 25. Paulus 1. Cor. 15: 3. & 4. Et populus Iudaicus ingnorans exequebatur voluntatem Dei, quamvis aliud intenderet. sup. c. 4. 27. Nec ullam causam mortis in eo invenerunt, confitente Pilato judice. Et Esa. 53: 9. Huc spectant dicta Mosis, Davidis & Prophetarum de morte, passione & resurrectione Christi; quæ Paulus sine dubio ipsis recensuit & proposito accommodavit. Et hæc est Confutatio, qua refutat ea quæ Iudæi objicere potuissent ad dissuadendum, & impediendum negocium prædicationis Pauli.

V. 30. ὁ δὲ Θεὸς. Novam propositionem ponit, ostendens Christum resurrexisse ex mortuis: ideoq; esse Deum, & Dei filium, victorem inferni & mortis. Et est quarta ratio probans Christum esse Messiam. Probat id testimonijs

nijs viventium hominum: & Prophetarum prædictionibus, Viva fuerunt testimonia Apostoli, & qui enumerantur ab Evangelistis, & Paulo 1. Cor. 15. Qui viderunt gloriam ejus, & quæ se vidisse testantur; Paulus infra c. 22. 2. Cor. 12. Pet. 2. Ep. c. 1. Ioh. 1. Ep. c. 1: 1. Et Petrus sup. c. 10: 41. Prima igitur probatio resurrectionis Christi est à testimonio eorum, qui Christum viderunt redivivum post mortem, qui adhuc sunt in vivis: nec semel viderunt eum sed per dies multos, & multi simul, & nunc palam eadem testantur. 1. Cor. 15.

V. 23. Καὶ ἡμεῖς. 2. Ratio, desumitur à promissionibus ad Patres, & Prophetarum vaticinijs: itaq; doctrina Apostolorum non dissentit à Mose & Prophetis; nec labefactata est promissio in morte, sed renovata & stabilita in resurrectione Christi. Promissio prima fuit de semine mulieris, Gen. 2. deinde ad Abrahamum, Gen. 12. tertia ad Davidem. 2 Sam. 7. His addantur vaticinia Prophetarum, quæ omnia in Iesum Nazarenum quadrant, & in ipso consummantur. Confirmat supradicta testimonio Davidis, qui Ps. 2. docet Messiam esse filium Dei, æternum: *hodie*, vox æternitatem denotat, ubi non est præteritum aut futurum, initium vel finis. Talem fuisse Iesum probatur, *quia impossibile fuit teneri eum in morte* aut inferno, sicut Petrus explicat, sup. c. 2: 24.

V. 34. Ὅτι δὲ. Probat idem vaticinio Esa. 55: 3. *Feriam vobiscum pactum sempiternum misericordias David fideles:* hoc est, promissam Davidi gratiam fideliter vobis servabo: sicut explicat vernacula nostra versio. Videtur enim Evangelista sequi versionem septuaginta interpretum. 3. Itaq; est ratio Christum debere ex mortuis resurgere, alias non

servasset Deus promissionem, extincto & abolito redemptore in morte. 4. Ratio confirmationis ex Ps. 16. sicut Pet. sup. c. 2. *Non relinques animam meam in sepulchro.* Ubi etiam corruptelam Iudæorum refellit, qui hæc verba de Davide explicant. vide supra cap. 2: 29. Solus enim Christus Divina virtute vicit mortem, & resurrexit: itaq; ipse secundum scripturas est Filius Dei messias, salvator hominum promissus.

V. 38. Γνωστὸν. Positis his fundamentis infallibilibus, jam infert exhortationem ad pœnitentiam & fidem Christi recipiendam: quæ fuit intentio totius argumentationis præcedentis, qua probavit Iesum esse filium Dei, Messiam promissum, salvatorem mundi: hunc ab Apostolis prædicari, offerri peccatorum remissionem, Dei gratiam & salutem æternam, quam benigna voluntate ac spontaneo animo recipere decet omnes, quibus prædicatur hoc Evangelium. Rejicit autem justificationem, quam quærunt per opera Legis, velut ad salutem inutilem; aliàs hunc locum de justificatione operum ex professo tractat in Ep. ad Galatas: ad Rom. 3. videatur etiam cap. 3. 2. Ep. ad Cor. ubi confert ministerium literæ ministerio Spiritus.

V. 39. Ἐν τούτῳ. Tandem infert propositionem generalem: *Omnes scilicet credentes in Christum justificari*; quam propter aversionem Iudæorum occultavit, donec perversam opinionem animis auditorum exemerit, & evidentibus argumentis fundamenta jecerit. De fidei justificatione vide plura, Rom. 3. Gal. 3. Eph. 2.

V. 40. Βλέπετε. Concludit cum gravi comminatione, desumpta ex Abacuc, 1:5. Spiritus enim fervore concitatus Apostolus; vel ex contumelia Iudæorum, in Synago-

gis

gis prioribus ubi prædicabat, ſive quia in concione fremitus & murmur auditorum notabat: quos retundere neceſſe fuit, ne eorum exemplo ſeducerentur credentes. Minatur Deus per Prophetam, traditurum ſe Gentem Iudaicam in manus Aſſyriorum, propter tyrannidem Manaſſis & potentum, qui abjecta lege Dei, ſectantur idola; inquiſitione duriſſimâ inſtituta in omnes, qui eadem impia facere recuſant. Unde multa ſanguinis effuſio, bonorum direptio, oppreſſio innocentum in judicio, falſis criminibus objectis; ad promovendam idololatriam, & verum cultum Dei extirpandum. Minatur ſimilia Apoſtolus Ieroſolymitanis, & Iudæis incredulis, rejicientibus Evangelij gratiã oblatam: (prædixit ſimilia Iudæorum genti Chriſtus, Matt. 24: 2. Luc. 19: 42. 22.5. Daniel cap. 9:26.) Ut Iudæi majorum ſuorum exemplis territi, deſinant Evangelij prædicationi reſiſtere, & perſequi miniſtros ejus à Deo miſſo.

V. 42. Ἐξιόντων. Poſteriore membro hujus tertiæ partis, apparet quis fuerit eventus ſeu fructus, prædicationis Pauli. Primò multi ex gentibus converſi ad fidem plenius in doctrina Chriſtiana informari cupiunt: Iudæi quoq; & proſelytæ Paulo ac Barnabæ adhærentes, confirmantur in fide; ſic concio Pauli fructum facit, cooperante Sp. ſancto, & fidem accendente in cordibus eorum. Tertiò, fideles converſi reliquam multitudinem adducunt, ad eandem fidem, & ad audiendum verbum Dei.

V. 45. Ἰδόντες. Iudæi increduli contra, inflammati atq; zelo repleti pro antiqua, ut putant, religione, & juſtitia operum juxta legem, *ignorantes juſtitiam Dei.* Rom. 9: 31. qui dicitur *Zelus, ſed non ſecundum ſcientiam*, Rom. 10: 2. & c. 11: 7. Deinde zelum habent pro gloria temporali, pompa Sacer-

dotali, pro ritibus & ſplendore templi ac cæremoniarum. Ier. 7: 4. *Templum Domini, templum Domini.* Itaq; Moyſi diſcipulos ſe profitentur, Ioh. 9: 28. Et Pontifices de loco ſuo metuunt. Ioh. 11. 48. Et Chriſtum accuſant quod templum deſtruat cum traditionibus quas habent ex Moyſe. Matt: 26: 61. Et Stephanum, Act: 6: 13. Tertiò; Zelo ferebantur adverſus Gentes, quos ad religionis & fidei communionem admittere recuſabant: Sup. c. 10: 3. Itaq; Paulum primò rationibus adoriuntur; quibus deſtructis, ad jurgia prorumpunt & contumelias. Apoſtoli verò à propoſito minimè deterriti nec remittentes, prædicationem urgent, vocationi confidunt, mandata exequuntur, cum comminatione. Iudæis primò prædicandum erat, juxta vaticinium Eſa. c. 2: 3. *Ex Zion exibit Lex*; &c. Et Matt. 10. Emittuntur primum *ad oves perditas domus Iſrael.* Poſtea *in univerſum mundum.* Matt. 28. Eſa. 49: 6.

V. 48. *Ἀκούοντα.* Iterum celebratur felix ſucceſſus prædicationis Evangelicæ, in Gentibus: nihil enim commovebantur ad blaſphemas voces Iudæorum, ſed audientes ſibi quoq; miſſam eſſe à Deo Evangelij gratiam, ut & illi ſint beneficiorum Chriſti participes, lætabantur. *Crediderunt quotquot ordinati erant ad vitam æternam*: hoc eſt, qui in fide Chriſti permanſerunt: illi enim omnes ordinati ſeu prædeſtinati ſunt ad vitam æternam, qui fidem recipiunt & in ea perſiſtunt; fides autem Chriſtum reſpicit. Brentius breviter ſic explicat: *Quod Lucas dicit, Crediderunt quotquot erant ad vitam æternam ordinati, idem eſt quod Johannes ait; Quotquot receperunt eum, dedit ipſis poteſtatem filios Dei fieri, his qui crediderunt in nomine ipſius. Proinde ne in profunda prædeſtinationis abyſſo ſubmergaris, noli prædeſtenationem tuam,*

neq;

neq; in abſcondito Dei conſilio, (hoc enim explorare non eſt humanæ mentis) neq; in teipſo, in quo nihil aliud quam perpetuam damnationem reperies: ſed in Chriſto Jeſu quærere. Hæc ille. Nihil itaq; hîc de abſoluta illa prædeſtinatione quæ eſt extra reſpectum Chriſti aut fidei: Elegit enim nos Deus in Chriſto. Eph. 1:4. & 5. reſtringit electionem ad fidem Chriſti; extra quam nulla eſt electio.

V. 49. Διεφέρετο. Alter fructus fama hujus Evangelij & diſperſio per univerſam regionem vicinæ Aſiæ.

V. 50. οἱ δὲ ἰουδαῖοι. Alium tumultum deſcribit: videntes Iudæi ſucceſſum prædicationis, concitant principes, ut vi ejiciant Apoſtolos, quos verbis confundere non poſſunt, abutuntur verò ſimplicitate mulierum, quæ religioſæ putabantur, ad concitandos potentes: quod eſt Diaboli & pſeudodoctorum artificium. 2. Tim. 3; 6. Et in paradiſo fœminam prius aggreditur. Expelluntur itaq; Apoſtoli, non ex civitate ſolum, ſed ex omni regione & territorio ſubjecto. Apoſtoli verò juxta mandatum Chriſti Matt. 10: 14. pulverem pedum excutiunt, ut hoc indicio pateat prædicatum eſſe ipſis Evangelium, & ab ingratis non receptum: minatur verò ſalvator, loco citato, talibus pœnas infernales, Sodomæ & Gomorræ graviores.

V. 51. οἱ δὲ. Ne quis putet inanem fuiſſe Apoſtolorum operam, deficientibus ſimul his, qui prius crediderunt; ſubjungit Evangeliſta, credentes permanſiſſe in fide, cum gaudio exultantes ex miſericordia Dei, ac donis Sp. ſancti gratioſis.

CAP. XIV.

DEſcribitur hoc cap. prædicatio Apoſtolorum & mira-

cula facta Iconij: postea Lystris. 3. Reditus per plantatas Ecclesias Antiochiam, nude erant egressi.

V. 1. Εγένετο. I. Pars cap. De rebus gestis Iconij. Apostoli ejecti ex Antiochia & Pisidiæ finibus, non desperabundi de successu prædicationis, opus relinquunt, mox domum reversi: sed progrediuntur Iconium, non longe dissitam, Septentrionem versus, & prædicantes Evangelium, magnam multitudinem hominum convertunt.

V. 2. Οἱ δὲ Ιουδαῖοι. Oritur iterum seditio: Judæi enim increduli, exemplo eorum qui Antiochiæ seditionem fecerunt, idem hîc factitant; sed frustra in initio, resistentibus Apostolis disputatione, doctrina & miraculis, benedicente Deo, qui ministris suis astitit: ut cum multa fiducia & longo tempore opus urgerent, & miraculis doctrinam confirmarent. Notandum verò est miracula pro Divino testimonio hîc adduci, sicut etiam Christus idem testimonium profert suæ missionis ac doctrinæ Joh. 5: 36: *Ego habeo testimonium majus Iohanne: opera quæ dedit Pater ut perficiam ea; ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* Et Ioh. 15: 24. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alijs fecit; peccatum non haberent, &c. quia nemo potest hæc opera facere, nisi Deus sit cum eo:* sicut fatetur Nicodemus. Ioh. 3. Evangelium dicitur verbum gratiæ Divinæ, quia annunciat gratiam Dei, hominibus exhibitam in Christo: utitur hac phrasi Paulus infra c. 20: 32.

V. 4. Εσχίσθη δὲ. Divisa est multitudo; unde patet quantum exiguo tempore creverit in hac civilate religio Christiana, ut dimidia pars Reip. in pates Apostolorum secesserit: perduxerunt huc usq; rem Apostoli, multa suasione, sine dubio, multa exhortatione, contradicentium

con-

confutatione, disputatione, miraculis, laboribus, periculis ex insidijs adversariorum. Quia verò, crescente nimirum zelo partis adversæ periculum erat, ne lapidibus obrutis Apostolis, seditio oriretur in civitate; Apostoli tale quid sentientes, malunt se subducere, & migrare ex civitate: ne ipsi seditionis autores dicerentur, & Christiana religio propter eos malè audiret: sicut etiam hujus criminis Paulus reus agitur, infra cap. 24: 5. Fugere autem de civitate in civitatem, ad declinandam presquutionem Christus permisit; Matt. 10: 23. Neque enim Evangelij doctrina jubet quemquam, in manifestum vitæ discrimen se conjicere, si possit effugere.

V. 6. Συνιδόντες. Recto itaq; itinere pergunt ad interiora Asiæ, videlicet in Lycaoniam: ibiq; commorantes, non solum in civitatibus, sed universam regionem peragrantes, vocant omnes ad Evangelij fidem. Laudabilis est diligentia Apostolorum, qui nullo labore, nullis periculis revocantur, à docendi munere; freti auxilio Divino, & legitimæ vocationis confidentia: & quia desiderio insigni feruntur propagandi Evangelium, ad Dei gloriam, & dilectionem proximi. Cupiunt enim quamplurimos ex condemnationis gurgite eripere, & ex diaboli vinculis liberare.

V. 7. Καί τις ἀνὴρ. II. Pars cap. quid Lystris actum sit exponit: primo, prædicato Evangelio, miraculum factum in homine claudo. Est & Lycaonia minoris Asiæ regio, Septentrionē versus progredientibus, à mari per Pisidiam & Iconium ad mediterranea: à Lycaone Rege sic dicta quem Iupiter in lupum convertit, ut est in Poetarum fabulis. Ovid. Metam. Ubi cum prædicarent Evangelium & fidem

fidem Christi, ac salutem Gentibus acquisitam per meritum ejus qualia etiam capite præcedente Antiochiæ: ibi forte homo claudus ab utero matris, (quem nulla medicina sanum reddere potuit,) motus fama miraculorum factorum Iconij, concioni interfuit, ἀτενίζας, Paulum intuetur intentius. Paulus, ex diligenti ejus auscultatione ex constanti intuitione intelligens, eum non solum verbis Apostoli credere, sed insuper spem sanitatis concepisse, ideoq; ipsum sanum reddidit.

V. 9. Εἶπε. Fecit id Apostolus voce magna, ut intelligeret omnis multitudo, Divina virtute, per vocem Pauli, sanatum esse hominem. Sic Deus affuit prædicationi, operando miracula, ad confirmationem doctrinæ, juxta promissionem Christi: Mar. 16: 17. Intelligimus autem non semper facta esse miracula, & ubiq;, sed impellente Deo, instinctu peculiari: quod etiam Christus ostendit, Lucæ 4: 23. & declarat exemplo Eliæ. *In veritate dico vobis* (ait) *multæ viduæ erant in diebus Eliæ:* &c. Et Luc. 5: 17. *Et factum est una dierum, ipse sedebat docens. Et virtus Domini erat ad sanandum eos.* Non igitur ad arbitrium hominum, sed operante & inspirante Sp. sancto fiebant miracula: ut esset virtus Dei, non hominum. Paulus Sp. sancto repletus dicitur, cum Elymam cæcitate percussit: sup. c. 13: 9.

V. 11. Οἱ δὲ ὄχλοι Effecta deinde describit, miraculi, apud homines idololatras, qui miraculum non adhibent ad Evangelij confirmationem, sed ad superstitionem Ethnicam; & Divina opera idolis suis assignant, more usitato gentilibus, qui Divina beneficia humano generi præstita, alia Iovi, alia Iunoni, Veneri alia, Cererive aut Baccho. &c,

tri

tribuunt. Jupiter à juvando quasi juvans pater dicebatur. Cic. de nat. Deorum. l. 2. Dicitur Divum atq; hominum pater, à majoribus autem nostris optimus maximus. Mercurium Deorum nuncium seu oratorem gentiles putarunt; verbum quoq; Deorum; ut est apud Justinum, orat. ad Antoninum, ante med. Diaboli artificio; ut fidem de Christo Ethnicæ impietati conformaret. Gentes enim destitutæ verbi Divini luce, mentem ad Deum invisibilem elevare nequeunt; sed defigunt in creaturas & visibilia, quæ admiratione digna videntur, mundum, cœlum, stellas, Reges etiam virtute claros; unde orta est idololatria. Rom. 1: 23. Sap. 14.

V. 12. Ὁ δὲ ἱερεὺς. Sacerdos officium ritu Græco exequitur, Deos quos putat Divino honore exornat; sacrificia profert. Creditum fuit in Lycaonia, Regem Lycaonem ob contemptum numinis in lupum fuisse à Jove conversum, Regiam fulmine tactam, cum supellectile & domo Regia conflagrasse: itaq; Sacerdos, ne urbs eodem malo afficiatur, Deos quos putat, honorandos esse existimat; ne Jupiter ut antea misso fulmine civitatem absumat. Hi sunt errores ignorantiũ verum Deum, superbia vero spirituũ & hominum malorum affectantium Divinos honores: de quibus Augustinus, *Paulus & Barnabas in Lycaonia, facto quodam miraculo sanitatis, putati sunt Dij, eisq; immolare victimas voluerunt; quod à se humili pietate removentes, eis in quem crederent annunciaverunt Deum. Sed nec ob aliud fallaces illi superbe sibi hoc exigunt, nisi quia vero Deo deberi sciunt. Non enim revera, ut ait Porphyrius, & nonnulli putant, cadaverinis nidoribus, sed Divinis honoribus gaudent. Copiam verò nidorum magnam habere undiq;, & si amplius vellent, ipsi sibi poterant exhibere.*

bibere. Qui ergo Divinitatem sibi arrogant Spiritus, non cujuslibet corporis fumo, sed supplicantis animo delectantur, cui subjecto deceptoq; dominentur, intercludentes iter ad Deum verum: ne sit homo illius saarificium, dum sacrificatur cuipiam præter illum. l. 10. de civ. Dei, cap. 19.

V. 13. Ἀκούσαντες. Tertio in hac secunda parte describit Evangelista, quomodo affecti sint Apostoli, ad hanc insaniam populi. Consternati ad hanc insignem in Deum contumeliam, ne quid per conniventiam culpæ in eos redundet, primò re cognita, repente exiliunt, turbæ se ingerunt; tunicas lacerando more usitato genti Judaicæ, in re tristi aut horrenda, ostendunt, quam ex animo & seriò factum hoc impium execrentur. Deinde verbis severè eos à facto revocant, errorem patefaciunt & reprehendunt. Tertiò veram de Deo sententiam docent, viamq; ad veri Dei cognitionem aperiunt.

V. 14. Καὶ λέγοντες. Ostendunt errare eos vehementer, qui cultum Deo debitũ, tribuunt creaturis; seq; Deos non esse, quod putant illi, sed eorũ similes homines mortales, quibus cultus Divinus haud quaquam debetur. Alterũ confutationis argumentũ desumit ab officio Apostolorum & fine miraculi. Officiũ eorum non est, confirmare eos in vano cultu Dæmonũ; sed eos verbo Divino ab his vanitatibus convertere & revocare: Deinde per prædicationẽ Evangelij omnes ad cultũ veri Dei adducere; miraculo insuper Evangelicæ doctrinæ veritatẽ asserere: neq; enim eo factum est miraculum ut sibi Divinos honores captarent. Mirum autem videtur, quod prædicantibus Apostolis fidem Christi, eandemq; miraculo edito comprobantibus; auditores omnia rapiant in contrarium sensum, ad suas vanitates omnia

mnia torquentes. Causa hæc est; Gentiles multitudini Deorum asveti, cum audiunt prædicari Christum, putant hunc Deum reliquæ Deorum turbæ esse addendum, quem quidem antea,ut & ejus cultum ignorarunt, Deum patrem Iovem esse existimantes, ut supra dictum est. Sic 4. Reg: 17. Assyrij coloni in Samariam missi, Deorum gentilium numero addunt cultum veri Dei. Tale etiam fuit Atheniensium studium, prædicante Paulo, infra, cap. 17. 18. *Novorum Dæmoniorum videtur annunciator esse; quia Iesum & resurrectionem annunciabat eis.* Non potest autem vera religio simul cum falso cultu idolorum consistere: quia primo præcepto Divino severè prohibetur: quia Deus zelo maximo fertur adversus omnem idolorũ cultum, quem gravi pœna prosequitur, usq; in quartam generationem. Exo. 20. Deut. 5 Quæ cuasa est quod cum gentiles quemvis Deorum cultum recipiant, Christianorum tamen religioni maxime adversentur, propterea, quia ea omnem alium cultum rejicit.

V. 14. Ἐπὶ τὸν Θεόν. Tertio, argumenta jam sequuntur quibus veram Deo sententiam astruit. 1. Est Deus vivus qui omnia vivificat, Ioh. 5: 21. & 6: 57. Non sicut idola gentium muta & mortua, sicut ea describit David, Ps. 115. 2. Argumentum, quia Christianorum Deus creavit omnia, Gen. 1. & sequ. per filium. Ioh. 1: 3. Omnia per ipsum facta sunt: Quicquid enim gentiles de mundi æternitate, generatione, confluxu ex atomis, &c fabulentur: certum est tamen, unum esse omnium rerum principinm infinitum, quod Socrates, Plato, Aristoteles, Cicero & saniores alij fassi sunt.

V. 15. Ὃς ἐν ταῖς. Occupatio, qua refellit tacitam obje-

ctionem gentilium: Non est verisimile, Deorum cultum, omnibus gentibus per universum rerrarum orbem usitatum, per tot secula, á præstantissimis, potentissimis, & sapientissimis probatum, esse erroneum. Verũ ex his non deducitur necessaria & infallibilis conclusio, sed tantum probabilis: quod fatetur etiam Aristoteles 1. Top. c. 1. *Probabilia autem sunt, (inquit) quæ videntur omnibus, vel plerisq;, vel sapientibus; atq; his vel omnibus, vel plerisq;, vel maximê notis & illustribus.* Respondet verò Apostolus, 1. Non instinctu Divino hæc facta sunt, sed permissione Dei irati, propter aversionem eorum à veritate; cum enim in cognitione Dei supra id quod rerelatum erat, sapere vellent; *stulti facti sunt, & evanuerunt cogitationibus*, *prolapsi* in errores & turpitudines: itaq; à Deo sunt derelicti. Rom. 1: 19. 2. Non ingressi sunt viam à Deo manifestatam, sed *vias suas*, juxta proprias adinventiones: sicut de Israelitis etiam errantibus loquitur Sp. sanctus, Ps. 81: 12. *Populus meus non audivit vocem meam, & Israel neglexit me: itaq; dereliqui eos in cogitationibus cordis sui, ut ambulent secundum consilium suum.*

V. 17. Καί τοι γε. 3. Arg. ab ineffabili Dei bonitate, qui contemptoribus suis non aufert omnem sui notitiam: sed quotidianis beneficijs eos ad sui cognitionem invitat. Ipse enim obducit cœlum nubibus, imbres mittit & pluvias, ut germinet terra & fructificet; sicut David hæc Divina beneficia celebrat, Ps. 147. A Deo itaq; petenda sunt hæc bona, proventus, annona & fructus, herbæ, ex quibus sustentantur animalia & homines: quibus satiati Dei hæc beneficia agnoscere, & pro acceptis gratias agere tenentur. Id si facerent quod scilicet natura & ratio dictat; utiq; ex his intelligerent esse Deum, qui hæc conservat, regit & lar-

gi-

gitur. Sic Apoſtoli non ſine multo ſermone & moleſtia populum ab idololatria abducere & revocare potuerunt; vana ſiquidem ſuperſtitione inducti, feruntur ad conſueta, & falſa opinione præoccupati, non intelligunt quæ de Chriſto Apoſtoli prædicarunt, nec miraculi finem.

V. 19. Ἐπῆλθον Quarto in hac cap. parte, novus tumultus adverſus Apoſtolos exurgit. Judæi Chriſti Evangelio ſemper infenſi, ex Antiochia & Iconio, illi ſcilicet quibus antea Evangeliū Apoſtoli prædicaverūt, zelo adverſus ſucceſſū Apoſtolorū moti, ſequntur, ut impediant curſū Evangelij, turbas concitant, ut quos antea velut Deos adorarūt, nunc ut ſeductores, magnâ levitate ejiciant & lapidibus proſequantur. Hîc eſt ſpiritus vertiginis, ſibi ſemper contrarius, ac verſipellis, qui cum prius multitudinem in veteri idololatria confirmaſſet, Apoſtolos vana gloria tentaſſet; ſuccedente parum dolo, nunc vim parat, & ad id idonea organa in promptu habet, Dei & piorum adverſarius perpetuus. Quod hodie per hæreticos ſemper agit: primo rationibus rem gerit, quod ſi non ſuccedat, bello & violentia fideles aggreditur. Deus autem qui ſuos protegit, facit ut incolumes Apoſtoli, in miniſterio ſibi credito pergant; cum læto ſucceſſu prædicationis, Deo promovente negocium, qui ipſis ſemper adeſt juxta promiſſionem Matt 28:20. Pia etiam cura diſcipulorum notanda eſt, qui etiam in mortis periculo doctori ſuo aſſiſtunt. Apoſtoli Derben veniunt, civitatem vicinam, Lycaoniæ, ſup. v. 6. hac perſequutione nihil territi, prædicationis opus urgent; plurimos ad fidem convertunt; dantq; operam ne abſterriti periculo, Evangelij doctrina aliquid moræ ſentiat ex ipſorum remiſſione aut ignavia; per quam Apoſtolo-

rum fortitudinem ac diligentiam, magna fit accessio ad fidelium credentium numerum. In hac civitate Deus Apostolos, ex priore periculo ereptos, recreat, felici successu & lætitia, orta ex plurimorum conversione; nec permisit, ut Iudæi eos sicut superius interpellarent. Non est dubium, tentasse Diabolum hic ut antea aliquid, adversus Apostolos: sed potens est De⁹, conatibus ejus resistere & persequutioni modum ponere. *Persequutionem patimur, sed non derelinquimur: deijcimur, sed non perimus*: ait Apostolus, 2. Cor. 4: 9. Est enim prædicatio Evangelij opus Dei ibidem v. 5.

V. 21. ὑπέστρεψαν. III. Pars cap. in qua exponit Evangelista, quomodo Apostoli, absoluto cursu per has Asiæ civitates, revertuntur, visitantes Ecclesias quibus prædicarunt Evangelium, quæ ad ministerium prædicationis attinent ordinantes, & ut deinde reversi sint Antiochiã Syriæ, unde fuerunt egressi. Non reputant Apostoli ingratitudinem eorum, qui eos civitatibus, ejecerunt; magis verò de ijs sunt solliciti, qui fidem ab Apostolis prædicatam receperunt, & in ea perstiterunt.

V. 22. Ἐπιστηρίζοντες. Quid his contulerint indicat. 1. Confirmant eos, pluribus adhuc ostendendo, solam hanc fidem coram Deo justos facere & salvare. 2. Exhortationem addunt ad constantiam in fide & cognitione accepta; docentes iræ Dei & gravi damnationis periculo abnoxios fieri eos qui eam receptam deserunt, sicut minatur Sp. sanctus Heb. 6. & 10. 2. Pet. 2: 20. *Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri & salvatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur; facta sunt eis posteriora deteriora prioribus* &c. Luc. 10: 12. 3. Conditionem fidelium in hoc mundo ijs exponunt, ne imminente periculo aufugiant,

ant, sed præmoniti sese obfirment, ad perferenda pericula, propter Dei gloriam; & reminiscantur eorum quæ prædixerunt Apostoli. 4. Ne putent frustra esse perferenda hæc mala, propter solam cognitionem fidei: itaq; consolationem addunt, docentes hunc esse ingressum ad æternam gloriam: *Levis hæc tribulatio & momentanea æternum pondus gloriæ parit.* 2. Cor. 4: 17.

V. 23. χειροτονήσαντες. 5. Ecclesijs prospiciunt de ministris idoneis, eosq; ad ministerium docendi ordinant, & Ecclesiijs præficiunt. Modus eligendi talis erat, 1. suffragijs eos creant, χειροτονία, hoc est, manuum extentione, seu elevatione, usitata in electione personarum ad officia publica: hac enim voce utitur etiam Paulus, 2. Cor. 8: 29. eodem sensu & de re eadem. Hujus etiam vocis notatione intelligi etiam manuum impositionem, probat electio Pauli & Barnabæ, supra cap. 13. Timothei 1. Tim. 4: 14. 2. Tim. 1: 6. quem etiam hoc ritu sacris ministerij initiatum, fuisse, Apostolus indicat. Progressa est verò primitiva Ecclesia, ad hoc opus, cũ precibus, jejunio & magna devotione, ante electionem, ut Deus, cujus sunt futuri ministri, negocium dirigeret; & post, ut ordinatum donis Sp: sancti instrueret: hoc enim ut fiat Christus præcepit Matt. 9. *Orate Dominum messis ut det fidos operarios in messe sua.* Factum est hoc in Electione Matthiæ, sup. c. 1. & Pauli ac Barnabæ ordinatione, sup. c. 13. Cumq; sint duæ partes essentiales ex quibus constat Ecclesia, non potest ulla esse vocatio aut ordinatio legitima, nisi ex utriusq; partis consensu; ut supra dictum est. cap. 1. de electione Matth, unde etiam plura de hac quæstione petantur. Sunt autem operarij Dei, cujus est Messis. Matt. 9. *Legati Christi.* per quos Deus ex-

exhortatur, 2. Cor. 5: 20 qui posuit verba sua in ore eorum. Esa. 59: 21. Et Luc. 10. *Qui vos audit me audit.* Et *Sicut misit me pater, ita & ego mitto vos.* Joh. 20. *Cui remiseritis peccata remittuntur ei.* ibidem. & Matt. 16. Res est magna quæ agitur, itaq; non subjicitur arbitrio humano; sed Deo hic autore & directore opus erit: Divina igitur electio & ordinatio hic quærenda est, à ministris & Ecclesia, quibus Deus hanc rem commisit; ut sit efficax ministerium ad Dei gloriam, & hominum salutem.

V. 24. Καὶ λαλήσαντες. Quid in reditu egerint ulterius explicat; loquuti sunt verbum Dei in Pergen; nullam occasionem intermittentes, spargendi cælestem doctrinam. Antiochiam autem reversi, referunt quid Deus per ipsos effecerit; omnia ad Deum referentes; qui ex mera sua gratia, dignatus est Evangelij doctrina illuminare gentes, & Sp. suo mentes & corda ad fidem recipiendam aperire. Manent autem diu Antiochiæ in mutua fidelium congratulatione, propter successum Evangelij & ob ulteriorem confirmationem fidelium.

C A P XV.

Dictum est cap. 13. posteriorem hujus historiæ partem esse bimembrem; prioris autem membri, partes quatvor: absoluta autem parte prima, in duobus capitibus præcedentibus, sequitur nunc altera quæ hoc 15. capite absolvitur. Quatuor sunt capitis partes, in prima, autores & caussa dissentionis, cum statu quæstionis describitur: quam sequuta est disquisitio, & legatio Ecclesiæ Antiochinæ, ad Apostolos præsides & Ecclesiam Jerosolymitanam.

V. 1. Καί τινες. Autores hujus dissentionis ac ἑτεροδοξίας

erant

erant, ex judæa descendentes, Pharisaica opinione antea imbuti, & postea ad fidem conversi. Causa & occasio hujus erroris, videtur fuisse κακοζηλία conversorum judæorum, qui putabant Evangelium Christi legem & doctrinam Mosis destruere; quæ tamen Divinitus tradita erat: ideo Pharisæi Christum Mosi opponunt, Joh. 9:28. Hi itaq; ex Iudæa, putant utrisq; benè consuli, si credentes Evangelio etiam servent ritus ac legem Mosis, infra v. 5. addunt autem necessitatem, sub periculo scilicet salutis. Ut qui ritus hosce non servet, non poterit per fidem Christi salvari. Hæc hæresis á diebus Christi usq; afflixit Ecclesiam, ad hodiernum diem: nam hinc originem traxit Pelagiana perfidia, quorum vestigia nunc premunt Papistæ, in justitia operum; unde natæ sunt propositiones: *Bona opera sunt necessaria ad salutem.* Et; *Nemo unquam salvatus est, sine bonis operibus.* Tales etiam fuerunt illi, qui Galatarum Ecclesiam perturbarunt; contra quos multis disputat Paulus in Epist ad Galatas, & docet circumcisionem & ritus, fidei non solum nihil conferre, sed etiam obesse. *Si circumcidimini*, ait, *Christus vobis nihil proderit.* cap. 5. Et ostendit verum usum legis.

V. 2. Γενομένης. Deinde oritur disceptatio vehemens, adversus pseudodoctores hosce, Pauli scilicet & Barnabæ, qui erant præcipui doctores ac præsides, Ecclesiæ Antiochenæ: Barnabas quidem ab Apostolis missus, sup. c. 11:22. qui Paulum socium assumpsit: & per annum integrum ibi conversabantur; prædicantes Evangelium. ibidem v. 25. Tertio legatio describitur, cujus principes fuerunt Paulus ac Barnabas: comitum verò ipsis adjunctorum nomina non exprimuntur: Paulus meminit Titi. Gal. 2:1. Mittuntur

Ierosolymam: unde apparet hos pseudoapostolos prætendere autoritatem Apostolorum, qui Ierosolymis resederunt, & seniorum, qui primi fuerunt præcones Evangelij Christi; horum igitur autoritate reprimenda erat pseudodoctorum protervia. Non quod non intelligerent Barnabas & Paulus quæstionem, ut solvere potuerint; sed quia Ierosolymitanorum autoritate abusi, pseudoapostoli in his non acquieverunt. Status quæstionis erat: An qui ad fidem Christi convertuntur, teneantur juxta Evangelium Christi, etiam legem moralem & cæremonialem servare, & an hoc sit necessarium ad salutem.

V. 3. διῆρ. Quarto iter faciunt per Phœniciam, fines Tyri & Sidonis, & Samariam, quo jam pervenit Evangelij doctrina: fratres deducunt euntes, intellige honesto comitatu, sumptibusq; necessarijs instruunt; quo indicant favorem causæ Apostolorum, adversus pseudoapostolos. Transeuntes verò per Ecclesias, eas afficiunt læto nuntio conversionis gentilium: nam haud parum erigit fideles amplificatio Ecclesiæ. Es. 60:5. *Tunc videbis & efflues, mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris.* Eodem hoc gaudio afficiuntur & exultant Apostoli, Seniores & Ecclesia Ierosolymitana: maximè propter miracula, & dona miraculosa, quæ Deus edidit ad conversionem gentium, ostendens se velle etiam gentes reducere ad fidem & veri Dei notitiam: quod tamen fidelibus Iudæis, & ipsis insuper Apostolis erat incredibile; ut supra dictum est capite undecimo.

V. 5. Ἐξανέστησαν. Quinto, peracto itinere, postquam Ierosolymam est perventum, offendunt Schismatis autores, Pharisæos ad fidem conversos, adversum se consurgentes.

tes in conſpectu Apoſtolorum, aſſeverantes eadem: videlicet circumciſionem & legis obſervationem neceſſariam eſſe ad ſalutem. Illi veterem ſententiam de ritibus & externa legis obſervatione, quam ad ſalutem ſufficere arbitrati ſunt retinentes, aſſumunt quā prevalere vident Evangelij fidem, & his conjunctis, cum Chriſtianis reconciliationem tentant. Erat igitur eorum converſio mera hypocriſis; & reconciliatio intendebat oppreſſionem doctrinæ Chriſti, cum reductione veteris fermenti, quod Chriſtus damnavit. Matt. 5. 6. & 7. & cap. 23. Nec defuerunt impoſtoribus argumenta, pactum enim circumſionis á Deo ipſo dicitur pactum æternū. Gen. 17:7. & 13. quod qui non ſervat, exterminabitur. Deinde abrogata circumciſione, tollitur lex Divina, quæ eſt æterna, Divinæ juſtitiæ regula, cujus nec apicem ſublatum Chriſtus voluit, Matth. 5: 18. Tertio aperitur janua flagitijs ac ſceleribus, hoc retinaculo ſublato. Quarto, quia etiam Apoſtoli circumciſionem & ritus legales obſervant: nec eſt quicquam horum in gente Iudaica abolitum.

V. 6. Συνήχθησαν. II. Pars capitis, ipſa ſynodus & concilium Apoſtolorum, fit congreſſus, & Apoſtoli convocatis presbyteris, de propoſita quæſtione diſpiciunt, quid definiendum ſit conſultant. Presbyterorum ordo fuit miniſtrorum, qui in primitiva Eccleſia provectioris ætatis ſeligebantur, propter gravitatem & multiplicem rerum uſum, ſcripturarum quoq; majorem ſcientiam, quæ ſingula in juvenilem ætatem non cadunt. Et in hodiernum usq; diem conſuetudo continuatur, ut adultores & majoris experientiæ viri Eccleſijs præficiantur. Ab Apoſtolis diſtinguuntur presbyteri, qui Eccllesijs regendis & informandis

adhibebantur, & ab his diaconi, qui his, & ad eorum dispositionem Ecclesijs ministrabant. sup. c. 6. 1. Tim. 3: 12. Philip. 1: 1. Episcopi & Diaconi dicuntur. Tales presbyteros huic concilio interfuisse dubium non est, quia ipsis concredita fuerunt mysteria Dei, & οἰκονομία. 1. Cor. 9: 17. Mal. 2. *Labia Sacerdotis custodient scientiam*: &c. 1 Cor. 4: 1. Fortasse etiam affuerunt viri politici, scientia rerum Divinarum conspicui, ut quibusdam placet: verum id Evangelista non exprimit; & si affuerunt, non est tamen dubium præcipuam partem consultationis fuisse penes Ecclesiasticos. Nam Petrus & Iacobus sermone præsunt, sententiam proferunt, tacentibus omnibus: Conventus actus est, ex mutua conventione Apostolorũ, quod vox innuit. Neq; enim hîc ulla nominatur potestas, quæ Synodum indixerit, aut fratres convocaverit; sed si ab aliquo factum est, ordinis id ratione factum esse putandum est, & hoc ex mutua coventione fratrum; quod vox συνήχθησαν innuit: Non ex papali autoritate, quam quidem Sp. sanctum hic studiosè & de industria declinare, ex textu manifestum est.

V. 7. Πόλλης. Acta synodi nunc describuntur: primò Apostoli disquisitionem admittunt, ut ab utraq; parte argumenta proferantur; idq; operosè, & multis verbis utrinq; factum esse, historia indicat. Deinde Petrus ut in collegio Apostolico senior, Apolorum sententiam proferens, veritati de hac quæstione calculum adjicit. Neque sua opinione hîc Apostolus nititur, sed repetens historiam de conversione Cornelij & gentilium, sup. c. 10. Divinam testificationem profert. Prædicavit gentilibus Christum, sine ulla mentione legis aut circumcisionis, mandante Deo; ut patet ex loco citato. 2: dedit fidem, audientibus Evange-

ge-

gelium: non ex auditione legis. Gal. 3: 2. Rom. 3:21. 3. Deus idem, ſcrutator cordium, videns ſynceritatē fidei & pœnitentiæ illorum, recepit eos credentes in gratiam, propter Chriſtum. 4. Teſtatus eſt hanc veritatem converſionis ac receptionem in gratiam, miraculo miſſionis Spiritus ſancti, ſicut in ipſos Apoſtolos. ſup. c. 10: 44. Gal. 3: 5. eodem argumento utitur Paulus. 5. Conjunxit eos reliquæ fidelium Eccleſiæ, ſine exceptione, hoc eſt, tribuens incrementum fidei ac renovationis gratiam, illis, ſicut his qui ex circumciſione, ut appareret nobis & omnibus fidelibus, quomodo in fide, caritate, ſpe ac bonis operibus creſcerent, operante in ipſis Sp. ſancto: quanquam legis ritus non ſervarent, nec operibus confiderent, ſed fidei in Chriſtum, ut per eam ſalventur. Non eſt ergo neceſſe ad ritus legales cogere hos, quos Deus ſine lege jam antea ſalvos fecit: præſertim non diſcernente Deo, aut mandate, ut his jugum legis imponatur.

V. 10. *Nῦν ὖν.* 6: Concluſionem infert additis novis rationibus. Fruſtra, ait jugum legis converſis è gentibus imponitur, cum eos Deus ſine lege juſtificet. Deinde, Deum tentat, qui remittente Deo legis onus, & ſine lege ſalvante, jugum hoc iterum attrahit, Deo non mandante. 3. Si maximè velimus in lege juſtificari, erit ea nobis impoſſibilis, ſicut & patribus noſtris: quam ſi neq; patres noſtri preficere potuerunt, quomodo poterint gentiles? *Quid ergo dicemus? quod Gentes quæ non ſectabantur juſtitiam, apprehenderunt juſtitiam, juſtitiam autem quæ ex fide eſt: Iſrael vero ſectando legem juſtitiæ, in legem juſtitiæ non pervenit. Quare? Quia non ex fide; ſed quaſi ex operibus: offenderunt enim ad lapidem offenſionis* &c. Rom. 9: 30.

V. 11. Ἀλλὰ. 4. Ostendit extra Christum nullam esse salutem. Sed objicient: At patres nostri in lege salvati sunt; respondet, etiam illi in fide Messiæ venturi sunt salvati, hoc est in fide Christi, quem omnes Christiani pro Messia recipiunt. De hac patrum justificatione ex hoc loco adversus Pelagianos multis agit Augustinus, cont. duas Epist. Pelag. l. 1: cap. 21. Paulus justitiam operum & justitiam fidei perpetuo inter se opponit. Rom. 3. 4. 8: 2. 2. Cor. 3. justitiam legis appellat *ministerium mortis*. Gal. 2: 16. & cap. 3. fidei justitiam dicit *operationem Spiritus*; operum vero justitiam, *justitiam carnis*. Divina igitur autoritate & Spiritus sancti judicio, legis justificatio & circumcisio abolita est. Ad quid igitur fuit data lex? Respondet Paulus, ad disciplinam: Gal. 3: 19. *propter transgressiones, donec veniret semen.* Et v. 21. *Si data esset lex quæ posset vivificare, verè ex lege esset justitia.* &c. Rom. 3: 3. *Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, misit Deus filium suum*; &c. Et v. 21. *Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est, testificata à lege & Prophetis.* Quem locum accipit Augustinus de lege morali & cæremoniali; contra Hieronimum; de Sp. & litera cap. 29. Lutherus de servo arbitrio part 3. Brentius quoq; in hunc locum cum Hieronimus de lege cæremoniali tantum accipiat. Hoc est *jugum oneris, & virga humeri ac baculus exactoris*, quem Messias auferet, & perfringet; Esa. 9: 4.

V. 12. Ἐσίγησε. Tertio in hac capitis parte, effectus orationis Petri describitur: quæ quia ex Divina revelatione, & promissionibus ad Patres factas autoritatem ducit, huic nemo contradicere audet, sed omnes conticescunt: Paulus verò & Barnabas eadem confirmant, narrantes quomodo Gentibus, sine hoc legis jugo, prædicatum fuerit Evan-

ge-

gelium, quam prædicationem etiam Deus pluribus miraculis comprobavit. Consequens est, decere nos in doctrina ea, & conversionis modo ac salutis ratione, quam tot miraculis comprobavit, ratamq; habuit, etiam acquiescere, nec adversus Deum pugnare aut altiora sapere velle.

V. 13. Μετὰ δὲ. Quarto, Iacobi oratio sequitur, cujus pars prior, Petri, Pauli atq; Barnabæ sententiam probat: altera de adiaphoris consilium suppeditat. Erat hic Iacobus Alphei, Matt. 10: 3. Nam Zebedæi filius ab Herode sublatus fuit, sup. cap. 12. Primò Exordio resumit narrationem Petri, de vocatione Gentium. Postea rem eandem confirmat, ostendens gentium conversionem à Deo per Prophetas esse prædictam.

V. 16. Μετὰ ταῦτα. Verba sunt Prophetæ Amos cap. 9. 11. prædicentis dispersionem Iudæorum & exteminationem imperij eorum; erectionem verò & restaurationem domus Israel tempore hujus dispersionis, per prædicationem Evangelij in Iudæa, Edom & apud omnes gentes. Ubi videtur Divinus vates primò agere adversus eos qui adhuc invidebant gentibus beneficia Messiæ, ut sup. c. 11: 2. Deinde docet non admodum sollicitos esse oportere, de legis & reip. Iudaicæ restauratione, adducendo ex gentibus conversos ad Iudaismum, sicut Proselytas, ad amplificationem regni Iudaici, quam intenderunt pseudo Apostoli, ex opinione Pharisæorum de regno mundano. Magis vero laborandnm esse de spargenda doctrina Evangelij per universum orbem terrarum; quæ dilatatio Ecclesiæ haud parum retardatur, hac legis prædicatione, ritibus, & operibus quæ ad salutem nihil prosunt. Nulla in hoc vaticinio mentio circumcisionis aut legis sed prædicationis &

con-

conversionis; quam suo more Sp. sanctus verbis mundanis describit: sicut Dan. *7. Regni ejus non erit finis.* Luc. 1:33. *Regnabit in domo Iacob in æternum.* Micha toto quarto & quinto capite, hanc eandem rem agit; quam Pharisæi, & hodierni quoq; Iudæi de temporali regno accipientes, à Christo mediatore aberrarunt, & salute excidunt.

V. 18. Γνωστὰ. Objiciunt Pharisæi & pseudoapostoli: Num Deus voluerit tanto tempore affligere, legis & cæremoniarum pondere, populum suum: & postea in Evangelij & salutis communicatione, gentes his æquare, & ab onere legis immunes servare; legemq; Divinam, Divina voce traditam, in tanta hominum frequentia, penitus abolere & abrogare? Quæstio eadem est laborantium in vinea; Matt. 20: 11. Respondet Apostolus Jacobus; *Notum est Domino opus, suum á seculo:* hoc est; Si Deus hoc voluit, & ante secula sic dispoluit, & per Prophetas prædixit; quis ei contradicet? quis impediet? An nobis ægre ferenda est hæc Divina bonitas erga gentes? Matt. 20: 15. Nam Deus quod constituit exequetur; etiam nobis invitis: nec Matt. 20. denariũ á prioribus repetijt, ad murmur postremorum; nec majora murmurantibus tribuit, sed justa.

V. 19. Διὸ ἐγὼ.. Suum suffragium reliquis addit; ratione adposita: nam cum supervacua sit & frustranea hæc circumcisionis additio, ad prædicationem Evangelij: insuper perturbat, & inquietas reddit conscientias conversorum. Stimulus enim conscientiæ semper hæret in corde eorum qui volunt ex operibus justificari, dum cineris & sanguinis adspersione & lotione externa, aut resecatione præputij, intelligunt peccata & labem internam abstergi non posse: Heb. 9: 9. Aut. cum vident omnibus operibus adhærere

pec-

peccati defectum, deformantem ea, ut impura fiant, in conspectu Dei, & insufficientia ad salutis meritum.

V. 20. Ἀλλὰ Secundo, hac sua responsione Apostolus monet, de quibusdam notatu dignis, in vita & conversatione gentilium: quæ quidem non exigit ut opera ad salutem necessaria, vel ut justificationis causam; (hoc enim primario concilij decreto, in quod etiam ipse consensit, est reprobatum:) sed alio fine sicut dicetur.

Ἀπέχεσθαι Respiciens Apostolus causam dissidij, inter Judæos & gentiles conversos: videt eam consistere in conversationis modo, & quibusdam ritibus atq; vitijs lege prohibitis, quæ in Gentibus abominabantur Iudæi; & ideo cum ipsis nec conversari, neq; cibum capere sustinebant: arbitrantes nec verè nec plenè eos ad Deum verum esse conversos, sed ad huc hærere in veteri impietate; sicut olim Samaritani. 4. Reg. 17. Unde erat inter Judæos & Samaritanos simile dissidium. Ἀλισγήματα, secundum Suidam, est contaminatio ex sacris prohibitis: & infra dicitur εἰδωλοθύτων. hoc est, quod idolis est sacrificatum. De hoc oblatorum esu Paulus Romanos informat, Rom. 14. & Corinthios 1. Cor. 8. Idola colere lege Divina prohibitũ est; vesci autem his quæ idolis oblata sunt, non prohibetur simpliciter & in universum: sed propter infirmos; hoc est, ne tuipse, non satis informatus, hæsitante conscientia edas, aut te vescentẽ videat infirmus, & scandalizetur. A suffocatis autem & sanguine lege prohibitis. Lev. 3: 17. Deut. 12. Et Gen. 9: 4. qua prohibitione etiam suffocata comprehensa sunt, quorum sanguis in venis occlusus prohibetur; Lev. 11: 39. ejusq; usus Iudæis abominabilis, usitatus vero gentibus, conversationem dirimebat; tutius

propter scandalum abstinetur. Scortatio quoq;, lege Divina manifestè interdicta, apud Gentiles habebatur libera: Sicut Terentianus ille senex fatetur. Et Paulus propter hanc Corinthios vehementer insectatur 1. Cor. 6: 15. Hæc Iacobus Apostolus apud Gentiles corrigenda judicat, partim propter mandatum Domini, partim etiam propter conversationem cum Iudæis conversis, ne ipsis præbeatur offensio. Sicut egregie hunc locum Explicat Lutherus in lib. de concilijs. Sine jugo hæc servanda proponuntur, quæ extra decalogum præcipiuntur; id est, liberè, saltem propter infirmos, quæ extra scandali casum, servari vel omitti libere possunt.

V. 21. Μωυσῆς, Tantum de Gentibus: Iudæis vero non prohibendam esse censet lectionem Mosis, consvetam á temporibus antiquis; propter Legem Moralem, & forensem huic genti latam; ut etiam ritus liberè vel servent vel omittant; á quibus tam cito avelli nequeunt, propter consuetudinem antiquam. Modo firmiter teneatur principale concilij decretum; Opera Legis ad salutem nihil conferre, sed fide in Christum omnes salvari, & salvatos esse. Et quia Moses omni Sabbatho legitur, in Synagogis Iudaicis; in civitatibus Gentilium: magna foret Judæis offensionis & dissensionis causa, si Gentiles omnes Judæorum leges ritusq; contemnerent. Cedendum est igitur hîc Iudæorũ infirmitati dum in fide crescant & corroborentur.

V. 22. Τότε. III. Pars cap. Epistola decerti Apostolici, cum legatione ad fratres Antiochenos & Ecclesias Syriæ. Postquam de universo negocio constitutum est: mittuntur ab Ecclesia viri, qui testentur Ecclesijs gentilium de sententia Ecclesiæ Ierosolymitanæ; quia Pauli ac Barnabæ fides

des ſuſpecta eſſe potuit, propter ſuperiorem contentionem cum pſeudoapoſtolis. Mittuntur à tota Eccleſia, ut intelligamus concordaſſe omnes, doctores cum auditoribus, in data quæſtionis explicatione. Sic Deus impiorum & Satanæ conatus, ad finem Eccleſiæ ſalutarem convertit. Mittunt autem viros maximæ exiſtimationis, ut major habeatur fides; qui potentes erant verbo exhortationis & informationis, ad conſolationem & confirmationem converſorum.

V. 23. Γράψαντες. Ad majorem fidem, ut abſit omnis dubitatio; literas addunt, quibus decreti ſumma continetur, brevibus expreſſa; ſed uberius à legatis explicanda. Apoſtolorum & Seniorum nomen præficitur, fratrũ quoq; fidelium, ut intelligatur conſenſus: nec Antiochenis ſolis ſcribunt, ſed univerſæ Syriæ; ut pateat quam latè pervaſerit erroris corruptio aut fama. In hac prima Epiſtolæ parte autores ejusdem, & quibus ſit ſcripta indicant.

V. 24. Ἐπειδὴ. Deinde confutationem præmittunt, ſeu reprehenſionem impoſtorum: quod eſt oratoribus familiare, cum animi auditorum prava opinione occupati, aut in diverſas ſententias diſtracti ſunt. 1. A nobis exeuntes, (ajunt.) hoc eſt, cum videri velint eſſe membra veræ Eccleſiæ, progreſſi ex ſocietate docentium & rectè ſentientium in Eccleſia, horum conſenſum præferentes decipiunt: Sicut olim Caroloſtadius Theologus Vittenbergenſis, Lutheri collega; & Calvinus Philippi diſcipulus & amicus. 2. Effectus deſcribitur; verba dant, à veritate rei longius absunt: deinde perturbant vos, à ſimplicitate fidei divellunt, conſcientias opinionibus fluctuantes & dubias reddunt. quo verbo de ijs utitur etiam Paulus Gal. 1: 7.

Sunt aliqui qui vos conturbant & volunt pervertere Evangelium Christi. Tertio, docent hanc doctrinæ corruptionem adferre interitum animarum, destruendo salutarem doctrinam, salutis caussam. Quartò, negant quod illi asserunt, à se missos, aut mandatum habere.

V. 25. ἔδοξεν. 3. Monent ut legatis fidem habeant, quorum nomina exprimunt. Pauli quoq; & Barnabæ, autoritatem, adversus caluminam pseudoapostolorum vindicant, sibiq; carissimos esse ostendunt; hoc est, in fide consentientes; neq; perperam docentes de lege & ritibus. In doctrina verò Christi synceros tamq; fervidos, ut non dubitaverint vitam & omnia carissima pro fide Christi exponere: unde etiam scire poterint eos fideles esse Euangelij præcones. Hoc enim ne faciant benè sibi cavent pseudodoctores, quorum finis est gloria & utilitas propria. Hæc si non sufficiant, adsunt Iudas & Silas, testificantes eadem, ut absit omnis dubitatio.

V. 28. ἔδοξε γὰρ. 4. Decreti sententia exponitur; ubi 1. Spiritum sanctum decreti autorem faciunt, ut intelligamus à Deo autore proficisci ea, quæ consentiens Ecclesia ex Divina revelatione & scripturis sacris definit. 2. visum est etiam & ipsis, velut organis, quibus usus est Sp. sanctus, in definienda controversia hac insigni. *Non enim voluntate hominis allata est olim Prophetia; sed Spiritu sancto impulsi, loquuti sunt sancti Dei homines. 2. Pet. 1: 21:* 3. finem exponunt decreti; scilicet ne graventur conscientiæ, & laqueus seu jugum ipsis injiciatur; sed ut ab his liberati, consistant in libertate in qua vocati sunt, & antea rectè informati. Gal. 5:1. *State, & nolite iterum jugo servitutis contineri,* Cur necessaria dicantur quæ hic præcipiuntur, supra dictum est: videlicet

licet, necessitate mandati Divini, prohibentis cultum idolorum & scortationem; partim etiam lege caritatis, ne offendantur Judæi nuper conversi: quo argumento suadent Apostoli, ut juxta legem Paulus votum habens, caput radat. Act. 21: 20. ne tumultum adversus ipsum exitet multitudo credentium Ierosolymis, quia ad ipsos perlatum fuit, eum esse contemptorem legis. Sic in hac tertia parte cap. 1. Decernitur legatio. 2. Epistola exaratur. 3. sequitur legationis expeditio.

V. 30. οἱ μὲν. Congregatio multitudinis, ostendit negocium spectare ad universam fidelium multitudinem, non ad paucos infulatos, ut apud papistas. Illi lætantur accepta hac consolatione; unde patet, quanta axietate sint affecti, ex hac perturbatione pseudoapostolorum. Judæ quoq; & Silæ, lagatorum fides & industria laudatur: erant Prophetæ; hoc est, scripturarum interpretatione insignes, qui plerunq; est hujus vocis sensus in novo testamento. Oritur autem in conscientijs auditorum consolatio magna, cum intelligunt Deum sibi ex gratia propitium esse, propter Christum, sine meritorum nostrorum respectu, cum ad abolenda peccata & placandum Deum minimè sufficiant opera nostra peccatis infecta.

V. 33. ποιήσαντες. Legati nisi negocio benè expedito non discedunt: nec antea à fidelibus dimittuntur. Sic hi plenam informationem sitiunt: illi munus sibi creditum ritè absolvere cupiunt. Insuper ne quid turbarum iterum oriatur; legati operas sic partiuntur, ut alter Ierosolymam abiens, de re bene transactâ, lætum nuncium fratribus referat; alter Antiochiæ doctrinæ synceritati intendat, & adversarios reprimat. Paulus vero & Barnabas re-

cepta autoritate, & ab adverſatijs liberi, prædicationis opus urgent, magno cum ſucceſſu.

V. 36. Μετὰ δὲ. Quarta pars capitis, de contentione Pauli ac Barnabæ agit, de viſitatione Eccleſiarum Cypri & Aſiæ. Accingit ſe hiſtoricus ad tractatum ſequentem: Et ut primum de contentione iſta principum virorum in Apoſtolatu, apud gentes, agamus: deſcribit Evangeliſta diſſentionis occaſionem & cauſam. Iohanem hunc intelligimus eſſe eundem, quem ſup, c.13:5. ſecum in miniſterium aſſumpſerunt; qui & poſtea v. 13. vel periculo territus, vel moleſtiam fugiens, vel Matris cura, ut ſupra dictum eſt, relictis illis diſceſſit. Hunc Barnabas reverſum, & ſtudium offerentem, volebat itineris ſocium aſſumere; ſive pœnitentia prioris inconſtantiæ motum, ſive quia matrem Ieroſolymis habitantem habuit, Barnabæ plus familiaris erat. Paulus contra, gravem cauſam prætendens, inconſtantiam priorem, ne & nunc imminente periculo, aut moleſtiæ impatiens, ſimiliter in medio curſu deficeret, malo exemplo Chriſtianis noceret, & ipſi miniſterio neceſſario deſtituerentur.

V. 39. Ἐγένετο δὲ. Notandum eſt verò ad παροξυσμὸν, ſeu aggravationem affectus iracundiæ litem prorupiſſe; uſq; ad ſeparationem ſociorum cariſſimorum, per quos tanta bona Sp. ſanctus effecit: quæ erat illuſtrium virorum in Eccleſia inſignis infirmitas, ob rem non admodum magnam; adeo ut Barnabas iratus diſcederet. Favor autem cauſæ Pauli major apparet in fratribus, qui ipſum traditum gratiæ Dei, à ſe humaniter dimiſerunt, cum Sila cujus antea mentio facta. Recencentur iſta, ut intelligamus ſanctos, ab humanis affectibus & infirmitatibus liberos non

eſſe

esse: de quibus etiam conqueritur Paulus Rom. 7. & 2. Cor. 11. & 12.

V. 41. Διέρχετο. Officium describitur eorum, quibus plurium Ecclesiarum cura commissa est; non solum laborandum esse, ut ad fidem erudiantur & convertantur plurimi & conversi suis moribus & arbitrio relinquantur: verum ut visitatione confirmentur, videatur quibus opus est, in quibus deficiant aut laborent; quæ corrigenda aut restauranda sunt, circa mores ritus, ministerium: definiendi casus, coercendi contumaces, & quicquid ad bonum ordinem requiritur constituendum. Et hic incipit pars III. prioris membri, in secunda parte hujus historiæ, sicut dictum est, initio cap. decimitertij.

CAP. XVI.

AGit hæc Pars. III. de Ecclesiarum visitatione, in quibus antea prædicavit Evangelium Apostolus, & de ulteriore progressu in Macedoniam&Græciam, vocante Spiritu: idq; duobus capitibus sequentibus & parte capiris decimioctavi. Caput hoc 16. duabus partibus absolvitur: I. Pars describit visitationem Ecclesiarum Asiæ, in quibus antea docuit Apostolus; cum his quæ in civitatibus Asiæ gesta sunt; usque ad versum 11.

V. 1. Κατήντησε. Visitat Apostolus Ecclesias Pisidiæ & Lycaoniæ, in quibus afflictiones multas sustinuit, ab adversarijs Judæis sup. c. 13. & 14. veritus ne fideles contradicentium calumnijs victi, deficerent. Invenit tamen plures fideles persistentes in fide Christi & de fide ac industria Timothei testificantes: ex qua credentium constantia, verisimile est multo gaudio recreatum Paulum, ad spem bonam

nam de successu prædicationis. Timothei hujus matrem & aviam honorifice nominat Apostolus. 2. Tim. 1:6. quarum fidem magnopere extollit: ut intelligamus fideles conjuges cum infidelibus cohabitare posse, docente eodem 1. Cor. 7:12.

V. 3. Τῦτον. Causam cur Timotheum circumcidit, Evangelista exprimit, non quod id sit necessarium ad salutem; sed ut tutior esset ejus conversatio cum Iudæis, qui cum incircumcisis conversari aut cibum capere detrectabant; ut patet exemplo Petri, sup. c. 11: 3. Fecit id libere, ut commodius ministerio ejus uteretur apud Iudæos, quorum Synagogæ erant in civitatibus Græcorum: ne hæc res exigui momenti, prædicationi officeret. Contra si contendant psuedoapostoli, necessariam esse circumcisionem ad salutem: sicut Act. 15: 1. & Gal. 2. Paulus Titum Gentilem in societatem assumptum, non circumcidit; ne Iudæis adversarijs cedere videretur, in re libera Gal. 2: 3.

V. 4. Ὡς δὲ. Quid præcipuè egerit Paulus apud Ecclesias, ostendit; certum est in capitibus Christianæ religionis eum amplius erudijsse, & confirmasse fratres conversos: id enim erat primarium institutum, quod indicat versus sequens; confirmabantur, ait, in fide. Insuper Ecclesias informabant, de ratione circumcisionis & rituum, ex decreto Apostolico, adversus pseudoapostolos, qui eos vel antea perturbarunt, vel in posterum supervenient, eos turbaturi; sicut etiam Galatas, longe dissitos, postea perturbarunt. docent verò, juxta caritatem fraternam, utendum esse adiaphoris, ne ex horum usu, & conversatione nostra perturbentur infirmi, sicut superius definitum est, cap. 15. Hujus visitationis, ut & prioris prædicationis, lætus effectus subse-

sequitur, videlicet plurimorum conversio, & incrementum Ecclesiæ: sic fidelium operariorum labor, *non est inanis in Domino*. 1. Cor. 15: 58. Est autem hoc exemplum Timothei & Titi, praxis ejus decreti, quod Ierosolymis fecerũt Apostoli, & est libertatis Christianæ specimen, factis expressum. Sic Paulus Iudæis factus est Iudæus &c. ut omnes lucrifaceret Christo. 1. Cor. 9: 19.

V. 6. Διελθόντες. Deinde ostendit Euangelista, qua occasione Apostolus, Asia relicta discesserit in Macedoniam. Phrygiam verò & Galatiam regiones Asiæ, versus Bosphorum & Pontum pertranseuntes, cum & hic prædicare vellent Sp. sanctus vetuit, ne hîc aut in ulla parte Asiæ prædicarent, adeoq; nec in Mysia aut Bithynia, positis in harum regionum medio. Varia est interpretum sententia de hac prohibitione Sp. sancti; Papistæ putant, digniores fuisse Macedones, quibus prædicaretur Euangelium; Calvinistæ Macedones electos dicunt, Asiaticos reprobatos: sed falluntur utriq;. Nam si dignitas spectatur; omnes æq; sunt indigni: *Conclusit Deus omnia sub peccato* Rom. 3: 9. *ut omne os obstruatur, & obnoxius fiat totus mundus Deo: ibidem*. v. 19. *Ut omnium misereatur*. Rom. 11: 32. *Exclusa est omnis gloriatio*. Rom. 3: 27. Eph. 2: 9. Tit. 3: 5. Nec necesse est cum Sacramentarijs ingredi prædestinationis aut reprobationis decretum, & abyssum occultæ voluntatis Divinæ; ne scrutando majestatem, opprimamur á gloria. Fallit principium Calvinianum, Deum occulta voluntate rejecisse Asiaticos; ut loquitur in hujus loci explicatione Gualterus. Nam & hi paulò post fuerunt conversi, ut patet ex 1. Epist. Petri cap. 1: 1. quā his populis inscribit; Et ex Pauli Epist. Galatis inscripta. Et infra Paulus ex Macedonia reversus, cum in

Græcia prædicasset, progressus est in Syriã; inde Ephesum; indeq; discedens, *perambulavit ex ordine Galaticam regionem, & Phrygiam, confirmans omnes discipulos*; infra cap. 18: 23. & cap. 19: 8. Unde patet Apostolorum, in hac priore transitu, aliquid seminis Evangelicæ prædicationis reliquisse: Et cum in vicina Lycaonia prædicatum fuit; non potuit non aliquis conversorum, aut saltem fama Evangelicæ doctrinæ ad eos pervenire. Illustres hîc erant Ecclesiæ; nec procul abfuit Ephesus, ubi Paulus biennio docuit, ubi Timotheum reliquit, Ephesi & totius Asiæ Episcopum: non fuerunt igitur hi populi á Deo rejecti. Causam verò hujus prohibitionis Deo soli notam dicimus, itaq; nihil hîc addit Evangelista; & nobis hic tutius est cum Paulo & Luca aliquid ignorare, quam vana afferre. Deo sic placuisse clarum est: sive quia Macedones maturiores erant ad messem, ut loquitur Christus Matt. 9. Et præviderit Spiritus sanctus, majore cum fructu prædicaturum Apostolum in Macedonia: Sive quia in his Asiæ locis, aliquid luminis Evangelicæ doctrinæ accensum fuit, nihil autem in Macedonia, Deumq; propterea his misertum, misisse Apostolum. Certum autem est, hoc itinere per Macedoniam & Græciam, eximium fructum fecisse Apostolum; & magnum hominum numerum fuisse conversum. Quod si vero ulterius progredi quisquam velit; quærendo cur Deus hos populos convertat, illos vero non? aut cur rejectis his, ubi antea sonuit vox Euangelij, assumat alios, verum Deum ignorantes? Erit hæc quæstio alia, & eadem quam tractat Apost. cap. 9. 10. & 11. ad Romanos; unde etiam petatur solutio. Veram autem rejectionis causam Salvator exprimit, Matt. 23. in fine, & Joh. 3: 19. *Hoc est judicium, quia lux ve-*

venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem: erant enim opera eorum mala.

V. 9. καὶ ὅραμα. Ex hac inhibitione Spiritus sancti, hærentem Apostolum, & dubium quid fieri oporteat; jam ipsum Sp. & revelatio Divina erigit ac instruit, jubetq; ire in Macedoniam. Angelum ei apparuisse verisimile est, in forma aut habitu viri Macedonis. Deus enim ministerio angelorum utitur ad salutem hominum, & infra Cap. 27: 23. Paulo naviganti angelus astitit: Petrum ex vinculis & carcere liberavit; sup. cap. 12. Sic dirigente Deo totum negocium: perlatum est Evangelium per orbem terrarum. Paulus hac Divina vocatione certior factus, non distulit ire in Macedoniam; haud dubitans, ut qui ipsum ad opus vocasset, etiam conatibus successum daret ad salutem hominum, ac sui nominis gloriam.

V. 11. II. Pars cap. de prædicatione & afflictione Pauli agit, ejusq; liberatione miraculosa. Samothracia, est insula Samos, Junonis & Pythagoræ patria; Sybillæ quoq; Samiæ, cujus fertur de Christo vaticinium: *Tu enim stulta Judæa, Deum tuum non cognovisti, ludentem mortalium mentibus, sed & spinis coronasti, horridumq; fel miscuisti.* Virgilius *Treïciamq; Samum, quæ nunc Samothrasia fertur.* Hinc in maritimam Neapolim, Philippis vicinam. Dicta videtur hæc civitas à Philippo patre Alexandri, conditore aut restauratore: in quam devictam Romani coloniam duxerunt.

V. 13. Τῇ τε. Synagogam hic Judaicam fuisse constat, quæ extra moenia civitatis constituta, sacris Iudaicis frequentabatur die sabbathi: patet quam fuerint aversi civitatis incolæ, ut veri Dei cultum intra mœnia civitatis non

admitterent; veriti sine dubio imperatoris Romani severitatem, cui subjecti erant. Tria in hac civitate memorabilia commemorat Euangelista: 1. De Lydiæ conversione. 2. De liberatione puellæ ex spiritu Pythonico. 3. De captivitate & liberatione Pauli. Et primò loquuntur mulieribus quæ convenerunt ad sacra, in quibus Lydia, sive proprio nomine, sive ex patria sic dicta; erat enim ex Thyatira, Lydiæ civitate, inter Pergamum & Philadelphiam media. Opulentam fuisse patet, ex preciocissimis mercibus, quæ Regibus & principibus viris solis in usu erant. Deũ coluit, ritu Iudaico, sive ex Iudæis parentibus nata, sive aliâs religione imbuta; sicut Cornelius, sup. c. 10, coluit Deum precibus ut patet, & audiendo lectionem Prophetarum, usitatam in congressibus; tertiò beneficentia quam mox declarat erga Apostolos. Itaq; aliqua fuit in illa veri Dei cognitio, & desiderium veritatis cognoscendæ. Huic Deus aperuit cor; antea enim Pharisaico fermento, quod ubiq; prevaluit infecta, odio Christianæ religionis ferebatur: verbo autem Evangelij, quo gratia Dei & Spiritus sancti dona offeruntur, cor apertum est: (non immediato influxu, secundum Schuencfeldium;) Patet id clare ex verbis Pauli, Rom. 10: 17. *fides ex auditu est: auditus autem per verbum Dei.* Gal. 3: 5. *Qui ergo tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis: ex operibus legis, an ex auditu fidei?* Deus enim per ordinaria media dat fidem; videlicet per preces, *Dabit Sp. sanctum petentibus*: Luc. 11: 13. per verbi diligentem auscultationem, ac meditationem: *Lex Domini immaculata est, convertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.* Ps. 19: 8. Esa. 55. 10. *Verbum Dei confertur nivi & pluviæ fructificanti.* 1. Cor. 1: 21. *placuit Deo per stultitiam*

tiam prædicationis salvos facere credentes. Nec inest verbo vis magica inhærens; sed est organon per quod conversionem operatur, Sp. sanctus. Si verò quæratur, possit ne Deus hanc conversionem operari per se, immediate? Respondet Paulus loco citato, sic placuit Deo. 1. Cor. 1: 21. Quæritur cur non etiam pluribus audientibus, Deus cor aperuerit. Respondetur; non negat Evangelista alijs quoq; cor apertum fuisse; Lydiæ autem conversionem ut maximè memorabilem commemorat, opulentæ mulieris, raro exemplo. Matt. 19: 24. 1. Cor. 1: 27. Aperuit verò etiam Deus cor domesticorum ejus. Deinde propter præstantiam fidei ejusdem, quæ domesticis etiam fidem suasit, quæ Apostolos in domum suam recepit; non caruit ea res periculo, quod ex tumultu subsequente apparet; inf. v. 19. Tertio, ut intelligamus fidem non esse opus nostrum, sed donum Dei. Apostoli inviti domum ejus ingrediuntur, veriti fortasse, ne opulentam & magnæ autoritatis fœminam in periculum conijciant: urget ea vehementius, ut de integritate fidei suæ ipsis documentum illustre præbeat: si inquit, judicastis me fidelem.

V. 16. Ἐγένετο. Alterum membrum hujus secundæ partis, de ejectione spiritus Pytonici ex puella fatidica. Apollo Pythius dicebatur propter Pythonem draconem, quem sagittis confecit, adhuc admodum puer: ut habent Poëtarum fabulæ, Delphicum erat Apollinis oraculum, præ cæteris clarum gentilibus, propter responsa quæ dabat; unde etiam à Regibus frequentabatur, ac donis insignibus ornabatur. Porphyrius Appollinem & Deos ex astris prædicere putat, & falli posse: quem refellit Eusebius l. 6. de demonstratione Evangelica. Gentiles verò

prædictionum cupidi, futura prædicentes magnis muneribus affecerunt, unde magnus quæstus erat pythonicis, sic dictis propter vaticinandi artem, similem sacerdotibus Apollinis. Quæ libido futura sciscitandi, Christianâ fide repressa fuit quodammodo, mandato scilicet Divino prohibita; vix tamen cessat in universum, quibusdam adhuc consulentibus sagas ac veneficas de morborum remedijs, conjugijs, ablatorum receptione, rebusq; futuris; quæ est quædam turpis idololatria & cultus Diaboli. Nec probanda est astrologia ea, quæ ex astris de hominum fortunis & infortunio prædicit. Esa. 47: 9.

V. 17. Ἄυτη. Testificatio hujus mulieris, quia à diabolo profecta erat; licet vera esset, tamen à Paulo rejicitur; sic etiam à Christo rejectum est testimonium Diaboli; Matt: 8; 29. Matt. 1: 23. Luc. 4. 35. *Et increpavit eum Iesus, dicens, Obmutesce, & exi ab eo.* Diabolus enim suo testimonio, non reddit homines certos, sed dubios de veritate; cum sit mendax, & Dei ac veritatis inimicus, erga homines invidus: unde neq; adest ei intentio salutis hominum procurandæ. Sequeretut autem potius ex ejus testificatione, Apostolos esse à diabolo missos, si ab ipso testimonium accipiant, non à Deo. Itaq; eum Apostolus hæc verba sæpius iterantem, compescuit & ejecit: ostendens diabolum cum Christo nulla in parte convenire, et in ipsis esse potentiam Christi, ad reprimendum diabolum, & ad asserendam veritatem Evangelij virtute Divina, neq; egere testimonio maligni spiritus, in præjudicium fidei Christianæ.

V. 16. ἰδόντες. Tertium membrum hujus partis, de afflictione Apostolorum, orta ex repressione immundi spiritus, & vanæ superstitionis: res erat in se turpis, ex impostura diaboli quæstum facere: malunt tamen in his tenebris

bris hærere, quam veritati cedere; hæc enim est mentis humanæ cæcitas: de qua Christus salvator conqueritur. Joh. 3:19. Et hæc est in plurimis condemnationis causa.

V. 20. Καὶ παρήγαγον. Quod est adversarijs veræ religionis, familiare, veram causam turbarum occultant, sicut hi turpis idololatriæ mentionem non faciunt, ne sui lucri; sed culpam in religionem reijciunt, novam eam, & Romanis hominibus insuetam clamant: non licere, sine Senatus Romani consensu & autoritate, eam recipere, aut in civitate sua exercere. Claudius enim paulo ante Iudæos, propter fidem Christianam Roma expulit. Suetonius in Claudio. cap. 25. Accusant itaq; Apostolos, non quod Pythoni se opponant, aut lucrum eorum avertant: sed religionem prætendentes, ut seditiosos pacisq; publicæ perturbatores, ac Romanæ majestatis reos, unde civitati periculũ immineat, eosq; ad urbis magistratum deferunt. inf. c. 17:7.

V. 1. Καὶ συνεπέστη. Plebs furit; magistratus reos causam dicentes non audit, nec in fundamenta & rationes doctrinæ inquirit, sicut Berœenses, infra c. 27:11. sed temerario impulsu populi & delatorum, actionem inchoant ab executione: cujus eos postea pudet.

V. 23. Πολλὰς. Magistratus ut culpam effugiat, sine mora virgis cædi jubet Apostolos, & in carcerem conijci. Mos enim erat seditionis, preduellionis, aut capitalis sceleris reos, virgis examinare, ut veram sceleris confessionem exprimant: maximè, cum Reip. res agitur. Sic Paulum examinare jubet tribunus Romanus, infra cap. 22:24. Diaboli instinctu hæc facta sunt, concitantis hostes adversus religionem Christianam; quia prævalente ea, videt concidere omnem idolomaniam, & Dæmoniorum cultum: & in

præ-

præsenti, ejecto Pythone cessat fallax divinatio, immundi spiritus, & cessat cultus Diaboli. Custodiuntur itaq; Apostoli, sicut capitalis criminis convicti, arctá custodia.

V. 25. Κατὰ δὲ. Quo animo fuerint in custodia hinc apparet. 1. Spe bona in Deum, cujus erant ministri: qui suos ex periculis sæpius eripuit. sup. cap. 5: 19. Petrum cap. 12. 2. orant ut afflictis adesse velit, cursum Evangelij juvare, *& ostium sermonis aperire*; sicut etiam Paulus vinctus orat; Col. 4: 3. 3. Deum laudant, qui futurorum sciens, prædixit hanc insaniam gentium adversus Christum per prophetam Ps. 2: 1. sup. c. 4: 24. Deinde qui ipsos dignos habuit, qui talia perferant pro gloria ejus; sicut Petrus cum cæteris virgis cæsus, Deum laudat sup. c. 5: 42. Orant autem sonora voce, ut testentur captivi cæteri, constantiam eorum, quia in afflictione non deficiunt á fide.

V. 26. Ἄφνω δὲ. Miraculosa liberatio describitur, & potentia Divina, in liberandis afflictis, adversus tyrannorum potentiam; ubi neq; claustra, nec vincula captos detinere possunt. Custos autem carceris, videns apertas januas sciens dira supplicia sibi esse parata, si captivi effugerint; maluit sibi ipsi vitam adimere, quam mortem & cruciatus cum ignominia, pluribus inspicientibus perferre. Gentiles ut ignominiam effugerent & supplicia graviora, sibi ipsis manus intulerunt: sicut Lucretia apud Livium, ne in stuprum consentire videretur; Cato etiam, ne in manus hostium perveniret. Refert Dion Cassius Rom. Hist. l. 43. quorum exempla Saul imitatur, ne vivus Philistinorum ludibria sentiret. Fortes habebantur hujusmodi, sed sunt revera molles, quia quæ ipsi graviora putabant, ea perferre non potuerunt. Rectius Susanna, quæ mortem ignomi-

miniosam perferre maluit, quã scelus admittere Deumq; offendere. Peccat enim adversus quintum præceptum, cum impœnitentia qui seipsum interficit; & signa sunt desperationis non fortitudinis. Est ergo hic primus miraculi effectus, terror & anxietas conscientiæ, intellectâ præsentiâ & virtute Divina. Intelligit se esse peccatorem, quod etiam agnoscit in conscientia: videt insuper Deum præsentem, ultorem omnis iniquitatis, potentem eripere eos, quos ipse ad magistratus iniquum mandatum, dura custodia iniquè afflixit. Nec potuit seipsum ad fidem recipiendam disponere, quamvis docentes antea audiverat, sed desperabundus magis à Deo recedit, ac vitæ exitum quærit.

V. 28. Ἐφώνησε. Legis operatio præcessit: Paulus Evangelij solatio ipsum revocat & benè sperare jubet: docet miraculi finem non fuisse, ut ipse pereat, sed ut salvus sit ipse & domus ejus, non solum salute temporali; formidabit enim Magistratus audito miraculo, & ipse culpam effugiet. Sed insuper damnatione liberabitur, & à tenebris impietatis deducetur, in lucem cognitionis Dei, & salvabitur in æternum; fitq; hæc concio efficax virtute miraculi, cum antea non crederet verbo. Est igitur ea altera virtus miraculi, accedente verbo: dispositio ad recipiendam fidem, ut fiat docilis. Tertia est operatio cum δεσμοφύλαξ humiliatus se subjicit Apostolis, & eorum informationi.

V. 31. Iam Apostoli hominem benè adfidem recipiendam dispositum, plenius informant verbo Evangelij Christi: ille accepta fide baptizatur, & cum domo sua universa, Ecclesiæ fidelium conjungitur & salvatur. Et hæc erat

verbi atq; miraculi operatio postrema & finis ultimus; conversio scilicet peccatoris ad Deum; cujus qui & quot sint gradus, ex hoc exemplo fit manifestum.

V. 33. Καὶ παραλαβών. Fructus fidei describitur: opera caritatis edit in afflictos, lavit vulnera eorum ex plagis inflicta, & curam adhibet; deinde cœnam apponit, signa lætitiæ ostendit, (Sp. sancti hæc est operatio in fidelibus) Deo gratias agit, pro fide data & notitia salutis; quam postea prætulit gratiæ dominorum suorum, quos antea tantoperè metuit: nunc omni terrore excusso, fidem amplectitur. Nec minimus in eo fidei fructus apparet, qui omnes quoq; domesticos, intellige uxorem, liberos, famulitia, propinquos, una ad fidem adductos baptizari voluit.

V. 35. Ἡμέρας. Magistratus, sive pœnitentia præcipitis judicij, sive rumore miraculi territi, cum de Apostolorum innocentia plenius rectiusq; statuerent, dimittendos esse sentiunt: quo nuncio carceris præfectus hilaris, Apostolis benè cupiens lætum nuncium dimissionis, ex sua simplicitate defert. Paulus autem intelligens obesse id negocio Evangelij; si velut crimen confitentes, dimissi clam discedant, cupit omnibus notam fieri suam innocentiam, sicut nota fuit publice illata injuria: itaq; adversus magistratus expostulat, jus suum urget, ministrorum Evangelij autoritatem salvam cupit. Civium Romanorum, albo inscriptorum privilegium erat, ne quis magistratus eos puniret, nisi Romanus, ad id peculiariter à Senatu ordinatus, vinculis autem, carcere aut plagis mulctare, capitale erat. Catilina parricida civium dicitur à cicerone: Scelus est, ait idem, vincire civem Romanum. Illi intelligentes Paulum esse civem Romanum, magis metuunt, itaq; illatæ injuriæ

juriæ veniam petunt, rogantq; ut ex rube diſcedere velint, veriti, ne ſi remaneant in civitate, major tumultus oriatur. Illi diſcedentes Lydiæ converſæ domum prius intrant, converſorum fratrum conventum agunt, eosq; hortantur, ut conſtantes perſiſtant in fide Chriſti.

CAP. XVII.

Apoſtoli ex civitate Philippenſium profugi, pergunt ad interiora Macedoniæ, & per civitates vicinas Theſſalonicā perveniunt, quæ eſt caput Macedoniæ, ſita in intimo ſinu Thermaico qui Græciam à Macedonia dividit. Tria in hoc cap. comemorantur præcipuè, unde tres fiunt partes capitis. I. de his quæ Theſſalonicæ geſta ſunt agit.

V. 2. Κατὰ δὲ. Quare Synagogas Iudæorum plerunq; ſit ingreſſus ſuperius diximus, deſumenda enim fuerunt doctrinæ principia ex antiqua revelatione Patribus facta & Prophetis, quarum cuſtodes erant Iudæi. Et quamvis aversa erat gens Judaica, & adverſus doctrinam Evangelij ſeditioſa, tamen multi fuerunt ad fidem converſi, in civitatibus, ubi prædicabant Apoſtoli. Juxta vaticinium Eſa. Rom. 9: 27. & 29. Et cap. 11: 5. Diſſerebat ex ſcripturis; deſumens probationes ex Moſe, Davide & Prophetis, ſicut Petrus, ſup. cap. 2. Stephanus cap. 7. Philippus cap. 8: 35. Paulus cap. 13: 16. Ex receptis utrinq; principijs. Et quia ſcandalo crucis præcipuè avertebantur Iudæi à fide, cum putarent Chriſtum fore Regem terrenum: Paulus contra ex ſcripturis docet, ipſum pati oportere ac mori: reſurgere & in cœlum aſcendere: regnum autem Chriſti in terris fore ſprituale. Omnia iſta oſtendit in Ieſum Nazarenum

quadrare, & hunc propterea esse Messiam, in scripturis promissum: nec expectandum alium.

V. 4. Καί τινες. Quidam ex Iudæis crediderunt, ut supra dictum est; hic igitur fuit fructus concionis Pauli. Græci quoq; conversi, soliti Synagogas Iudæorum ingredi, quorum religionem probarunt, quam intellexerunt pleniorem de Deo cognitionem tradere, quam Gentilium superstitionem: & ideo σεβόμενοι dicuntur.

V. 5. Ζηλώσαντες. Alter effectus, apud incredulos, qui concitata malorum turba, hospitium Apostolorum petunt, ut Apostolos in turbam productos, lapidibus obruāt. Sic Evangelium *quibusdam est odor vitæ ad vitam, alijs verò mortis ad mortem.* 2. Cor. 2: 16. Apostoli intelligentes periculum, se subducunt: quos cum non invenissent, in Iasonem hospitem sæviunt, eunt accusant, quasi sceleris conscium, aut cum seditiosis conspirantem. Accusatio autem talis erat, qualis etiam adversus Christum. Luc 23: 2. *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, probibentem dare censum Cæsari, & dicentem se esse Christum Regem.* Sic Apostoli orbem concitant: (οἰκουμένην) Romanum scilicet imperium: qua voce utitur Lucas cap. 2: 1. cum census ageretur imperij Romani. 2. Decreta Cæsaris contemnunt, forte de religione proposita. 3. Regem alium prædicantes, majestatis rei aguntur. Non erat autem ignotum Iudæis, Iesum quem prædicant, crucifixum esse & mortuum: sed quia eum resurrexisse docent Apostoli, inde impij calumniam nectunt, quasi hoc Rege duce, insurgant adversus Cæsarem; & hoc fine orbem imperij commoverant. Iason in hospites beneficus, cum alijs fidelibus vim patitur:

quo-

quorum tamen excusationem ut sufficientem acceptat magistratus, eosq; absolvit.

V. 10. Οἱ δὲ ἀδελφοὶ. Fratrum nuper conversorum pietas in Apostolos describitur qui eos à periculo liberatos, deducunt Berœam, Thessaliæ civitatem. Et hîc incipit II. Pars capitis de his quæ Beroeæ gesta sunt. Commendat autem Evangelista Beroeenses, ut generosiores cæteris Thessaliæ incolis, εὐγενέστεροι, sive nobilitate generis, sive candore, animoq; ingenuo, rectius judicandi de Evangelij doctrina, ex ipsis principijs unde deducitur; non autem ex opinione, quam è Pontificum & principum Ierosolymitanorum, aut etiam Pharisæorum traditione hauserunt. Breviter, non ex hominum placitis, sed ex autoritate Divina; predictâ à Prophetis, tempore completâ, & miraculis confirmatâ. Philippenses autem & Thessalonici Romanam autoritatem veriti; & primorum gentis Iudaicæ autoritatem sequuti; veritatem amittunt. Beroeenses contra, laudabili exemplo studiòq;, doctrinam Euangelij, cum scriptura conferunt, & inde fundamenta sui consensus desumunt: juxta consilium Salvatoris, Ioh. 5:39. *Scrutamini scripturas.* Et ibidem, v. 46. *Si crederetis Moysi, utiq; crederetis & mihi, de me enim ille scripsit.* Et hoc erat animi verè generosi & candidi: itaq; eos Sp. sanctus commendat. Quia autem tota synagoga aut societas laudatur, consequens est præcipuos primum recepisse Evangelium, postea ad eorum exemplum credunt cæteri, non Iudæi solum, sed & Gentiles, dignitate præstantes; mulieres & viri. Fœminas prius nominat, forte promptiores ad recipiendam fidem, ideoq; hac laudis prærogativa dignas.

V. 13. Ὡς δὲ. Apostolorum fortuna semper eadem, im-

piorum seditionem etiam hic sentiunt: & diabolus veritatis hostis, cum videt autoritate præcipuorum fidem recipientium reprimi tumultum infidelium, concitat sua organa, quibus antea usus est Thessalonicæ, ut tumultū hic quoq; excitent. Paulus, fratrum adminiculo usus, fuga sibi consulit; secundum præceptum Christi, Matt. 10: 23.

V. 16. Ἐν δὲ ταῖς. III. Pars capitis; in qua commemorantur quæ Apostolus Athenis gesserit. Expectat autem Silam & Timotheum, socios in Evangelij prædicatione, qui una testificarentur de veritate doctrinæ, qui in laboribus docendi ipsi assisterent, operam præberent in Baptismi & sacramentorum ministerio, in Cathecumenis audiendis ac informandis. Fidem etiam & autoritatem auget, ministrorum in doctrina consensus, & mutua laboris communicatio. Tria in hac parrte notanda proponuntur: colloquium Pauli cum Atheniensibus, & varium eorum de hac doctrina judicium. 2. Concio Pauli in Areopago. 3. Eventus & effectus concionis. Παρωξύνετο, concitabatur Spiritus Pauli, quadam commotione vehementi; ut nō sustineret sociorum adventum præstolari. Notat Brentius ad hunc locum non incommode, commotionem fuisse Spiritualem, sine ira & & verborū contumelia: quæ distinguenda est ab illa carnali, quæ ex fastu, iracundia, & vindictæ cupiditate proficiscitur. Causa hujus commotionis exprimitur; videlicet, contemptus veri Dei, & idololatria turpissima, apud homines doctos & cultissimos, in civitate populosa & potentissima: miserabatur enim tenebras intellectus, & triste exitium tot hominum aberrantium à veri Dei notitia. Suæ autoritatis oblitus, non expectatis socijs, & ministris, solus se in colloquium ingerit, cum Iu-

dæis

dæis ſuo more primum, & Gentilibus colentibus Deum, aſvetis religioni & ſacris Iudæorum: ſed & propalam in foro cum quibuscunq;, reprehendens ſuperſtitionem & idolorum cultum, ac veri Dei notitiam inſinuans, ut eos in ſalutis cognitionem deducat; & hoc quotidie, unde magna diligentia perſpicitur.

V. 18. *Τινὲς δὲ τῶν.* Erat Athenienſium civitas imperio potens; & præterea omnis humanæ ſapientiæ Schola celeberrima, in toto terrarum orbe, ubi docuerunt Socrates, Ariſtoteles, Plato, Xenocrates, Cratippus, Clearchus & alij plurimi: quo confluebat eruditionis & ſcientiæ cauſa juventus præcipua Aſiæ, Europæ & Ægypti. Ubi, ſicut fit ſæpè, per æmulationem doctorum, diverſi in diverſas ſententias abierunt, ſuam quiſq; propugnantes. Unde nati ſunt Epicuræi, Stoici, Cynici. De quibus Cicero in Tuſculanis & Academicis quæſtionibus; Euſebius de præparat. Evang. De ſummo hominis bono ſeu felicitate inter ſe certant magna contentione; quam Epicuræi ponunt in voluptate, non ſolum illa beluina corporis, ſed maxime in ea quæ animo percipitur, ex ſapientia & actionibus honeſtis. Talem fuiſſe Epicuri ſententiam probat Seneca, illuſtribus Epicuri dictis, quibus plurimas Epiſtolas ſuas claudit. Deum verò negant curare res humanas, cum ſit id alienum â natura Divina, & ipſum redderet infelicem, propter curarum multitudinem: metum quoq; incuteret hominum animis, & ſecuritatem voluptatis tolleret. Stoici contra, putant omnia fato ferri; ſummum bonum collocant in virtute, & *ἀπάθεια* & abolitione omniũ affectuum, ut ex dolore triſtitia nulla, nec ex voluptate gaudium in animo ſequatur. Utriq; Chriſtianam fidem, ut ſibi adver-

ſan-

santem oppugnant. Paulus contra, aliam beatitudinem prædicat, fidem Christi beatum facere, eam esse omnium virtutum compendium: Deum omnia gubernare, in vita futura præmia unicuiq; aut pœnas pro factis reddere. Quidam verò differentem contemnunt, ut nugas spargentem: alij ex veteri superstitione, putant afferri ab ipso cultum cujusdam numinis antea incogniti. Alij enim populi alios Deos coluerunt, & alienorum Deorum cultum sibi sectandum, sic persuasi, sumpserunt; ut pestem, famem, tempestates, aut alia mala imminentia effugerent. Jer. 44. *Postquam cessavimus sacrificare Reginæ cæli & libamina offerre, indiguimus omnibus, gladioq; & fame consumpti sumus.* Sic variè affecti fuerunt Sapientes Græci, ex doctrina Apostoli, nec potuit quisquam ex naturalis sapientiæ principijs, doctrinam de Christo percipere. 1. Cor. 1: 2. vbi sapiens, ubi scriba, ubi disceptator hujus seculi? nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi?

V. 19. ἐπιλαβόμενοι. Novitate doctrinæ hujus moti Athenienses, ducunt eum ad Areopagum, ubi area erat ad conventum populi, & locus editus, ex quo concio habebatur ad populum: ut libere dicentem de religione audirent. Causam hujus desiderij ostendit Evangelista, non tam esse cognitionem Dei, & veræ religionis quam novitatis studium, ut discant de religione aut re nova disputare, & alios confundere: quale est plerunq; ingenium eorum, qui laudem scientiæ quærunt, & inter alios excellere cupiunt. Non fuerunt itaq; de salute æterna animarum solliciti, sed temporalis gloriolæ cupiditate accensi, vanæ scientiæ laudem quærebant. Et hæc est scientia quæ inflat. Col. 2: 8. & 18.

V. 22.

V. 22. Σταθεὶς δὲ. 2. Sequitur in hac tertia parte concio Pauli ad Athenienses : constat exordio, propositione, confirmatione, cui confutatio inseritur, in fine de fide Christi nonnulla insinuat cum exhortatione. Viri Athenienses ait; hac enim simplici compellatione contenti, satis sibi honorificum putant, ab illustri ea, & per orbem terrarum celeberrima civitate denominari: ignoravit enim vetustas eam titulorum vanitatem, quæ nunc in usu est. In exordio convincit eos superstitionis, & ostendit eos vano dæmonum cultui minium esse deditos; δεισιδαίμονες dicuntur superstitiosi dæmonum cultores. Δεισιδαιμονία ἥψατο τῆς πόλεως: superstitio civitatem invasit. Budæus ex Plutar. Δεισιδαιμονέστεροι; Dæmonum timori & cultui nimium dediti; scilicet in summo gradu.

V. 23. Διερχόμενος. 1. Argum. à multitudine simulacrorum, de qua, ne offendantur, paucis innuit. Non possunt enim omnes esse Dij, cum ex doctrina eorum propria, unum sit principium primum; Ex septimo & octavo phys. Arist. & 12. Metaphys. Et ex timæo Platonis. Stoici quoq; & Epicuræi unum Deum agnoscunt. Socrates item. Unde si est unus Deus, supremus & summus, frustra colimus Dæmonia Deorum simulacra. Hæc innuit saltem Apostolus. 2. Arg. sumit ab ara inscripta ignoto Deo: itaq; cum sint Deorum seu Dæmonum cultores supra modum studiosi; fatentur tamen, adhuc aliquod numen ipsis esse incognitum. Sic rejecto errore propositionem profert: Ego annuncio vobis Deorum maximum, Deum verum, Deum Deorum; quem vos colitis quidem, sed quis sit, & qualis, hoc ignoratis. Hoc mihi verò jam explicandum erit. Athenienses sicut principes erant omnis humanæ

ſcientiæ. ſic etiam cultus Divini ſcientia cupiebant præ aliijs excellere. Hanc eorum cupiditatem ad ſuum propoſitum trahit Apoſtolus; quaſi volens huic eorum excellentiæ aliquid addere; quod etiam ipſis gratum eſſe animadvertit: itaq; ignoti Dei cognitionem profitetur; Eum autem non eſſe novum Dæmonem, quem ipſis prædicaturus erat, ſed Deum ſupremum, omnium principium & cauſam.

V. 24. Ὁ Θεὸς. Confirmatio: ab ipſis operibus, ex quibus cognoſcitur; primò quia creavit mundum: ex quo opere *infinita ejus virtus & ſapientia conſpicitur.* Rom. 1: 20. Pſ. 19. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum.* 2. Arg. Quia ipſe hoc univerſum regit & conſervat, cœlum & terram, & omnia quæ in his continentur: unde æternitas, & Divina ejus virtus ac omnipotentia conſpicitur. Hinc etiam Plato æternitatem Dei probat: & Ariſt. 7. & 8. phyſ. demonſtrat, primum motorem; quia movet infinito tempore, eſſe infinitæ potentiæ & æternum. Sic Philoſophos Apoſtolus revocat ad principia naturalia: oſtendens eos cultu Dæmonum, à rationis principijs & à lumine naturæ aberrare, & à ſuo creatore cultum avertere, ad idola, ideoq; eſſe inexcuſabiles. Rom. 1: 20. & ſeq. Hunc Deum non poſſe templis includi, ex Eſa. 66. probat Stephanus: Act: 7: 48. *Cælum mihi ſedes eſt, & terra ſcabellum pedum meorum: Quam domum ædificabitis mihi dicit Dominus?* Contra gentium vanitates hic agit Apoſtolus, putantium in Ida, vel Olympo habitare Iovem, in templo Delphico Apollinem, in Epheſino Dianam, apud Tyrios Herculem. Deum autem verum mundi rectorem, oſtendit nulli loco eſſe aſtrictum, nusquam jncluſum: ratio eſt;

est; qui omnia regit, conservat, movet, ubiq; est, omnibus rebus creatis præsens, templo angusto non clauditur, multo vero minus in statua. *Cæli cælorum non comprehendunt te, quomodo ergo æde hac quam extruxi capiaris?* ait Salomon 3. Reg. 8: 27.

V. 25. Οὐ δὲ. 3. Arg. Qui omnia continet, omnia possidet, velut omnium Dominus; non eget opera aut donis nostris, nec statuis, auro, argento, aut manu artificis; hostijs aut oblationibus: cum ipse omnia possideat, & omnibus ipse spiritum & motum suppeditet, vitam quoque & necessaria vitæ. Dan. 5: 23. Quicquid itaq; à nobis Deo tribuitur, id totum Deo ascridendum erit, à quo omnia proveniunt: Ps. 24: 1. *Domini est terra & plenitudo ejus.* &c. nulla igitur sunt nostra in Deum merita, quod tamen putant gentiles. Invaluit quoq; superstitio illa in gente Israelitica, quos etiam hîc tangit Apostolus, quos Sp. sanctus reprehendit, Ps. 50: 12. *Si esuriero non dicam hoc tibi: meus est enim orbis terræ & plenitudo ejus.* &c.

V. 26. Ἐποίησε. A mundi contemplatione ad hominis considerationem transit, & quid in utilitatem hominum Deus effecerit, & quo fine ostendit. 4. Arg. Quia Deus etiam hominem creavit; nec creatum deseruit, sicut Architectus domum, sed usq; in hunc diem conservavit, & multiplicavit: nec est minimum Divinæ virtutis argumentem, quod ex uno homine creato, ejusq; sanguine, tantum hominum numerum produxit, ut sit jam repleta terra. Bonitas ejusdem conspicitur, qui terminos habitationis homini præbuit, ac mari limites posuit, ac littora, quibus continetur. Tempora quoq; distinxit, motu cœli & syderum, ut sit vicissitudo laboris & quietis, æstatis & hye-

mis, nascendis fructibus terræ; & annorum seriem ordinavit ad rerum ac eventuum memoriam, ad ortum & occasum rerum; omnia ad suam gloriam & hominum utilitatem.

V. 27. Ζητεῖν. Finis enim hic fuit, ut homo fructum horum percipiens, & utilitatem insignem, in admirationem creatoris invisibilis, & in ejus noticiam deduceretur, per hæc visibilia: eumq; ut supremum rerum principium & Dominum coleret & veneretur. Καὶ τινα. 5. Arg. ab energia virtutis Divinæ in nobis, dat esse, dat vitam, motũ, sanitatẽ ac vigorem sensibus & membris: sine cujus energia & influxu, omnia langvescunt, & in nihilum concidunt. Ab ipso originem ducimus, ipse enim est pater & causa essendi omnibus nobis; est igitur homo Divina progenies & imago, in qua lucet invisibilis Dei sapientia, potentia, bonitas, cura pro omnibus; qui liberrime agens hominem conservat, & ad præstitutum vitæ finem deducit, nulla Parcarum vi aut fato detentus. Testimonio Arati Poëtæ confirmat, cujus autoritatem aliquam novit esse Athenis & in Græcia: nam sacrarum scripturarum & Prophetarum autoritas, nulla erat apud Gentiles. Itaq; ex naturalibus principijs probationes desumit, quæ sunt Ethnicis & Christianis communes; ostendens crassum esse sapientissimorum Græcorum errorem, qui cum possint ex mundi constitutione, intelligere virtutem Dei opificis, & insuper in homine ac propria sua natura, sentire præsentem autorem & conservatorem Deum. His tamen evidentibus indicijs relictis, à Deo nobis ad considerandum datis atq; propositis; ipsi sibi forment fingantq; imagines, quibus Divinam essentiam spiritualem & operibus infinitam expri-

primant, in ligno, lapide, auro, & ſculptura arte facta: quibus Deus minime aſſimilatur, nec in his rectè colitur. Sic Apoſtolus ex allatis rationibus adverſus nefandam eorum ſuperſtitionem concludit. Vide quæ de his affert Auguſt. de civ. Dei l. 7. & 8.

V. 30. Τοὺς μὲν. Occupatio, qua reſpondet objectioni; ſicut promptum eſt errantibus, cauſam ſui erroris in Deum referre: Si Deus nutu ac directione ſua, actiones & omnia humana regit, quare hunc cultum gentibus uſitatum tanto tempore pertulit? Tractatur eadem quæſtio, Rom. 1: 18. ex profeſſo & perfectè, quam hîc brevibus exprimit; oſtendens, juſto Dei judicio relictos in ea cæcitate, quam contra veritatem in natura revelatam, ſua ſponte attraxerunt: Deum verò nunc, ex mera gratia, annunciare hanc veritatem mundo, ut omnes ab injuſtitia, ad veri Dei cultum per pœnitentiam convertantur. Nullum hîc meritum præcedit, nulla diſpoſitio; nec Deus ulla re alia movetur, niſi primò ſua miſericordia, deinde miſeria hominis, ſicut clare docet Apoſtolus, Eph. 2. Non eſt Deo præfinitus certus numerus, ſed hac ſua gratia, in Evangelio propoſita, omnes homines complectitur, ac ſine diſcretione omnes ad fidem vocat. 1. Tim. 2: 4.

V. 31. Διότι. Tertia cauſa additur, revelationis Evangelij: quia enim Deus conſtituit diem, cum univerſali judicio, in omnium facta inquiret, reddetq; unicuiq; ſecundum opera ſua; itaq;, ne quis ulterius ignorantiam prætendat, & ut omnes reddantur inexcuſabiles, voluit ex abundanti, hanc quoq; gratiam mundo impertiri, ac ſuæ voluntatis conſilium, de hominum ſalute iterum patefacere. Emphaſis eſt in verbo παρέχων, quaſi tradens, offe-

rens, porrigens fidem; idq; omnibus, ne quid sit particularitatis aut remoræ in Deo, & ne quis excludatur. Iustum erit judicium; sicut Deus justus est; nec injustus esse potest, mundi judex. Rom. 3: 5. Judex à Deo constitutus est vir pro omnibus mortuus; sed in id à Deo à mortuis excitatus; sic Apostolus insinuatione usus, quasi obiter, eos in notitiam Christi introducit: quod tamen erat primarium institutum. Deinde ipsis (antea incredibilem) mortuorum resurrectionem, Christi resurgentis exemplo asserit: unde cordati colligere possunt possibilem fore hominum resurrectionem, & vitam futuram.

V. 32. Ἀκούσαντες. Ultimo loco fructus concionis hujus describitur; alijs irridentibus, quasi loquente de re impossibili ideoq; incredibili; ut vaniloquũ: alij, cum incredibilia non ducerent, plura audire cupiunt: tertiò credentes Apostolũ sequuti, & adhærent, ob admirationem doctrinæ ac pleniorẽ informationem. Nominatim verò Spiritus sanctus commendat Dionisium Aeropagitam & Damarim, ut insigniores in Atheniensibus. Areopagitas Senatores fuisse vel judices ordinarios, in Arropago, de homicidio & capitalibus criminibus judicantes, qui etiam in summo Reip. discrimine ad administrationem Reip. evocabantur; ex Libanio docet Budæus, com. priore in pandectas juris.

C A P. XVIII.

IN hoc capite Corinthiorum conversio primò describitur; postea reditus Apostrli in Asiam: unde in duas partes caput dividitur.

V. 1. Μετὰ δὲ. Prima pars capitis, de prædicatione Apostoli agit apud Corinthios, & de eorundem conversione,

ne, postea de exorta à contumacibus Judæis persequutione, & abitu Pauli. Athenis relectis, ait, Corinithum se contulit. Sita erat civitas inter Achaiam & Peloponnesum, loco navigationis ac mercaturæ valde oportuno; alluente mari utrinq; hinc Ionio, illinc Ægeo; tam prope, ut tentatum sit à nonnullis Istmum perfodere, quamvis frustra. Hac navigationis oportunitate reddita est urbs frequentissima, mercimonijs opibusq; potens, opificijs quoq; : unde splendor & luxus crevit in civitate, & libidinis incontinentia ingens. Habuit & templum Veneris mille virginibus frequentatum: prostibula publica sine numero, in quibus Lais Corinthia famosissima de qua Macrobius in Saturnal. Et Gellius, lib. 1. Cap. 8. Invenit hic Apostolus Aquilam Iudæum, Ponticum natione, ex Italia profugũ, cum Iudæis reliquis, quos Claudius Cæsar, tumultuantes & inquietos, Roma & Italia expulit. Fecisse id Iudæos *impulsore Christo*, ait Svetonius in vita Claudij, cap. 25. Non potuit autem Christus crucifixus, tempore Claudij Iudæos ad tumultum concitare, qui sub Tiberio cruci affixxus fuit. Consequens est igitur Iudæos Romæ & in Italia consilia agitasse, quomodo se ad Christi apparitionem pararent, & Romanorum jugum excuterent, recuperata Patria. Noverunt enim adesse tempus, ex computatione hebdomadum Danielis: unde circa hæc tempora plurimi, Christi nomine assumpto, se pro Messia venditarunt, gentemq; Iudaicam, ad tumultum concitarunt, juxta vaticinium Christi, Matt. 24: 24. ut sup. c. 5: 36. Joseph. l. 20. c. 2. & 18: c. 1. & 2. antiquit. Euseb. hist. l. 1: cap. 3. Quidam vero fidem Christi recipientes, se illis opposuerunt, unde dissensio orta fuit.

V. 3.

V. 3. Καὶ διὰ. Paulus nihil ab Atheniensibus adjutus, rerum omnium inops venit Corinthum: ubi omnibus ignotus, manuum labore victum quærit; nec ideò officium docendi deserit. Fecit idem etiam apud Ephesios, infr. cap. 20: 34. Apud Thessalonicenses similiter. 2. Thess. 3: 8. causam addit 1. Cor. 9: 12. non quod sic oporteat: sed *ne quod offendiculum det Evangelio Christi*: intellige, teneris hisce nascentis Ecclesiæ sensibus. Hujus Aquilæ fit mentio, cum insigni commendatione Rom. 16: 3. qui cum Romam æquioribus temporibus redierit, ibidem maxima pericula, pro Apostoli incolumitate subijt: comitem quoq; se adjungit Apostolo, in Syriam discedenti, infra v. 18. unde patet hunc Aquilam doctrinæ Christianæ amantissimum fuisse. Tutius itaq; erat Apostolo hospitium, apud hominem fidelem; commodius etiam, ubi licuit victus acquirendi causa, artem quam didicit exercere, ne hospitem inopem, exulem, & in loco illo peregrinum, sumptu nimio gravaret.

V. 4. Διελέγετο. Alacritatem Apostoli in officio ministerij, Evangelista describit: qui Sabbathi oportunitate usus, cum Judæi conventus sacros agerent, convenientibus etiam ad eadem sacra multis ex gentilibus, ut patet ex textu, duo eximia ministerij officia exequitur; 1. disputat, & ex Scripturis ostendit Christum esse Messiam promissum, ac contradicentes refellit. Deinde ex fundamentis positis docet, exhortatur & suadet, Gentibus pariter & Judæis, ut hanc fidem recipiant & in ea acquiescant. Hæc enim officia in ministro Evangelij Apostolus requirit, Tit. 1: 9. *ut potens sit exhortari per sanam doctrinam: & contradicentes redarguere.* Talium concionum specimina plura habuimus supra.

V. 5.

V. 5. Ὡς δὲ. Ex ſociorum adventu Apoſtolus alacrior factus coarctabatur Spiritu, inſtabat, ex veteris Teſtamenti ſcripturis oſtendens Chriſtum eſſe Meſſiam, adjutus teſtimonijs & conſenſu Timothei & Silæ, exercitatorum in doctrina eadem, ad convincendos Iudæos.

V. 6. Ἀντιτασσομένων. 2. Fructum prædicationis deſcribit: & primo, Iudæorum pars incredula, ſuo more ſe opponit, &, ut habet vox græca, contrarium ſtatuit ac probare nititur; addita inſuper contumelia ſeu blaſpemia in Chriſtum. Victi enim evidentia argumentorum Apoſtoli, ſuorum rationum infirmitatem agnoſcunt; itaq; contumelijs & violentia victores eſſe ſtudent: quod eſt impijs familiare; ſicut etiam adverſus Chriſtum tali proceſſu uſi ſunt Iudæi, & utuntur adverſus fideles hodie etiam Papiſtæ. Paulus verò cum obſtinatis, non contendit verbis, nec rependit convicia: ipſe præceptum facto exprimit, quod Timotheo ſervandum dedit 2. Tim 2: 14. *ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium.* Excutit verò veſtimentorum pulverem, juxta præceptum Salvatoris, Matt. 10 ſevera comminatione docet ipſos propriæ condemnationis autores eſſe: deinde ſeipſum feciſſe quod debuit, nec poſſe eos de ipſo in poſterum conqueri; tertiò velle ſe illis derelictis, ad gentes abire,& de illis convertendis laborare, ſicut ſup.c.13:46. Quanto ſunt bona ampliora, quæ nobis Deus per miniſterium Evangelij offert, tanto nobis majora damna dat ejusdem privato: recedente enim à nobis miniſterio verbi, recedit cognitio de Deo, promiſſio, gratia, pœnitentia, Chriſtus: manet cæcitas, caligo, peccatum, damnatio.

V. 7. Καὶ μεταβὰς. Aquilam Iudæum & cæteros Iudæos

Apostolus relinquens, transit in hospitium Iusti; sine dubio gentilis sicut minatus est verbis præcedentibus. Iusti cognomen traxisse videtur ex honestate vitæ, & à Sp. sancto commendatur propter cultum Divinum, fortasse à Iudæis informatus erat, sicut supra Cornelius cap. 10. Neq; enim gentilium cultus potuit placere Deo. Non in universum se avertit Apostolus à Iudæis: nam & Aquilam postea secum abduxit in Asiam, Crispum Archisynagogum convertit, & Corinthiorum gentilium magnum numerum. Itaq; præcedens comminatio & abitus, non damnationem incredulorum desiderat, sed conversionem & pœnitentiam. *Potestas enim nostra non est ad destructionem, sed ad ædificationem: non adversus veritatem, sed pro veritate.* 2. Cor. 13: 8. & 10. Sic opus Apostoli non fuit inane in Domino.

V. 9. Εἶπε δὲ. Ex his apparet Paulum sine metu non fuisse conversatum cum Corinthijs, propter tumultuantes Iudæos incredulos, quorum violentiam sæpius expertus fuerat; & ipse fatetur se cum infirmitate, timore ac tremore multo fuisse apud eos 1. Cor. 2: 3. itaq; dum abitum parat, sicut supra Athenis, Divino oraculo admonetur, & consolatione in spem meliorem erigitur. Patet inde Paulum, licet Spiritu Prophetico præditum, non tamen quosvis eventus futuros præscire potuisse; sed ea solum quæ Deus ipsi peculiari revelatione aperuit. Facit id ad certitudinem fidei ut sciamus vaticinia Apostolorum non ex conjecturis humanis, sed ex Divina revelatione esse profecta, ideoq; in his veritatem esse Divinam & infallibilem.

V. 10. Διότι. Multum Apostolo confert hæc revelatio Divina. 1. timorem eximit. 2 confidentem reddit ad loquen-

quendum de Christo. 3. Ne quid reticeat ob respectum aut gratiam vel indignationem hominum. 4. Divinam assistentiam pollicetur. 5. indemnem eum præstat, & ab iniquorum iujuris liberum. 6. Ex plurimorum conversione futura, felici prædicationis eventu exhilarat. Unde colligere potuit Apostolus illud Rom. 8. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Juxta illud psalmistæ. *Non timebo millia populi circumdantis me*, &c. Ps 3. Hac consolatione suffultus Apostolus, mansit Corinthi, prædicans pœnitentiam & fidem Christi, & plantavit Ecclesiam, cui duas postea Epistolas scripsit.

V. 12. Γαλλίων@. Alterum membrum primæ partis, describit tumultum exitatum â Judæis incredulis, adversus Paulum. Non fefellit opinio Apostolum, qui sæpius perspecto Judæorum ingenio, talem tumultum etiam Corinthi exoriturum prævidit. Non potuit metus expers esse seditio tanta, conspirantibus Iudæis simul & Græcis adversus Paulum: in quorum potestate captivus ad tribunal Proconsulis Romani pertrahitur: sed auxilij Divini spe fretus, apologiam parat. Accusatio erat, quod novum cultum Divinum doceat: contra legem Mosis. Non animadvertunt, quod Moses de Christo sit loquutus, ad quẽ Christus ipse provocat; Ioh. 5: 46.

V. 14. Μέλλοντ@. Pauli dicere volentis, sermonem abrumpit Gallio Proconsul: significans religionis Iudaicæ controversias ad se non pertinere, sitas in verborum significationibus, in nominibus & genealogijs, & lege de cultu Divino ipsis peculiari: itaq; de his se judicare non velle, superstitiosis scilicet, ut ipse putat, sicut Festus inf. c. 25: 19. Rejicit igitur ea, ut hæc per se ipsi componant; indigna

quæ à Proconsule Romano tractentur: cujus officium est res politicas dirigere, justitiam administrare, flagitia & iniq; facta cognoscere & punire; Paulum itaq; ab hujusmodi criminibus absolvit. Quid vero dicturus fuisset Apostolus, si dicere licuisset, colligi potest ex sequenti cap. 23: 1. & cap. 25. & 26. Nec probanda est hæc negligentia Gallionis, omnem religionis curam à se rejicientis: interest enim Reip. quid circa religionem geratur à civibus, cujus perversum studium turbas maximas sæpè concitat, cum maximo societatis incommodo. Rectius Festus inf. c. 25. qui & ipse causam cognoscit, & Agrippam consulit, omnia diligenter explorat, & ad Cæsarem perscribit.

V. 17. ἐπιλαβόμενοι. Neq; hoc rectè, quod magistratus ordinarius præses provinciæ, ante tribunal, locum judicij supremum, Græcis permittit, ut Sosthenem, Synagogæ principem plagis afficiant impunè. Non id permittit Lysias Tribunus, infra cap. 21: 32. qui Paulum ereptum, postea sistit cognitioni Sacerdotum, ibidem v. 30. Gallionis hujus meminit Seneca lib. 18. Epist. 105. suum dominum dicit: *qui cum in Achaja febrem habere cœpisset, protinus navem ascendit, clamitans, non corporis esse, sed loci morbum* hæc Seneca. Meminit cujusdam etiam Dion Gallionis, fratris Senecæ l. 60. in fin. Sosthenem hunc Paulus Corinthiis scribens, sibi adjungit. 1. Cor. 1: 1. Et Crispum à se baptizatum testatur, 1. Cor. 1: 14. Qui cum utriq; fuerint Synagogæ principes; sequitur aut in magna Synagoga plures præfuisse, sicut Athenis, aut duas fuisse Synagogas, in magna civitate; sicut cap. 19: 8. ex Synagoga transit in scholam tyranni. Dubium vero non est Græcos à Iudæis fuisse concitatos adversus Sosthenem, eumq; traductum ut malorum authorem,

rem,

rem, qui cum debeat esse fidei antiquæ propugnator, ut Iudæis placuit; ipse primus defecit, & cum Paulo consentit; pluresq; secum in eandem sententiam abduxit. Seditio hæc tanta, maximum malum Paulo portendere visa, Deo dirigente Gallionis Proconsulis animum, in nihilũ recidit: & fit vera promissio Divina Apostolo facta: sup. v.9.

V. 18 ὁ δὲ παῦλος. II. Pars cap. de abitu Pauli in Syriam & visitatione Ecclesiarum Asiæ, ac de Aquila Alexandrino ac ministerio ejus in Evangelio. 1. Ut omnibus nota fieret mirabilis liberatio Pauli, & confidentia in fide ac verbo, ad fidelium confortationem, mansit ipse adhuc Corinthi per dies multos. Comites se ei adjungunt Priscilla & Aquila, juvantes ipsum in docendo Evangelio, ut patet, inf. v. 26. Et fortassè in alijs Ecclesijs, perferendo cum Apostolo pericula ac molestias: unde tanta commendatio: Rom. 16: 3. Resedit tandem Philippis hic Aquila, ubi habuit Ecclesiam domesticam. 1. Cor. 16: 19. Hinc enim Apostolus scripsit primam Epist. ad Corinthios. Rasit caput Apostolus, voto se exolvens, juxta legem de votis, Num. 6. Ritus hos ex antiquo more servans, non necessitate mandati (cum hæc sint adventu Christi abolita) sed liberè in gratiam Iudæorum, ut eos lucrifaciat, sicut dictum est supra de circumsione Timothei, cap. 16: 3. Et infra cap. 21: 24. similia leguntur. Cenchris & Cenchreæ est portus Corinthi.

V. 19. κατήντησε. Ephesum venit Apostolus, relinquit ibidem Aquilã ut cum uxore & suis, ut ex itinere quiescat, deinde ut ipso discedente prædicationi instet: Ipse suo more Synagogam ingressus munus Apostolicum exequitur. Receperunt illi sermonem Apostoli, rogantq; ut ma-

neat diutius; quæ verò causa fuerit Paulo discedendi, tantã spe oblata, insignis Ecclesiæ plantandæ, non exprimitur; sive quia cura Ecclesiarum Asiæ, præsentiam Apostoli sine mora longiore flagitabat; sive negocium Ierosolymis in die festo, aut etiam apud Antiochenos, quod moram non ferret; sive quod industriæ Aquilæ fideret, ut ipse efficeret, quæ ad opus requirebantur: præsertim quia redire constituit, postquam ex visitatione Ecclesiarum reverteretur. Rediit enim Ephesum ibiq; resedit docens toto triennio, ut patet. cap. 19. & cap. 20: 31. τοῦ Θεοῦ θέλοντος ait ad Dei beneplacitem referens, in cujus potestate sunt viæ nostræ, vita & omnia. Ut docet Iacobus Epist. cap. 4: 18.

V. 22. Καὶ κατελθών. Appulit Apostolus ad portũ Cæsareæ Palestinæ, ascendens salutavit Ecclesiam, intellige, Ierosolymitanam, quæ κατ' ἐξοχὴν Ecclesia dicitur, primitiæ credentium, & omnium aliarum Ecclesiarum mater. Confluentibus undiquaq; Iudæis, ex Asia, Syria, Ægypto, ad festum, ubi commode explorare potuit Apostolus statum Ecclesiarum in quibus antea prædicaverat. Mox Antiochiam descendit, ad celeberrimam ex gentibus collectam Ecclesiam, ministerio Pauli & Barnabæ, sup. cap. 11: 26. Mansit Antiochiæ, ordinando quæ ad bonum ordinem & statum in Ecclesia felicem spectabant; circa ministerium, ritus, fidei quæstiones, componendo dissidia, corruptelas refutando, corrigendo, castigendo, formando mores fidelium: Et peragrando Ecclesias Asiæ, hæc talia, magno labore atq; salutari fidelibus studio effecit.

V. 24. Ἰουδαῖος. Narrationem de Pauli gestis paullum relinquens Evangelista, ostendit quid interim absente Paulo gestum sit Ephesi. Deus interim mittit Ephesijs hominem

nem industrium, cujus ministerio Ecclesia confirmetur in fide Christiana: Apollo scilicet, quem Evangelista commendat 1. ab Eloquentia; quod Dei donum eximium, haud parum prodest ducendis animis hominum, sive in gubernatione civili, sive ad imbuendum animos hominum vera fide, religione & pietate erga Deum & homines. 2. Quia potens erat in scripturis: hoc est, in scripturarum cognitione & controversijs. 3. In via Domini instructus; scilicet, Christi doctrina, qui ipse est via ad salutem, veritas & vita. Joh. 14:6: Sine qua cognitione, eloquentia & eruditio, nihil ad salutem confert: 4. Commendatur à fervore spiritus, seu à singulari alacritate ac studio spargendi latius Evangelij doctrinam. Quæ requisita singula mirificè exornant Evangelij ministrum; præsertim si adsit diligentia, sicut in hoc Apollo Alexandrino: erat eo tempore schola insignis Alexandriæ, omnis Divinæ ac humanæ sapientiæ, in qua viri docti floruerunt; & supra Act.6:9. ex hac schola progressi fuerunt, qui cum Stephano disputarunt: Ubi suam quoq; eruditionem nactus est, dubio procul, Apollo. Multa tamen eum adhuc ignorasse, Evangelista indicat; ut sciamus Evangelij seu salutis cognitionem, non provenire ex rationis humanæ inventionibus, sed ex revelatione seu informatione ministerij Evangelici. *Sciens*, ait Evangelista, *tantum baptisma Johannis.* Quæritur hic an baptismus Johannis alius fuerit, & doctrina diversa à doctrina Christi? Respondetur; Baptismus, cum sit obsignatio doctrinæ quam docuit, sive Christus, sive Iohannes, & initiatio eorum qui doctrinam recipiunt attendatur ad doctrinam utriusq;, & patebit diversitas ac convenientia. Iohannes, Christus & Apostoli pœnitentiam

tiam prædicarunt, & conversionem ab operibus malis, Iohannes Matt. 3. Marc. 1. Luc. 3. Ioh. 1. & 3:23. & fidem Christi præsentis Ioh. 3: 36. *Qui credit in filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Et Iesus Marc. 1: 14. *Impletum est tempus & appropinquavit regnum Dei: pœnitentiam agite, & credite Evangelio.* Petrus Apostolus Act. 2: 38. *Pœnitentiam agite*, &c. Itaq; quo ad substantiam, una doctrina fidei Christi, unum baptisma & ejusdem fidei signaculum. Differunt autem, quia Iohannes Christum monstrabat revelandum & nunc præsentem; & monuit, ut exhibitum reciperent, & corda præpararent: modum liberationis per mortem, non aperuit, nisi in figura, *Ecce agnus Dei*, &c. Et discipuli licet Iohanni crederent, postea etiam Christo, tamen non nisi post ascensionem Christi, se exsolvere potuerunt, ex Pharisaica opinione de regno mundano. Christus tamen hæc veniens expressè docuit. *Ecce ascendimus Jerosolymam*, &c. Matt. 16: 21. 20: 18. *Sicut Moses exaltavit serpentem*, &c. Ioh. 3: 14. Credidit itaq; Apollo Christum esse filium Dei, mundo exhibitum, in quẽ qui crederet salvaretur: cujus dona essent immensa: credidit esse eundem quem Iohannes monstrabat, sed modum liberationis ignoravit & dona Sp. sancti, ejusq; operationem, conversionem sanctificationem, ac dona illustria, ut patet cap. 19: 2. De his ergo alijsq; fidei mysterijs plenius informabatur ab Aquila & Priscilla.

V. 27. Βουλομένου Ephesum relinquens Apollo, cupit in Achaiam ire ut Ecclesias à Paulo plantatas confirmaret, instigante Deo, ne dux verbi deesset Corinthijs: fratres Ephesini institutum pium viri, sua cõmendatione juvant. Duo itaq;

itaq; fidelis ministri officia studiose Apollo exequitur: 1. fideles confirmat, & pleniorem Christi notitiam ipsis confert. 2. contradicentes Judæos redarguit, & validis rationibus ex scripturis ostendit, Christum esse Messiam promissum. Sic Apollo Ecclesiam Corinthiacam à Paulo plantatam rigavit; 1. Cor. 3: 6.

C A P. XIX.

PArtes capitis tres sunt. In I. Parte agit Evangelista de Iudæis duodecim, initiatis baptismate Iohannis.

V. 27. Εγένετο. Postquam Apollo in Achajam iret, & dum apud Corinthios commoratur; & Paulus ex visitatione Ecclesiarum Asiæ, secundum antea factam promissionem, rediret Ephesum: invenit quosdam discipulos, sine dubio Iudæos, quia à Iohanne baptizati erant. Nusquam enim baptizasse legitur Iohannes nisi in Iudæa.

V. 2. Εἶπε. Quærit, an cum crederent Evangelio & prædicationi Iohannis, etiam Spiritum sanctum acceperint? Negant illi; & an sit Spiritus sanctus, nescire se ostendunt. Accipi id oportere de donis Spiritus sancti illustribus, ex v. 6. sequente manifestum est. Nam habuisse Judæos aliquam de Spiritu sancto notitiam, ex plurimis veteris testamenti scripturis non est dubium: Gen. 1: 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Ps. 33. *Verbo Domini cœli firmati sunt: & spiritu oris ejus omnis exercitus eorum.* Ps. 51. *Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.* Et. Es. 61. *Spiritus Domini super me*, &c. Et Johannes docuit: *Super quem videris Spiritum descendentem: &c. hic est qui baptizat in Spiritu sancto*; quæ doctrina baptizatis à Iohanne non potuit esse incognita.

V. 4. Εἶπε δὲ. Explicat Apostolus, ut dictum est cap. præcedente, baptismum Johannis fuisse baptismum pœnitentiæ & fidei in Christum, quem præsentem denunciat & digito monstrat. Ejus baptismum perfectum fuisse, ad salutem credentium, sine omni exceptione credimus; nisi statuere velimus Christum imperfectè fuisse baptizatum, aut à Iohanne baptizatos, ante susceptionem baptismi Christi decedentes, fuisse damnatos: etiam Christi Apostolos, quorum neminem à Christo rebaptizatum legimus. Affuerunt enim substantialia; aqua, verbum ejus qui misit eum, nomen Christi, pœnitentia, conversio & fides Christi. Unde infert Iohannes verbum promissionis: *qui credit in filium habet vitam æternam.* Ioh. 3: 36.

V: 5. Ἀκούσαντες. Non fuisse aqua baptizatos manibus Pauli, patet, quia non enumerantur inter hos, quos Paulus à se baptizatos fatetur. 1. Cor. 1: 14. Baptizati tamen fuerunt baptismo eo, de quo loquitur Baptista; Matt. 3: 11. *Ipse vos baptizabit in Sp. sancto & igne.* Et Christus, in cœlum ascendens, Act. 1: 5. *Johannes quidem baptizavit aqua: vos autem baptizabimini Sp. sancto, non post multos dies.* Modum verò hujus baptismatis Evangelista explicat v. 6. Paulus scilicet orans, sine dubio etiam promissiones Christi repetit; manus eis imponit: & accipiunt dona quæ antea non habuerunt, linguarum videlicet & prophetiæ, in virtute & nomine Christi. Quæ à Hieronimo in hunc locum dicuntur, Cypriano de baptismo Christi, Chrysostomo exposit, in Matth. cap. 3. de imperfectione baptismi Iohannis, si conferantur ad baptismum Christi: fatemur Iohannis baptismum à Christo habuisse efficaciam, domino scilicet & autore baptismi: neq; enim Iohannes operabatur

con-

conversionem, sed Christus per Spiritum sanctum, sic etiam ablutionẽ peccatorum. Affuit tamen hæc efficacia baptismo Iohannis, sicut hodie baptismo ministrorum Ecclesiæ, per quem Spiritus sanctus efficaciter operatur: cui se & efficaciam hanc verbo alligavit, Matt. 28. *Quicunq; crediderit & baptizatus fuerit, salvabitur.* Contra hanc quoq; sententiam se non velle pugnaciter agere, profitetur Augustinus, de Baptismo cont. Donatistas, l. 5. cap, 10. Et baptismum Iohannis iteratum hic negat. ibidem cap. 12. Ambrosius rectè, de Sp. sanct. l. 1. c. 3. *Johannes in remissionem peccatorum, in advenientis Jesu, non in suo baptizavit nomine.* Et; *Johannes licet non baptizaret in Spiritu, tamen & Christum prædicabat & Spiritum.* Videtur etiam dubitare hoc loco Ambrosius, an verum baptismum acceperint, qui Spiritum ignorabant, quem Iohannes prædicabat.

V. 8. Εἰσελθών. II. Pars cap. de prædicatione & miraculis, factis Ephesi ab Apostolo. Paulus hoc miraculo edito, fidem acquirit majorem suæ prædicationi, apud Iudæos simul & gentes, unde major confidentia in prædicando Evangelio. Factum erat hoc miraculum donationis Sp. sancti, ut Iudæi in Asia fidem facilius reciperent; deinde, ut idololatria Ephesiorum in cultu Dianæ deficeret, & conversis ad fidem Ephesijs, reliqua Asia eorum exemplo ad fidem pertraheretur: disputat verò, veritatem asserens, & contradicentes refellens; veram fidem suadens auditoribus: nam hæc duo in Ecclesiæ ministro, ut præcipua & summa requirit Apostolus, Tit. 1: 9.

V. 9. Ὡς δὲ. Contradicentibus Iudæis incredulis & induratis, ac blasphemantibus; videt id obesse prædicationi, & fidei simplicium conversorum, itaq; assumptis secum

fidelibus, locum mutat. ſicut Corinthi, ſup. cap. 18: 6.& in Schola Tyranni diſputat quotidie, oſtendens per Scripturas doctrinæ ſuæ veritatem. Tyrannum hunc principem Epheſiorum fuiſſe, nõ eſt veriſimile; (id enim dixiſſet Euangeliſta, ſicut etiam cap. 18. principes ſynagogæ nominat:) ſed civem aut inhabitatorem Epheſinum fuiſſe, ex textu liquet, opulentum, qui ſuis ſumptibus Scholam ſuſtentaret: ea item autoritate, ut Paulo docenti aliquam defenſionem præſtaret, ut poſſet toto biennio ibidem in doctrina laborare, ac per univerſum Aſiam Evangelij doctrinam ſpargere, & ab incredulorum tumultu immunis eſſe.

V. 11. Δυνάμεις. Virtutes tantas Deus hîc per manus Apoſtoli operatur, per ſudaria & ſemicinctia res viliſſimas, ut rariſſimè talia contigiſſe hiſtoria ſacra indicet; certo Sp. ſancti conſilio ita factum eſt, propter innumeram convertendorum multitudinem, Epheſi & in Aſia. Mulier ſanguinis fluxu liberatur tactu veſtimentorum Chriſti. Matt. 9. Et. Act. 5: 11. ex umbra Petri tranſeuntis ægri ſanabantur. Hoc eſt quod Chriſtus promiſit, Ioh. 14: 12. majora hiſce faciet.

V. 13. Ἐπεχείρησαν. Alia ſuccedit narratio, de his quæ Epheſi geſta ſunt, dum hic commoratur Paulus; ſimilis ei quæ ſupra de Simone Mago Samaritano extat, cap. 8. Iudæi exorciſtæ ſuperſtitioſi quæſtus cauſa profitentur artem ejiciendi dæmonia; vident Paulum magna virtute ejicere Dæmonia in nomine Chriſti: ipſi putant melius ſuccedere, ſi in eodem nomine id attentent. Quia verò ſine fide ex hypocriſi hæc faciunt, id intelligens diabolus, in eos irruit & impoſtores malè mulctat. Narrat Ioſephus

lib.

lib. 8. antiquit. c. 2. quendam Eleazarum Judæum ejecisse Dæmonia in conspectu Vespasiani & tribunorum : ex arte quam scripsisse tradunt Salomonem : sed quia scriptura sacra de hac Salomonis traditione tacet, intelligimus esse imposturam instinctu diaboli inventam ; ad eludenda divina miracula, ut ea dubia faciat, sicut in Ægypto ; Exo. 7. Magis æmulantibus miracula Mosis. Auget miraculum confessio diaboli, qui cum cupiat semper Evangelij fidem dubiam reddere ; hic Christi virtutem & Apostoli præsentiam reformidans, fraudem detegere compellitur : cum maluisset exorcistæ cedere, & incredulos in superstitione erroris confirmare ; quod etiam cupiebat supra Simon magus. Mirum est verò etiam summi Pontificis filios, eo impietatis fuisse perductos, ut hæc impia probarent, & à lege Divina recederent, talia prohibente. Lev. 20: 6. & 26. Unde intelligimus quãta fuerit corruptio in gente Iudaica:& præterea quanta vanitas, miracula velle facere sine mandato & autoritate Divina. Sic quod diabolus intendit ad impediendam voluntatem Divinam & cursum Evangelij, vertente Deo cedit credentibus ad fidei confirmationem.

V. 17. Τοῦτο δὲ. Nam postquam hæc diaboli & impostorum confusio innotuit Ephesi, & in Asia, represso scilicet Diabolo virtute Divina, jam relicta superstitione, dant gloriam Deo, Christi virtutem magnificantes, in cujus nomine hæc fiebant. Effecta insignia commemorat Evangelista. 1. Timor Dei cecidit super omnes viso miraculo, nihil cooperante Apostolo, nisi forte precibus ad Deum. 2. pluris fecerunt nomen Christi quam antea. 3. confessio peccati coram Apostolis. 4. Ad uberiorem pœnitentiæ declarationem, libros magicos maximi precij in ignem

conjecerunt, in conspectu Ecclesiæ. 5. Sequebatur Evangelicæ doctrinæ & Ecclesiæ incrementum insigne. 6. Confirmabatur doctrina & fides Evangelij Christi, in animis credentium.

V. 21. Ὡς δὲ. III. Pars cap. de tumultu excitato Ephesi, propter Dianæ cultum; quem intilligunt simul cum Christiana religione consistere non posse. Ante seditionem hanc Ephesinam, propositum Apostoli Evangelista describit, studiumq; propagandæ fidei Christianæ: cui sicut superius Asiæ Ecclesias invisit, ita nunc in Macedonia &Græcia conversosChristianos visitare,& confirmare constituit; postea Ierosolymam ire ad fratres Apostolos, & dein Romam; cui, Sp. sancti instinctu, novit Deum gratiam conversionis impertiri velle. Et quia Apostolum cura Ecclesiæ Ephesinæ ulterius detinuit, ne quid hæc mora Ecclesijs Græciæ obesset, præmisit discipulos Timotheum & Erastum, ut Ecclesias confirmarent; forte etiam ut eleemosynam colligerent, in subsidium afflictorum Hierosolymis, ut quibusdam videtur. Scripta est verò Epist. utraq; ad Corinthios non ex Epheso, sede ex Philippis; & Epist. Philippensium, Romæ scriptam, indicat subscriptio: unde hæc sententia posterior dubia redditur.

V. 23. Ἐγένετο. His ita præmissis, tumultum ipsum describit; exitatum adversus viam hanc, id est, religionem Christianam. Seditionis princeps erat Demetrius, qui ex argento fecit ædes parvas Dianæ, & in his, sine dubio, Dianæ imaginem, in formam templi Ephesini quibus usi sunt in Asia superstitiosi, ut domi liceret Dianam, sicut, Ephesi adorare & colere. Dicta fuit πολύμαστος, ex mammarum multitudine, quæ omnia viventia nutrire putabatur.

tur. Demetrius itaq; convocata multitudine opificum, 1. conqueritur ex doctrina Pauli, ſuadentis, non habendos pro dijs, qui manibus hominum fiunt, ceſſare lucrum quod percipiunt, ex hoc opificio & Deæ cultu, 2. non ſolum Epheſi ſed in tota Aſia. 3. Nec ſolum res eſt de hoc eorum lucro; ſed periclitabitur quoq; religio, & Dea quam tanti ſemper fecerunt ipſi; coluerunt Reges ac populi: & quæ tanto tempore duravit, perq; totum orbem religio ſparſa, cum templo celeberrimo, tantis ſumptibus extructo, in nihilum recidet, cum omnium colentium confuſione.

V. 28. Ἀκούσαντες. Effectus hujus orationis fuit: multitudo, audita quæſtus imminutione, cum veteris religionis abolitione, quæ & tot hominum ſuffragijs extructa & ſuffulta, tantoq; tempore celebrata fuit; velut furijs acta, in locum publicum effunditur, concitatura cæteros urbis incolas, ut in autores novæ religionis inquirant; jiſq; ſublatis antiquum cultum, & Deæ honorem priſtinæ dignitati reſtituant. Clamant & voce ingenti theatrum reſonat: Magna Diana Epheſiorum: ut eſt, omnium confeſſione abſurdum & impium eſt, templum & Deam Epheſiorum tantæ venerationis, debere impiorũ hominum prophanitate concidere, aut vim pati; & hæc impietas diro ſuplicio vindicanda eſt. Itaq; obvios agnitosq; ex habitu Macedonico, comites Pauli, rapiunt & producunt multitudini, ut in hos furibunda ſæviat. Diaboli inſtinctu hæc facta eſſe non eſt dubium, ut Paulum & ſocios opprimeret, ijsq; ſublatis Epheſi & in Aſia Evangelij lucem extingueret, omnesq; ad veterem idolorum ſervitutem revocaret.

V. 30. Τοῦ δὲ Παύλου. Paulus, ne ſocios deſeruiſſe videatur; aut quia ſperet ſe poſſe ſedare tumultum exortum, &

excu-

excusatione uti, sicut infra Ierosolymis, cap. 22. tumultuantium multitudinem ingredi cupiens, prohibetur ab amicis, in quibus etiam principes Asiæ, videntes Paulum sine vitæ periculo id non posse facere, ut abstineat rogant. Erant igitur & illi ad fidem conversi; neq; enim aliunde potuit esse hæc amicitia.

V. 32. Ἄλλοι. Mira temeritas tumultuantium, cum alij alia vociferentur, nec quid quisq; dicat audiatur: deinde quam prona sit ad tumultus, multitudo promiscua; ut caussam concursus ignorantes, tamen interesse gestiant, rerum novarum studio, vel quia jugo assueta multitudo, & disciplinæ impatiens, jam numero potens facta, liberare se cupiat, & injurias quas sibi illatas putet, ulcisci.

V. 33. Ἐκ δὲ τοῦ. Alexander hic qui sit non exprimitur, nisi quod Iudæus natione fuerit, quem protrudunt Iudæi, hominem scilicet Pauli sectatorem, ut eum periculo obijciant: ipse apologiam parans à populo reijcitur, cum ipsum Iudæum esse intelligunt, Ethnicæ profanitatis osorem. Putant enim eum parum utilia allaturum, in honorem Dianæ, sed potius honori hujus numinis contraria: itaq; diuturno clamore priores voces repetunt, metuentes si loquatur Alexander, ne plures adhuc avertat, augeaturq; factio Christianorum.

V. 35. Καταστείλας. Scribam hunc, à Romanis fuisse proconsuli adjunctum in gubernatione Asiæ aut Ephesi, ex v. 38 apparet, quia ad proconsules provocat: oratio insuper artificiosa & civilis, ostendit fuisse eum virum oratorem & doctum. Autoritatem arguit silentium, quod ipse obtinuit à multitudine furibunda ac tumltuante. Scribæ vox, non amanuensem, aut exiguæ autoritatis hominem

nem notat, in sacris literis, sed legis peritum, & scripturarum doctorem. Esra scriba dicitur expeditus in lege Mosis. Esr. 1. cap. 7:6. homo magnæ autoritatis apud Regem Persarum. Et 2. Sam. 20:24. Seia scriba inter principes Davidis recensetur. Matt. 7:29. *Erat docens ut potestatem habens, non ut Scribæ & pharisæi.* Matt. 23. dicuntur sedere in cathedra Mosis. Artificium hujus Scribæ describitur: 1. Concedit populo id de quo tumultuatur, Dianam coli ab Ephesijs, natam Iovis; nihil esse quod de his tantos motus excitent, de quibus nulla est controversia. Ipsam verò concursus hujus causam, litemq; studiosè occultat; videlicet, prædicatione Pauli imminui quæstum artificum, & majestatem Deæ Ephesinæ. Deinde temeritatem eorum obliq; taxat, qui motus hosce cierint, nulla necessitate moti; dum Dianæ cultui nemo contradicit, nec cujusquam sit ea potestas, ut cultum destruat, quem universi Ephesij sectantur. 3. Gajum & Aristarchum excusat, quia nihil egerint Ephesinæ religioni adversum; primò cum non sint sacrilegi, aut bonorum sacrorum raptores; deniq;, neq; in Deam blasphemi. Non enim est dubium abstinuisse eos studiosissime à contumelia tali, ne auditores offenderent, putantes plantatâ Ecclesiâ Christianâ, facile per se collapsurum idolorum cultum, quod Demetrius intelligens conqueritur; Scriba verò non attingit, sed hæret in illis quibus multitudo non offenditur.

V. 38. Εἰ μὲν οὖν. 4. Ostendit processum hunc, per tumultum quicquam obtinendi, non esse legitimum: oportere autem eos in legitimo judicio experiri, in foro, aut coram proconsule, si videbantur injuria affecti.

V. 39. Εἰ δέ τι. 5. Si qua causa sit majoris ponderis, ad

totam rempub. spectans, & ordinaria judicia excedens: jam ordine legibus permisso, per urbis magistratus convocanda erat concio, exponendum negocium coram populo, accipienda suffragia more solito.

V. 40. Καὶ γδ. 6. Periculum exponit hujus seditionis, ex offensione summi magistratus: qui sine dubio inquiret in seditionis autores & causas. Nulla verò causa sufficiens dari potest, aut ratio reddi hujus seditionis periculosæ; quæ autores concursus satis excusare possit. Sic postquam hac sua ad populum oratione, tumultum sedasset, concionem dimisit. Videtur in hoc scriba studium fuisse, liberandi Paulum & comites, ab injuria furentis plebis: nec quicquam asserit in præjudicium Christianæ fidei, nisi quod dicat Ephesios colere Dianam, quod etiam verum est.

CAP. XX.

POsterius membrum secundæ partis in historia Apostolica, complectitur iter Apostoli per maritima Asiæ & Syriæ Jerosolymam; cum captivitate & deductione Romã, ut sistatur Cæsari. Prima pars hujus cap. describit iter Apostoli, ac visitationem Ecclesiarum Macedoniæ & Græciæ, cum miraculo facto Troade: In secunda cap. parte describitur notabilis exhortatio Apostoli ad presbyteros Ephesinos, & omnes Ecclesiæ ministros.

V. 1. Μετὰ δὲ. Paulus non fugit durante seditione, ne fratres una cum religione deseruisse videretur; voluit autem se potius manifesto vitæ periculo committere, secum statuens, mori melius sibi esse, quam fratres fidemq; deserere; quod videtur attingere in Epist. 2. Cor. 9: 8. Et 1. Cor. 15: 32. se cum bestijs Ephesi pugnasse conqueritur.

His

His tantis malis ereptus ipse, paceq; data Ecclesiæ, ad visitandas Macedoniæ Ecclesias animum adjicit. Ephesinos itaq; fideles convocatos exhortatur, ut in fide constantes permaneant, nec afflictionibus terreantur, sed in Deum sperantes, considerent quomodo eos ex præsenti seditione Deus eripuerit, quæ minabatur omnium interitum. Sic valedicens & omnia prospera precatus fratribus, abit in Macedoniam. Breviter hanc visitationem Evangelista perstringit, in qua sine dubio multum laboris, multum periculi Apostolus pertulit; quod totum exhortationis voce complectitur historicus, properans ad res Græciæ.

V. 3. ποιήσας. Struunt ei insidias Iudæi navigaturo, ut nautarum perfidia oppressus, sive piratis immissis trucidatus in mari pereat, atq; una cum ipso Christiana religio. Quod cum explorarent fratres fideles, Paulus cognitis insidijs consilium mutat, & per Macedoniam capit iter: & quia res erat Apostolo cum Ecclesijs diversarum nationum, ideo ex diversis populis socios peregrinationis assumit, notos eos & fideles, quorum etiam fit mentio in Epistolis.

V. 5. οὗτοι. Hos assumptos præmisit ad Ecclesias, horum item opera utebatur in exhortatione & ministerio, examine rudiorum, confutatione errorum, rituum ordinatione, & similibus. Troas civitas est maritima minoris Asiæ, Philippis Macedoniæ opposita; unde expectabatur navigio advectus Apostolus. Dies Azymorum Paschatis festum fuisse intelligimus, quod in pane non fermentato celebrabatur juxta legem. Moram ab Apostolo factam in civitatibus, Ecclesiarum cura flagitabat; multa erat exhortatio, multa disputatio sæpe in mediam usq; noctem,

ut v. 7. multa inquisitio in vitam, doctrinam & mores, non ministrorum solum, sed etiam auditorum, aliaq; plurima, ad felicem Evangelij successum & Ecclesiarum statum pertinentia.

V. 7. Ἐν δὲ τῇ μιᾷ. Alterum membrum hujus primæ partis, tria complectitur; prædicationem Pauli, miraculum & iter per maritima Asiæ, usq; Miletum. Μία σαββάτων non videtur fuisse dies Sabbathi sed dies Solis, à Christianis dies Dominicus, aut resurrectionis Dominicæ dictus; sic enim accipitur hæc loquutio, Matt. 28: 1. Et Mar. 16: 2. *cum transisset Sabbathum.* Et v. 2. *Et valde mane una Sabbathorum.* hoc est transacto Sabbatho, prima Sabbathorum sequentium. Sic Luc. 24: 1. Joh. 20: 1 Sic Apostolorum tempore paulatim desijt celebratio Sabbathi; & successit dies resurrectionis Christi, quæ hodie loco Sabbathi, ab omnibus Christianis celebratur. Convenerunt ad frangendum panem, qua loquutione usitatè denotatur convictus fidelium in primitiva Ecclesia, sup. c. 2: 46. 4: 32. & cap. 6. Quæ consuetudo etiam ad Troada usq; pertigit. Hac enim occasione ante sumptionem cibi, de fide & scripturarum sensu, deq; officio Christi informabantur, sicut hic factum esse videmus: cœna etiam sacra celebrabatur vel ante, vel post sumptionem cibi, exemplo Christi, & sæpe nocturno tempore, unde cœna dicta fuit. Hæc fuerunt Christianorum convivia, hi conventus; nam post Sermonem habitum, & peracto miraculo, cibum demum cepit Apostolus, v. 11. Erant lampades, propter tenebras nocturnas, copiosæ, honoris nō superstitionis causa. Læti enim Christiani ob præsentiam Apostoli; nullis parcunt sumptibus.

V. 9.

V. 9. Καθήμενος. Gravatur adolescens somno, juvenili incuria minus attentus orationi Apostoli, & propensione hujus ætatis ad somnum, cadit ex loco edito, & moritur.

V. 10. Καταβὰς. Incubuit super eum Apostolus, exemplo Eliæ 3. Reg. 17:20. & Elisæi 4. Reg. 4:34. Sine dubio, ut ostenderet se ejusdem domini servum, & in eadem potestate miracula facere, ad ejusdem doctrinæ cultusq; confirmationem: ita lætitia ex resuscitato mortuo afficitur cœtus fidelium; quem hoc tristi & infelici casu turbare, Satan intendit.

V. 11. Gustasse dicitur Apostolus, id est; ex splendida in ejus honorem præparatâ cœnâ, paullum decerpit, frugalitatem & temperantiam exemplo suo insinuans fidelibus. Hæc erat veterum in cibo capiendo laudabilis & naturæ amica sobrietas: Plinius in initio operis, Plinij parentis sui interitum, ad Vesuvium montem, describens, eadem voce utitur, *gustaverat*, inquit, *iacens*.

V. 13. Ἡμεῖς δὲ. Nunc quæ loca pertransierit breviter perstringit, Ephesum enim præter vectus appulit ad Miletum: ne Ephesum ingressus, tardaretur ab itinere sibi proposito, quia cum constituisset festum Pentecostes Ierosolymis agere, plures autem Ecclesiæ visitandæ fuerunt in itinere, itaq; properat Apostolus.

V. 17. Ἀπὸ δὲ. II. Pars Cap. Exhortatio ad ministros Ephesinos, seria ea & Spiritu plena; qua monet ut attente officium prædicationis agant, pericula considerantes, verbo Divino inhæreant, & exemplo Apostoli assiduitatem in officio cum patientia adhibeant. Evocat Miletum presbyteros presbyteri, Græca voce seniores sunt, ab ætate qua erant provectiore. Ecclesiæ verò Ephesinæ ministros

 fuis-

fuisse, quos hic evocat, patet ex sequentibus, quia doctrinæ munus ipsis commendat, & curam Ecclesiæ, rogatq; ut ab erroribus immunem Ecclesiam præstent.

V. 14. ὡς δὲ. Exhortatio sequitur, habens narrationem, propositionem, confirmationem & conclusionem. Gravis est admodum & bene consideranda hæc exhortatio, omnib⁹ Ecclesiæ ministris; estq; fidelitatis, diligentiæ, petientiæ, constantiæ, integritatis, innocentiæ insigne exemplum, in quo lucet etiã singularis ardor fidei. ὑμεῖς ἐπίστασθε, ad eorum conscientiam provocat, docens se narraturum ea quæ ipsis probe sunt cognita, & qualis sit ejus conversatio, toto illo tempore, quo cum illis fuerit conversatus in Asia. 1. Qualis erga Deum fides & devotio, in humilitate, agnoscens scilicet Dei actiones & judicia recta esse, & se ejus voluntati subjiciens, cum lachrymis & pietatis affectu insigni, ac patientia in periculis & tentationibus: de quibus multum conqueritur 2 Cor. 12.

V. 20. ὡς οὐδὲν. 2. Fidelitatem in docendo depredicat & diligentiam; non solum in his quæ necessaria sunt ad salutem, sed etiam utilia inculcando, in moribus, conversatione, cæremonijs & vita communi, secundum pietatem agenda, Christianis inter se & cum gentilibus; idq; in Synagoga publice, & domi singulos, ministros præcipue quantum fieri potuit, informans, eis mysteria Christianæ fidei aperuit. 3. Capita doctrinæ Apostolicæ quæ fuerint narrat: videlicet, ut pœnitentiam agant peccatorum, & vitæ prioris; ac ad Christum conversi fidem Evangelij recipiant; hæc enim est doctrinæ Christianæ summa.

V. 22. Καὶ νῦν. Altera pars narrationis, in qua relictis illis præteritis, præsentia ipsisq; incognita narrat; ac de futuris

ris vaticinatur. Et 1. docet Deo sic volente, se spiritu alligatum; hoc est, inpulsu Sp. sancti compelli, ut eat Ierosolymam; nec posse se bona cum conscientia refragari. 2. difficultatem itineris hujus, & tentationes quibus coarctatur exponit: nam quis sit hujus afflictionis exitus futurus, ipse quidem ignorat, idq; in manu Dei per spem firmam reponit; hoc tamen se ex Sp. sancti revelatione scire ostendit, vincula & afflictiones sibi imminere, idq; sibi sæpius inculcari, diversis in locis, sive per visiones, sive ex aliorum prædictionibus; sicut inf. cap. 21: 4. & v. 11. Agabus Paulo captivitatem & vincula prædicit.

V 24. Ἀλλ᾽ οὐδενὸς 3. Quomodo circa hæc pericula affectus sit animo, brevibus declarat. Vocationem suam, & finem sibi propositum unicè respicit, consummandi scilicet ministerium sibi commissum, & cursum à Deo propositum, in cujus arbitrio & dispositione terminus curriculi ac laborum, & insuper etiam vitæ nostræ consistit: qui etiam potens est nos ad finem constitutum feliciter perducere, etiam per media pericula, quod ipse sæpius expertus est. Itaq; temporalia hæc negligens, *ad bravium supernæ vocationis se extendit*: Phil. 3: 14. quod se etiam obtinuisse gloriatur; cum ad condemnationem mortis usq;, hanc fidem retinuit. 2. Tim. 4.

V. 25. Καὶ νῦν. 4. Amplius vaticinatur, se in posterum nunquam rediturum Ephesum, aut per ea loca Asiæ aut Græciæ, in quibus Evangelium prædicaverat: Et hoc, ut affectus moveat auditorum, quos novit ex hoc sermone valde affici, propter amorem maximum quo eum complectuntur; ut patet infra v. 37. Facit hoc ad majorem attentionem auditorum, sciantq; seriò ipsis hæc dicta esse, quia

salu-

salutem eorum æternam concernunt, & auditorum, qui ipsorum fidei commissi sunt.

V. 26. Διό. 5. Gravissima contestatione narrationem claudit; ostendens eos, si vel ipsi deficiant, aut aberrent, sive auditores negligentia sua in errores ac deceptionem labi permittant; non posse eos ullam sui erroris aut interitus causam in Apostolum rejicere. Rationem addit, ex diuturna & diligenti informatione, ut sup. v. 20. & fideli, quod omne consilium Dei, salutem hominum concernens, ipsis aperuerit. Aliâs *inscrutabilia sunt judicia Dei*; ait idem Apostolus, Rom. 11: 33. verum quæ ad salutem necessaria sunt, omnia sunt manifestata, Apostolica prædicatione & scripturis sacris: ut non sit necesse occulta consilia Dei, de salute hominum, cum Calvinistis scrutari; nec traditiones novas Romanorum Pontificum, ad scripturarum complementum quærere.

V. 28. Προσέχετε. Propositio exhortationis, cui mox subjicit causas & argumenta exhortationis. Attentionē exigit & sollicitam curam, qua tenentur, ex officio quod sustinent, vitæ & fidei suæ accuratam rationem habere: deinde commissi quoq; gregis, sicut vigiles, aut pastores pecudum, quibus animarum pastores Sp. sanctus assimilat: Ezech. 33: 1. 1. Pet. 5: 2. Consistit hæc eorum cura in doctrina, admonitione, exhortatione, sacramentorum administratione, & conservatione in recto usu; refutatione errorum: neq; in his solum, sed etiam in gubernatione, correptione, castigatione. Ποιμαίνειν enim non solum pascere significat, sed etiam regere. Apoc. 12: 5. Ποιμαίνει πάντα τὰ ἔθνη ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ. *reget omnes gentes in virga ferrea.* ibidem cap. 19: 15: Dicuntur προϊστάμενοι; *qui præsunt vobis*

bus in Domino, 1. Thess. 5: 12. Ἐπισκοποῦντες, 1. Pet. 5: 2. Zach. 3: 7. datur Iosuæ pontifici potestas *gubernandi domum Domini, & custodiendi atria ejus.* Gubernatio illa, non consistit in gladio & potestate externa; sed in ordinatione sacrorum & ministerij Ecclesiastici inspectione in vitam & mores fidelium; doctrina, castigatione, refutatione errorum, ut supra dictum est. 1. Argumentum ducit ab autore Sp. sancto & domino; qui eos ministros constituit, & eis hanc οἰκονομίαν concredidit; non itaq; autoritatem habent à potestate civili; nam sicut dicitur, *Per me Reges regnant*; Prov. 8: 15. ita hic Sp. sanctus constituit Episcopos. Media etiam quibus utitur Sp. sanctus in constituendis Episcopis, exprimit Apostolus, 1. Tim. 4:14. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii:* Et 2. Tim. 1: 6. 2. Arg. à precio insigni, quo Deus hanc Ecclesiam acquisivit, scilicet *Dei sanguine:* non fuit sanguis nudi hominis, sed etiam Dei sanguis, cui Christus homo unitus erat, in unitate personæ; unde fuit infiniti precii, propter infinitum personæ majestatem. Itaq; potuit æquare & superare peccati noxam, quo infinita Dei majestas læsa erat, & excitata ira, creaturæ finitæ intolerabilis. Explicat hunc locum Paulus, Rom. 5: 12. & seq. Heb. 7: 26. Pet. 1. Ep. 1: 18. 1. Joh. 1: 7.

V. 29. Ἐγὼ γὰρ. 3. Arg. ducit à periculo imminente ab hæreticis, à quibus nisi caveant Ecclesiæ ministri, exponetur ecclesia eorum deceptioni & avaritiæ. Prædicit hoc futurum; Scio, inquit: deinde ab immoderata cupiditate & avaritia eos describit; sicut lupi ut expleant nocendi cupiditatem; non contenti saturari ex sanguine gregis, sed

dilacerant omnes, & enecant: sic pseudodoctores, non misericordia afficiuntur, sed veneno impiæ doctrinæ omnes inficiunt, ut eorum bonis fruantur & cupiditatem expleant. *Sunt enim*, ait Apostolus, *multi inobedientes, vaniloqui & seductores, maximè qui ex circumcisione*. Tit. 1: 10. Cum his plurimum fuit negocij Apostolis, ut patet sup. cap. 15. & in Epist. Gal.

V. 30. Καὶ ἐξ. Deinde etiam ex ipsa fidelium societate pseudodoctores exsurgent, vel ambitione moti vel piorum doctorum æmulatione, vel etiam cupiditate rerum temporalium, Philip. 1: 15. 2: 21. *omnes quæ sua sunt quærunt.* Et cap. 3: 18. *Quorum Deus venter*, &c. Et non fuit patribus primitivæ Ecclesiæ, adversus gentes defendendi fidem difficultas tanta, quantam peperit Iudæorum perfidia, & hæreticorum; quorum pleriq;, cum essent professione Christiani, tamen à synceritate fidei, secessione facta, defecerunt. Multum autem officit Christianæ fidei, quod nulla sit hæresis tam impia vel absurda, quin fidem faciat quibusdam, & suæ opinionis sectatores inveniat.

V. 31. Διὸ. 4. Repetit exhortationem, ad attentionem & curam in officio; & novam rationem addit, ab exemplo suo; docens quanto studio, quam serio, quanto cum affectu ipsos docuerit, non solum universos, sed singulos & unumquemq;. Huc conferantur quæ supra dicta sunt v. 20. & 27.

V. 32. Καὶ τανῦν. Concludit cum occupatione & voto: novit Apostolus eos valde affici ex eo, quod non sit iterum reversurus; itaq; si quærant, quis inposterum eos informabit; quem consulent in gravioribus fidei quæstionibus; Respondet; Deus ipsos & corda sensusq; eorum illumina-

bit

bit & reget, gratia Sp. ſancti, qui datus eſt fidelibus, juxta promiſſionem Chriſti, Joh. 14:16. *Alium paracletum dabo vobis, & manebit vobiſcum in æternum.* Deinde verbum Evangelij, (quod eſt verbum de gratia data nobis in Chriſto) erudiet nos & definiet nobis quæſtiones & negocia fidei. Huic eos commendat & Divinam benedictionem precatur: ſignificans orandum eſſe Deum, & ſcripturis diligenter incumbendum, unde expectanda eſt ſapientia in rebus fidei. Mirum eſt ergo, quod non remiſerit eos ad Romanum Pontificem, univerſalem orbis Epiſcopum, qui habet omnem ſapientiam reconditam in pectore: ſed fortaſſe non venit Paulo in mentem, Romana cathedra. Neq; à ſola potentia Divina ipſis hîc conſolationem præbet, ſed ad promiſſiones reſpicit, itaq; ex fide loquitur: ſicut de Abrahamo, Rom. 4:20. Deinde objectioni de infirmitate occurrit: Si infirmitas noſtra conſcientiæ terroribus, furori diaboli, mundi, tyrannorum, & hæreticorum, reſiſtere non valet; Deus potens eſt, & augere poteſt ſcientiam noſtram, robur animis addere, tyrannos reprimere, Eccleſiam defendere, pios in fide ſervare, uſq; ad finem, & æterna beatitudine donare, juxta datas in Evangelio promiſſiones.

V. 33. Ἀργυρίου. Nova argumenta concluſioni inſerit; ab exemplo ſuo: 1. fideles Eccleſiæ miniſtri, plus laboris & curæ ſuſcipiant, de auditorum ſuorum ſalute, quam de acquiſitione poſſeſſionum temporalium; exemplo Pauli, qui poſſeſſionibus eorum non inhiabat, ſicut pſeudoapoſtoli. 2. Cor. 11:20. ſed alienum ſe ſervavit à tali cupiditate. Deinde indigentiam ſuam & ſociorum, ſupplevit manuum labore; ſup. c. 18:3. 1. Cor. 4:12. 2. Theſſ. 2:9. Inter-

terdum ab Ecclesijs subsidium accepit, ad ministerium aliorum. 2. Cor 11: 8. quod Macedones tribuebant, in Corinthios insumpsit: à Philippensibus, cum esset Romæ. Phil. 4: 18. donaria accepit.

V. 35. Πάντα. 3. Finem indicat cur hæc fecerit; videlicet, ne auditores, sumptibus ignotorum hominum prædicantium Evangelium, gravati, prædicationem ipsam rejicerent; non his asueti, neq; satis informati. Deinde ut ministri cæteri Apostolorum discipuli, præceptorum suorum, exempla, necessitate id exigente, imitarentur. Non igitur ex hoc exemplo inferre licet, ministros Evangelij semper ex proprijs bonis, aut ex manuum laboribus vivere oportere, ut volunt Valdenses & Anabaptistæ. Nam & Paulus ipse 1. Cor 9. expresse satis jus suum, & ministrorum Ecclesiæ urget: deinde ab Ecclesia plantanda, ad constitutam, & de jure ministrorum sufficienter informatam, non procedit ratiocinatio. *Dignus est enim operarius mercede sua*, ex statuto Christi, Matt. 10. Et Philippensium dona vocat *hostiam placentem acceptam, Deo.* Phil 4: 18. Vult autem ministros potius de jure suo aliquid remittere, quã rigidè exigendo & jus suum urgendo, infirmos offendere, & cursum Evangelij impedire: habita ratione temporis & circumstantiarum.

V. 36. Καὶ ταῦτα. Orat Paulus commendans eos & Ecclesiam protectioni Divinæ; illi ipsum vicissim, ex pio affectu: quod est mutui amoris signum, laudabile in doctore & auditoribus, quem postea pio affectu erga discedentem declararunt.

V. 37. Ἱκανὸς. Effectus hujus exhortationis sequitur: ministri Ephesij signo synceri amoris erga Apostolum edito,

to, ostendunt, se libenter facturos omnia secundum præscriptum ejus; nihilq; optasse magis, quam ut liceat ejus disciplina ac informatione regi, ad communem omnium salutem & Dei gloriam.

CAP. XXI.

Continuat Evangelista in hoc capite iter Apostoli euntis Ierosolymam. In I. Parte capitis recenset loca Syriæ per quæ transijt Apostolus, usq; Ierosolymam, usq; ad versum 17. Κῶ. Coos sive cos, & Coum, insula est circa extremum Asiæ promontorium versus Gnidum, Rhodo vicina: unde litora legentibus, succedit Patara Lysiæ; hinc per mare Syriacum tendentes, ab occidua parte præter navigantes Cyprum, Tyrum perveniunt, sitam in Phœnicia Syriæ. Nulla est Apostolo in his locis mora properanti Jerosolymam, sive quia nulli erant ad Christi fidem conversi, à quibus tardaretur; nec, ut antea, studium erat Apostolo novas Ecclesias plantandi, propter festinationem, ut supra dictum est, cap. 20: 16. Fit tamen apud Tyrios aliquot dierum mora, propter inventos fideles in urbe, ubi & quies dabatur ab itinere, & occasio confirmadi eos in fide: forte etiam expectanda erat navigationis aliqua commoditas. Notandum est autem, ex discipulis quosdam habuisse donum prædicendi futura, significantes Apostolo afflictiones imminentes Ierosolymis, per Sp. sancti revelationem: Carnaliter tamen suadent, ut hæc pericula declinet, sicut infra v. 12. Cesareæ; & Petrus Christo suasit eadem, Matt. 16: 23.

V. 5. Ὅτε δὲ. His scilicet septem diebus expletis discedunt; Paulus enim prædictionibus hisce & fratrum suasio-

nibus non movetur, nec cessat ab itinere. Non est verò dubium, his revelationibus voluisse Deum præmonere Apostolum, ne insperata & non prævisa perturbatione de auxilio Dei desperaret, & fidei detrimentum pateretur in tanta afflictionum vehementia: & ut elucesceret constantia Apostoli, in exequendis mandatis Divinis, ad imitationem Christi, & exemplum fidelium. Describitur insuper pietas, & caritatis affectus singularis fratrum Christianorum in Paulum, qui non soli, sed assumptis uxoribus & liberis ipsum deducunt, simul declarantes synceritatem fidei, quam student etiam filijs & posteritati tradere: ostendentes quantopere diligant prædicatores Evangelij; juxta illud Esa. 52: 7. *Quam speciosi pedes annunciantium pacem.* &c. Et sic in genua procidentes orāt, & exoptant Apostolo iter prosperum, & successum in prædicatione, ipse his vicissim pacem & fidei incrementum; sicut sup cap. 20: 36. Sic mutua salutatione peracta discedunt Ptolemaida, Galileæ oppidum, inde Cæsaream quæ dicebatur Stratonis, ab Herode magnifice exornata, maritima, distante à Ierosolyma milliaria octo, in qua conversus fuit Cornelius centurio; sup. cap. 10. antea Apollonia dicta. Plin. l. 5. Alia fuit Cæsarea Philippi, ad fontes Iordanis in Galilæa, antea Lais dicta. Iud. 18. Habitabat hîc Philipus Evangelista, prædicator & minister Evangelij, ex numero diaconorum, sup. cap. 6: 5. & 8. cap. Prædicabat fidem Samaritanis, & Eunucho Æthiopi. Nominantur post Apostolos, Prophetæ, postea Evangelistæ, Eph. 4: 11. qui 1. Cor. 12: 28. dicuntur doctores. Quia uno in loco residentes diu Ecclesias informarunt: sicut Timotheus Ephesi; unde & ipse 2. Tim. 4: 5. dicitur Evangelista. Mediocris fuisse conditionis Philip-

pum

pum ex eo constat, quod paulum cum omni comitatu potuerit hospitio excipere, & quatvor filias domi alere, sine dubio etiam uxorem, cum familia necessaria. Filiæ Philippi prophetiæ dono ornatæ erant, & sine dubio in primitiva Ecclesia aliæ virgines plurimæ, juxta illud Ioelis quod adducit Petrus Act. 2: 17. ad decus status virginalis, in quibus præ cæteris lucet virgo Maria, flos viginum, insigni Dei gratia radians: ut pateat virginum statum Deo placere, cum olim valde fuerit abjectum & triste, sine liberis discedere; ut patet ex luctu filiæ Iephtæ, Iud. 11. & ex matre Samuelis. 1. Sam. 1: 9. Ex Elizabethæ & amicorum gaudio, in nativitate Iohannis. Luc. 1: 58.

V. 10. ἐπιμενόντων. Prædicitur ab Agabo iterum captivitas Apostoli; addit autem Propheta superioribus vaticinijs, Paulum tradendum in manus gentium, ut intelligat Apostolus cuncta fieri secundum dispositionem Divinam. Hujus Agabi mentio fit sup. cap. 11. Ceremoniam propheta addit ligando manus & pedes, ut certiorem Paulum faciat, idque juxta consuetudinem veterum Prophetarum.

V. 12. Ὡς δὲ. Fratres fideles ex pio affectu, hic sicut antea, iterum hortantur Apostolum, sine dubio rationibus adhibitis, cum non satis constet quo fine Sp. sanctus talia prædicat: si ideo hæc denunciat, ut admonitus Apostolus periculum declinet, temerarius ipse foret, se manifesto periculo objiciens; quem movere debeant fratrum consilia, preces, lachrymæ, Ecclesiarum salus & necessaria cura, plurimorum conversio, &c. Paulus vero de voluntate Dei certior, constans permanet in proposito, & 1. docet se importuno eorum affectu lachrymis magis affligi, quam juvari, aucto magis hisce ejus dolore. Deinde nititur verbo reve-

revelato, prædicente tantum vincula & traditionem in manus gentium; non etiam mortem. Tertio, oſtendit ſe patienter & cum conſcientia bona hæc perferre poſſe, quia fiunt ad Dei gloriam: ut pateat Iudæis & gentibus, rectam eſſe fidem Apoſtoli, pro qua tam gravia pati ſuſtinet; & quia frates ejus conſtantia confirmantur. Forte etiam Dei conſilium eſt, ipſum hac via longius ad gentes mittere, quod etiam factum eſt. Non erat enim ignotum Paulo, Romanis eſſe imperium Ieroſolymis, unde ſine dubio ſpem concepit eos ad fidem convertendi; quod etiam infra ſtrenue experitur in Felice, Feſto & Agrippa. Spectant hæc ad Dei gloriam, & plurimorum ſalutem 4. Reſpondet objectioni: At moleſta hæc ſunt & periculoſa, cum de exitu ſit incertus, quod etiam fatetur, ſup. cap. 20: 22. Sed Apoſtolus ibidem reſpondet, ſe ſuæ ſaluti, & Dei gloriæ omnia ſua poſtponere; hic verò inſuper etiam & vitam. Id enim Chriſtus à ſuis ſectatoribus exigit, Luc. 9: 23. His rationibus victi fratres, & ſentientes eſſe voluntatem Divinam, acquieſcunt propoſito Apoſtoli.

V. 15. Μετὰ δὲ. iter continuat hiſtoricus, oſtendens ſimul ſtudium fidelium erga Apoſtolum, qui ſe ei comites adjungunt, ſpectaturi eventum, neq; habita ſuæ ſecuritatis ratione, de hoſpitio ei etiam provident, dilectione verè Chriſtiana: alias juxta mundi conſvetudinem, imminente periculo, ipſo derelicto omnes aufugiſſent: quod ſalvatori comprehenſo in horto contigiſſe videmus. Elegerunt autem Paulo hoſpitem, non neophytum ſed in fide veteranum, ne dubiæ fidei homo Apoſtolum proderet.

V. 17. Γενομένων II. Pars Cap. in qua quid Ieroſolymis, actum ſit exponit, cum fratribus primò: deinde ſequitur tumultus periculoſiſſimus quem adverſus Paulum

ex-

excitant Iudæi increduli. Et 1. Excipitur humaniter à fratribus. Deinde Iacobum adit, cui videtur ex hoc loco cura Ecclesiæ Ierosolymitanæ comissa, qui Ierosolymorum Episcopus ab Apostolis constitutus, huic Ecclesiæ usq; ad mortem præfuit: & à judæis lapidibus obrutus prope altare sepultus est; ut refer Dorotheus Episcopus Tyri. Erat hic Iacobus frater Domini, justus cognominatus, non ille Zebedæi filius ab Herode occisus, sup. c. 12. Hîc in seniorum cœtu, cursum suæ prædicationis & ejus fructum Apostolus commemorat: gloriam Deo tribuit & efficaciam, sibi verò ministerium; sicut 1. Cor. 3. 5.

V. 20. οἱ δὲ. Deinde seniores sive presbyteri fidelium, gratijs actis Deo, pro successu Evangelij, de quibusdam factu necessarijs Paulum monent, ita scilicet procedendum esse in docendo, ut infirmorum habeatur ratio; & ne quid perversè de Paulo suspicentur, ex Iudæis conversi Ierosolymis. 1. quia est magna multitudo conversorum. 2. qui magno zelo feruntur ad observationem legis. 3. Famâ perlatum est, Paulum avertere Iudæos qui apud Gentes sunt, ab observatione legis, circumcisionis, & à doctrina Mosis, quæ tamen omnium confessione Deum habet autorem. Quæ de hisce fuerit doctrina Pauli, planum est ex Ep. ad Galatas: Si *circumcidimini Christus vobis nihil proderit*: *Non justificatur homo ex operibus legis, sed ex fide Christi. Evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini.* Et Rom. 7. & Rom. 4. *lex iram operatur.* *Et, quicunq; ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.* Gal. 3: 10. Quam doctrinam Iudæi, nimio & præpostero zelo legis acti, non intellexerunt; calumniantes Paulum totam legem destruere; cum tamen fatetur legem sanctam & justam & bonam esse. Rom. 7: 12. Itaq;

ſatius eſſe arbitrati ſunt ex Iudæis converſi, ut Evangelium cum legis obſervatione conjungerent; quæ opinio fuit etiam tumultus cauſa, in Eccleſia Antiochena; ſup. 15.

V. 22. Τί οὖν. 4. Periculi rationem exaggerant, & oſtendunt hanc fore tumultus cauſam, & occaſionem, ex Apoſtoli præſentia, quem jam noverunt adveniſſe. Veriſimile eſt Apoſtolum ſolicitum, de incolumitate ſua, communicaſſe cum fratribus vaticinia ſibi facta de captivitate imminente, conſilium opemq; eorum requiſiviſſe.

V. 23. Τοῦτο οὖν. Sequitur conſiliũ Apoſtolorum, quo putant Paulũ Iudæorũ genti ſe reipſa excuſare poſſe, & oſtendere ſe legẽ non in univerſũ rejicere aut damnare, ſed pro re nata, & cum opus ſit, obſervare, idq; libere, quod etiam fecit circumciſione Timothei: ſupr. c. 16: 3. Suadent itaq; ut viris votum habentibus ſe adjungat, ſeq; juxta legem palam in templo purificet, in conſpectu populi, ſcientq; ipſum legem obſervare. Votum autem erat continentiæ, quod deſcribitur, Num. 6. Fecit idem Apoſtolus ſup. cap. 18: 18. Corinthi; puta in gratiam Judæorum, conſulens conſcientiæ infirmorum ex gente illa converſorum.

V. 25. Περὶ δὲ. Ac ne putet hoc exemplo induci gentiles converſos, ad legis obſervationem, quod ex hoc Pauli facto colligent, Eccleſiam & preſbyteros Ieroſolymis ſentire, legis obſervationem neceſſariam eſſe ad ſalutem: remittunt eum ad ſententiam Antiochenis perſcriptam ſup. cap. 15.

V. 26. Hoc conſilium cum probaſſet, etiam more uſitato ad legis præſcriptum exequitur. Putat Hieronymus hîc non minus erraſſe Paulum quam Petrum, quem reprehendit Paulus Gal. 2: 11. Cui ſententiæ nonnulli interpre-

tum subscribunt Verum Pauli hæc in Petrumreprehensio, scripturarum canoni inclusa, nunquam fuit ab Ecclesia reprobata; neq; scriptura hoc Pauli factum improbat: tacente vero scriptura nos etiam tacere decet. Neq; enim verisimile est errasse Paulū, cum Iacobo & universa presbyterorum societate. Tractat hanc quæstionem prolixe, Hieronymo respondens, Augustinus, Ep. 19. Et ostendit errasse Petrum, qui simulatione sua Antiochiæ cogebat gentes Iudaizare: cum non prohibeat concilium Apostolicum, sup. cap. 5. Iudæos, ritibus asuetos, Iudaizare; hoc est, servare quoad libet consuetos ritus legis, modo liberè, sine opinione necessitatis ad salutem. Sed prohibet Gentes Iudaizare; quia ritus legis nō sunt necessarij ad salutem, nec opus est gentes insueras ad hæc inducere, & legis jugo onerare: ne putent id esse ad salutem necessarium, quod à Iudæis asuetis liberè servatur. Petrus vescebatur cum gentibus Antiochiæ; cum autem venirent à Iacobo Ierosolymis aliqui, subduxit se, & Iudæis se conjunxit, nec illis videntibus voluit cum gentibus cibum capere. Quod cum viderent gentes, irritum putarunt decretum Apostolicum, supra factum, cap. 15. veramq; psuedoapostolorum sententiam, circumcisionem, sacrificia, ciborum discretionem & cætera legalia, necessaria esse ad salutem; quod est Iudaizare. Peragit itaq; Apostolus Paulus sacrificium juxta ritum Legis, Num. 6. ostendens se ritus legales non rejicere aut contemnere vel damnare.

V. 27. Ὡς δὲ. II. Pars capitis, in qua Evangelista orditur seditionem exortam adversus Apostolum Ierosolymis, cum consequente persequutione; continuatur hæc historia usq; ad finem: Ubi I. describit quid Ierosolymis

mis actum sit cap. 22. & 23. II. Quid Cæsareæ, coram præsidibus Romanis, Felice & Festo: usq; ad cap. 27. Reliquis duobus capitibus navigatio describitur, cum his quæ Romæ gesta sunt. Autores hujus seditionis erant ijdem, qui in civitatibus Asiæ adversus Apostolum tumultus excitabant; supra cap. 14. & sequentibus. Unde apparet mira cæcitas & pertinacia gentis Iudæorum, qui non contenti quisq, domi seditionem adversus Evangelij doctrinam excitare; sed in alijs quoq; civitatibus & populis Apostolos persequuntur: quod etiam futurum prædicit Christus salvatur Matt. 10. & 24.

V. 28. κράζοντες. Viros Israelitas compellant, Legis scilicet & rituum propugnatores, Abrahami posteros: capita accusationis sunt 1. quod doceat adversus legem, sacrificia & templum. 2. Templum polluit, introducens gentiles: falsam fuisse hanc criminationem Evangelista ostendit, cum Paulus Trophimum Gentilem, licet comes venisset in urbem, in templum tamen non introduxit; ut putant illi. Erat hic Trophimus fidelis comes Pauli, cujus fit mentio sup. cap. 20: 4. & 2. Tim. 4: 20. prior accusatio ex incredulitate orta fuit, cum Evangelio non crederent, Christum pro messia non reciperent, finem legis ignorarent, & justitiam Dei ignorantes, suam quærebant statuere. Rom. 10: 3.

V. 30. ἐκινήθη. Facile commovetur civitas superstitione imbuta, & perverso legis zelo. Trahitur extra templũ: ne obstet templi prophanatio quia morte ipsum mulctare constituerunt seditionis autores, assiduis plagis eum affligentes: unde quanto in periculo fuerit Apostolus perspicitur.

V. 31.

V. 31. Ζητούντων. Liberatio Apoſtoli deſcribitur. Tribunus militum, à Romanis relictus ad cuſtodiam urbis devictæ, cum præſidio militũ, tanto numero, ut etiam caſtris opus fuerit: hic tumultum ſentiens, ad coercendam multitudinem armatus accelerat, metuens ne quid moliatur gens inquieta adverſus imperium. Cujus adventu repreſſa eſt multitudo & ſedatus tumultus.

V. 33. Τότε. Sic Paulus certo mortis periculo eripitur à tribuno nihil tale cogitante: qui putat ſe comprehenſum tenere ſeditioſum, latronum aut ſicariorum ducem, extremo ſupplicio dignum.

V. 34. Ἄλλοι δὲ: Tumultum hunc fuiſſe ingentem apparet, ex deſcriptione Evangeliſtæ, mores tumultuantium exprimentis; tales, ſicut in maxima hominum ſeditione; adeò ut tota civitas ſit commota, unde apparet magnitudo periculi. Prudentet agit Tribunus, captivum arcta cuſtodia ſervat, à plagis & violentia abſtinet, inimicos arcet, cognitioni cauſam reſervat, reum cum patientia audit. Quanta autem fuerit violentia tumultuantium patet, cum captivum ſublime portare neceſſe habuerint milites, ne conculcaretur à multitudine; una voce flagitante, ut è medio tollatur is, quem per tumultum necare non potuerunt.

V. 37. Μέλλων. colloquium Apoſtoli cum tribuno, humile, cum veniæ præfatione: honorem tribuens ſuperiori. Quærit autem de Ægyptio ſeditioſo. Meminit Ioſephus, lib. 2. c. 12. bell. Iudaici, cujusdam Ægyptij, qui ſub Felice cogregavit exercitum triginta millium armatorum, qui commiſſo cum Felice prælio, exercitum amiſit, & fugit cum paucis: pſuedoprophetam fuiſſe Ioſephus memorat.

 rat.

rat; sine dubio pro Messia se venditabat, sicut Theudas, & Iudas, sup. cap, 5: 36. quæ fuit eorum temporum conditio, sicut prædixit Christus. Matt. 24: 24. Diabolo instigante, ad obscurandam Messiæ, filij Dei gloriam; & ut dubios faciat homines de Messia legitimo seu vero.

V. 39. Εἶπε. Paulus respondet, ostenditq; sed non esse Ægyptium sed Iudæum, patriam quoq; indicat; docetq; se esse Romanæ civitatis municipem, quales cum Romanis legibus & privilegijs fruantur, non est consentaneum, eos aliquid adversus imperium moliri. Sic brevi apologia ad tribunum usus, cupit etiam sedare multitudinem. Vera loquitur, nec in mendacio aut occultatione veri latibulum quærit.

C A P. XXII.

PArs prior hujus capitis, habet apologiam Pauli ad populum Iudaicum; constat exordio & narratione gemina.

V. 1. Ἄνδρες. Exordium, quo ut persequutores demulceat, honorifice eos compellat; deinde brevibus quid velit insinuat, & silentium impetrat. Loquitur autem lingua Hebræa, plerisq; cognita, ut patienter audiant: æquum erat ut audiatur, qui ab omnibus accusatur.

V. 3. Ἐγὼ μὲν. Narratio bimembris: primò docet, quæ fuerint ejus studia in Iudaismo; deinde occasionem conversionis exponit & ad quid, seu à quo missus sit ad prædicandum gentibus. 1. Gentem & patriam indicat. 2. Quo in loco adoleverit; Ierosolymis sub Gamaliele, legis doctore eximio: cujus fit mentio sup. cap. 5: 34. Ubi etiam suæ prudentiæ specimen edidit. 3. Legis doctrinæ studuit, juxta statuta patriæ. 4. Legis sectator ac æmulus, non minus

nus quã quisquam alius. 4 Christianorũ persequũtor acerrimus: id ut probet, rem totam, prout gesta sit, exponit: allegans autoritatem Pontificis, scriptoq; publico supremi judicij collatam sibi potestatem, ut Christianos comprehensos, in carcerem traheret, mortis supplicio servandos; quod siquis factum dubitet, acta publica docere possunt; vix enim vigesimus primus annus excessit postquam hæc gesta sunt, ut patet ex cap. 2: 1. Ep, ad Gal. & Hieron. in vita Pauli.

V. 6. Ἐγένετο. Altera pars narrationis in qua ostendit non temere se, ex levitate, inscitia, aut novitatis studio sententiam mutasse: sed visione cœlesti, Divinoq; impulsu Christianam fidem prædicare cepisse, vocante & mandante Deo, vocatione seu revelatione cœlesti, extraordinariâ, miraculosa; eodem quo superius commemoratur modo. sup. c. 9.

V. 9. Οἱ δὲ. Comites itineris lumen videntes vocem tamen non audierunt; docente numine ad quem visio dirigeretur, nominato etiam insuper Saule quem vocare constituit. Neq; soli Deo hæc vis competit, sed spiritibus bonis pariter & malis hæc est potestas, ut non semper omnibus qui simul sunt appareant, sed quibus se visendos præbere velint.

V 12. Ἀνανίας. Rursus ad testimonium provocat Ananiæ & habitantium Damasci, ut sciant vera esse quæ commemorat. Commendat verò Ananiam non à Christiana fide Iudæis odiosa, sed à legis observatione. Testimonium Ananiæ deinde adducit: Deum scilicet præordinasse Paulum; ut ipsum vocaret ad cognitionem voluntatis ejus, de salute hominum per Christum. 2. Ut videret Chri-

Christum Deum, qui solus est justus & bonus, Matt. 19: 16. 3. audiret loquentem. 4. Testis erit fidei possionis, mortis, resurrexionis Christi, ad Iudæos & gentes. Huic testificationi confidens Paulus, confidenter gloriatur se ad docendum Evangelium, segregatum à Deo ex utero matris: Gal. 1: 15. Hac audita Divina vocatione Paulus baptismum recipit.

V. 16. Καὶ νῦν. Vis & natura baptismi paucis explicatur, sicut Tit. 3: 5. Baptizando ac mergendo corpus in aqua, abluuntur peccata: sic per verbum institutionis additum, inest aquæ, non solum vis externa abluendi sordes corporis, sed etiam interna & spiritualis abluendi peccata, cum invocatur nomen Christi. Hoc est, cum oramus, ut velit Deut per meritum Christi, & sangvinem ejus pro nobis effusum remittere peccata. Neq; inest huic aquæ per se, extra verbum & hunc usum vis magica; & aqua quæ à Papistis consecratur ad fugandos Dæmones & purificandos homines, quia mandatum & promissionem non habet, inanis est ceremonia & superstitio. Processus hic in conversione hominum semper servatur. 1: Legis fulmine terretur conscientia. 2. peccati confessio exigitur. 3. fides in Christum desperationi apponitur, pœnitentiam suadet, ac gratiam offert cum remissione peccatorum, quæ baptismo obsignatur.

V. 17. Ἐγένετο. Aliam narrationem instituit, de revelatione sibi facta Ierosolymis, & ut à Domino Iesu missus sit ad prædicandum gentibus: ut intelligant Paulum nihil fecisse sine mandato & vocatione Divina; nam conversi etiam ex Iudæis, negabant spectare beneficia Messiæ ad gentes; docet historia Petri, sup. cap. 10. & 14. Prædixit

hanc

hanc æmulationem Christus salvator, similitudine operariorum in vinea, Matt. 20. Et agricolarum ibidem cap. 21: 33. prædixit Moses. Deut. 32: 21. David Ps. 118: Esa. 28. Explicat hæc prolixe Apostolus Rom. 9. 10. & 11.

V. 18. Itaq; mittitur extra Ierosolymam & Iudæam Apostolus, ut prædicet gentibus: & insinuatione ostendit se non suâ sententiâ aut beneplacito ad gentes transijsse, sed jubente Deo; ne ei ob hanc rem nimis succenseant Iudæi. Non recipient, inquit, testimonium tuum de me. Congruunt hæc verba cum illis Danielis cap. 9: 26. Contra putat Paulus eos recepturos testimonium suum, potius quam ullius alterius, quem noverunt antea tanto cum zelo persequutum fuisse Ecclesiam Christi; & in necem Stephani consensum præbuisse: nec sine causa & argumento gravi sententiam mutasse. Urget verò Divinum oraculum, & Paulum ad gentes mittit: sat constat itaq; ipsum, non proprio ausu, sed mandate Deo prædicare Christum, & quidem gentibus.

V. 22. Ἤκουον. II. Pars in qua novo tumultu, Paulus in ulteriora pericula abripitur, & tandem Senatui Ierosolymitano sistitur. Omnia hic iræ & furoris indicia prodit concitata multitudo, verbis & affectu ostendens, rem indignam facere Tribunum, si sinat hunc maleficum vivere. Sic fascinati mente, ne Divinas quidem apparitiones recipiunt, nec an vera dicat inquirunt, nec rationes proferunt, sed ad necem damnant hominem, quasi in manifesto flagitio deprehensum, ideoq; omnium sententia mortis supplicio dignum.

V. 24. Ἐκέλευσεν. His tantis clamoribus Tribunus abripitur, ad actionem iniquam; qui flagris & quæstione in male-

leficis & damnatis examinandis usitata, eum examinari jubet: ut videre liceat quid possit calumnia, & multorum in alterius necem conspiratio. Ἀνατείνειν, extendere significat: ut intelligamus, quo tormenti genere usi sint gentiles in maleficorum examine, Quæstionem vocant latini: quod suplicij genus, morte ipsa gravius, nescio quam prudenter à judicibus in orbem Christianum sit introductum; annon satius foret occulta crimina Deo reservare? Neq; enim eam crudelitatem Deus in Rep. Iudaica admisit: imo & plagis flagrisq; modum posuit, Deut. 25: 2. Rectius autem facerent Christiani, si Divinis legibus se accommodarent, & ab illa Ethnica crudelitate abstinerent.

V. 25. Paulus iniquitatem facti sentiens, legibus Romanis adversus Tribunum hominem Romanum se defendit; prohibentibus vinculis aut pœna ulla afficere civē Romanum, nisi damnatum; ut dictum est sup. cap. 16: 17. Quanta verò fuerit legum autoritas hinc apparet, quia terrore afficitur centurio, etiam Tribunus: non est verò dubium, Divinitus in conscientia territum fuisse hominem, autoritate & potentia conspicuum: in cujus conspectu Paulus inops apparet & contemptibilis, adeoq; incredibile putat, Paulum abjectæ conditionis hominem, tantæ dignitatis comparandæ facultatem habuisse. Hic contemptus etiam causa fuit, cur Apostolum non fuerit dignatus beneficio cognitionis, in consessu Senatus & legitimo judicio; quod tamen postea admittere est compulsus. Iustitiæ enim proprium est, nullum discrimen servare inter potentem & inopem; quod etiam à Deo severè præcipitur, Exo. 19: 1. Lev. 19: 15. Deut. 1: 17. *Non respcies personam in judicio; sed audies minimum cum maximo*; &c.

CAP-

TRes sunt partes capitis. In I. Sistitur Paulus judicandus in Synedrio Ierosolymitano. In II. Iudæi insidias parant Apostolo. In III. Mittitur Cæsaream ad Felicem præsidem.

V. 1. Ἀτενίζας. Apostolus inocentiam suam aspectu primum & vultu declarat, confidenter intuendo Senatum: contra pudor, & obliquus timidusve intuitus, malæ conscientiæ sit indicium. Deinde innocentiam verbis profitetur, coram Deo: quem testem invocat, scilicet, nihil adversus religionem, templum, gentemve suam admisisse, quod sit vinculis aut morte dignum. Quod cum nimis proterve dici putaret pontifex, à reo in judicium producto, totiusq; multitudinis sententia ac condemnatione gravato, cædi jubet ipsum in faciem. Non est hîc prætereunda compellatio simplex, ab omnibus titulis vacua, ut supra cap. 22: *viri fratres & patres.* cap: 7: 2. 13. 26. item, viri Israelitæ, cap. 5: 35. 13: 16. viri Athenienses, c. 17: 5. Ephesij; 16: 35. qua notatur fastus nostri seculi, & titulorum execranda vanitas.

V. 3. Τότε. Pauli dura responsio, cum accusatione, ex motu heroico & zelo Divinæ gloriæ profecta; cum simul spiritu prophetico pœnam & vidictam Divinam ei denuntiat, qui injuriam facit. *Dei enim est judicium, non hominum, & ipse nobiscum est in judicio.* 2. Par. 19. Ipse est justitiæ conservator & vindex in universa terra. Ps. 82. qui manifestam publiceq; illatam injuriam, non sinet inultam. Lutum parietis albedine tegitur; sic pontifex justitiæ minister sedet, & apparet externa facie: intus in corde, injuriam reo inferre paratus est. *Augustinus Serm, dom. in morte. cap. 19 Paries dealbatus hypocrisis est, sacerdotalem præferens dignitatem*

& sub hoc nomine quasi candido tegmine, interiorem qnasi luteam turpitudinem occultans.

V. 5. ἔφη τε. *De quibus verbis Lutherus de ord. Eaclef. T. 7. Germ. viteb. tit. de Episcopis. Est quidem sed non facit officium sacerdotis, neq; ego eum pro sacerdote agnosco. Alioqui ex loco & circumstantijs potuisset scire ipsum esse sacerdotem. Et August. loco citato: Ego alium scivi principem sacerdotum, pro cujus nomine ista sustineo cui maledicere fas non est.* Nihil apparebat in hoc judice, pontifice dignum, qui relicta justitia affectus & odium conceptum sequitur; itaq; Apostolus merito excipit adversus judicium ipsius: quod vero se postea corrigit, ostendit nos caute agere debere cum his, in quorum sumus potestate. Sic vere dixisse contentus, iterum sibi judices conciliat.

V. 6. Γνοὺς δὲ. Paulus videns apud osores Christiani nominis, ac hostes, doctrinæ ac vitæ actæ in officio, se frustra causam agere; effugium quærit: & quia jure agere non licet, mutato concilio partes dissentientes committit, cum Pharisæis sentire se docet de resurrectione, quam Sadducæi negant; factamq; sibi revelationem per angelum. Quibus dictis Pharisæos suarum partium facit, qui acriter adversus Seducæos contendentes; dum resurrectionem esse asserunt, fieriq; posse ut ipsi sit loquutus Angelus: illi verò neutrum horũ admittunt; unde dissentio & tumultus maximus oritur in multitudine. Tres diversæ opinionis sectas Pharisæos, Sadducæos Esseos describit Iosephus, antiquit. l. 18. c. 2. cui quartã accessisse scribit, Iudæ Galilæi, nõ agnoscentis dominum in teris, sed solum Deum in cœlis; paratum cum suis extrema pro hac fide perpeti. sup. cap. 5. 37.

V. 10: Πολλῆς. Exitus hujus judicij describitur, qualis in

in collegio dissentientium partium esse solet; videlicet, dum suas quisq; partes propugnat petinaciter nihil efficitur. Nec mirum regnantibus tyrannis, talia esse facta collegia judicum; quippe collegia hi oderunt, dissentiones amant, ne quid consentientes in ipsos moliantur; utq; prodantur ab adversis partibus consilia. Tribunus sciens suæ curæ commissum Paulum, & insidias priores metuens, ne per tumultum Paulo vis inferatur; eum ex manibus eorum eripit.

V. 11. Τῇ δὲ. Paulo his malis turbato assistit Dominus, animum erigit, confortat, Romam mittit, ad prædicandum Evangelium. Quæ res iterum monet, Evangelij doctrinam dirigente Deo in orbem sparsam; ipso tribuente successum.

V. 12. Γενομένης. II. Pars cap. de insidijs quadraginta conjuratorum, in necem Pauli. Mirum est verò Sacerdotes & seniores, hujus facinoris consortes esse velle: nec facile conjurati cum illis consilium communicassent, nisi notum fuisset, eos quoq; in necem Pauli conspirasse. Unde magis patet quale judicium ab ipsis expectandum foret, sicut etiam ex actione sequente, cap. 24. Diaboli fuerunt hi conatus, qui varijs artibus nititur Evangelij cursum impedire, tanto hominum furore excitato, ut nisi juvante Deo, non potuisset succedere negocium. Magnus est conjuratorum numerus, primores populi conspirant, insidiarum modus disponitur, res confecta apparet.

V. 16. Ἀκούσας. Deinde modus describitur, quo liberatus Paulus conjuratorum manus effugit. Deus enim qui Sp. sancti instinctu Paulum permovit ligatum spiritu, sup. cap. 20:22. ipse etiam ejusdem spiritus instinctu, puerum

conſangvineum Pauli adhibet, ut ſicariorum conſilium audiat & Apoſtolo indicet, cui bene cupit. Veriſimile eſt hunc puerum ſecum habuiſſe Apoſtolum ut miniſterio ejus uteretur: qui per civitatem & vicos, puerorum more, curcitans, explorat quid de Paulo dicatur; cum ſit de eo ſollicitus. Paulus verò, oraculo confortatus, ac de liberatione certior factus; nulla tamen humana auxilia negligit: puerum mittit, centurionem adhibet, inſidias detegit, tribunum rogat. Neſcit enim per quæ media ipſum Deus velit ex his malis eripere.

V. 18. ὁ μὲν. Centurio humanitatis officium non negligit erga afflictum captivum, quamvis Ethnicus; eo Phariſæis melior, qui niſi amicis benefacere non ſuſtinent; nec alium proximum agnoſcunt: ſicut exprobravit eis Chriſtus. Matt. 5: 43. Et Samaritani ſimilitudine. Luc. 10: 33.

V. 19. Ἐπιλαβόμενος. Tertio, tribuni induſtria ab Evangeliſta deſcribitur: 1. Puerum diligenter examinat, circumſtantias explorat, cum patientia audit, nec referentem repellit, propter levitatem ætatis: confert enim priores gentis inquietæ motus. Metuit ne initium hoc, majorum ſit turbarum occaſio. 2. itaq; puero præcipit, ne quid ad alios hujus indicij referat: ut liceat Paulum Præſidi ſiſtere, conjuratis non ſentientibus; ne euntem invadant. 3. Ad captivi ſecuritatem jumenta addit ut celerius evadat, præſidium quoq; militum, adverſus violentiam latronum, obſervato etiam noctis ſilentio, ne inimici perſentiſcant. Divino inſtinctu hæc facta eſſe, dubium non eſt, qui Paulo gratiam dat coram tribuno; qui etiam putat majus eſſe negocium, quã ut poſſit ab ipſo expediri; nec carere etiã periculo, ſi iteretur tumultus, non ſolum à

ple-

plebe ſed etiam à Sacerdotibus & ſenioribus, populo ſcilìcet univerſo.

V. 25. Γράψας. III. Pars, Epiſtola Tribuni ad Felicem provinciæ præſidem, Et iter Apoſtoli ad præſidem deſcribitur. Epiſtola, præter inſcriptionem, tria habet membra. 1. Injuriam Paulo illatam, per tumutum Iudæorum; utq; fuerit à tribuno liberatus. 2. cauſam ut in Senatu explorata fuerit indicat: & quod non ſit res morte digna, ſed quæſtiones de religione & legibus, ſine crimine: ubi tribunus Paulum ſuo judicio abſolvit. 3. docet quæ cauſa fuerit, cur res Ieroſolymis componi non potuerit; videlicet, inſidiæ & majoris tumultus cauſa.

CAP. XXIV.

TRes ſunt partes capitis, I. Accuſationem deſcribit in Apoſtolum coram Felice præſide. II. Apologiam Apoſtoli. III. Præſidis erga Paulum humanitas: attentio ad doctrinam ejuſdem de Chriſtiana fide.

V. Μετὰ δὲ. Quos habuerit accuſatores Apoſtolus attende, Ananiam Pontificem, ſine dubio Sadducæum, quod colligitur ex cap. 23. & cap. 5: 17. Ex genere Regio, potentem; militum manu ſtipatum, ut docet Joſephus, antiquit. l 20. c. 8. Seniores item; principes hi erant populi Iudaici, qui ſuprema judicia cum ſacerdotibus exercebant. 2. Chron. 19.. Regis conſiliarij, ad quorum conſilium Remp. adminiſtrare tenebatur. Ioſephus. C. Sigonius l. 6. c. 4. Quorum orator Tertullus, cauſam agit adverſus Paulum; qui cogebatur ex vinculis cauſam dicere.

Qui

Qui processus vinctis pauperibus plerunq; fatalis esse solet, & extremi supplicij judicium.

V. 3. Πόλλης. Exordio captat gratiam præsidis, commendans prudentiam, curam & studium erga gentem; cum debita gratiarum actione. Sunt qui hypocritam hunc oratorem faciant, quod injurias, quibus Iudæos affecerit taceat, commendet autem virtutes & beneficia. Rectius verò magistratum commendamus, ut Dei donum eximium, cujus beneficio vigent leges & pax publica. Ita Felix magos & latrones, pacem publicam turbantes & privatis noxios, comprehensos supplicio affecit; & vatem Ægyptium, seditiosum, armis vicit & fugavit. Ioseph. ant. lib. 20. c. 6. & belli Iudaici l. 2. c. 12. Eleazarum latronum principem, qui annis viginti Iudæos afflixit, cepit & Romam misit. Bona multa Iudæis præstitit; quamvis sceleratus, & privatim iniquus multis, ut postea dicetur. Commendat itaq; orator, quod laudem meretur, & ut accusantes audiat, rogat.

V. 5. Ἐυρόντες. Accusatio trimembris 1. postquam in genere criminasset Apostolum, ut pestiferum, hoc est, noxium reipublicæ, & suo veneno inficientem plurimos; quæ est accusationis propositio: accusat eum, quod in toto imperio concitet Iueæos ad seditionem, & ideo sit criminis læsæ Majestatis reus factus. 2. Hæresiarcham calumniatur, autorem novæ sectæ, dogmatistam: quo artificio, scilicet, usi sunt in movenda seditione supra cap. 5. Theudas, Iudas Galilæus, & apud Iosephum Ægyptius pseudopropheta, ut dictum est. Nazaræos vocat, sicut per contemptum Iulianus apostata Christum Nazarenum & Galilæum appellat, apud Nicephorum, lib. 10. c. 35. 3.

Ut

Ut prophanum, qui templo ac ſacris nullam exhibet reverentiam: probatur, quia deprehenſus eſt introducens gentiles in locum ſanctum contra legem: & propter hæc omnia mortis ſuplicio capitisq; damnatum.

V. 7. Παρελθών. Nova accuſatio qua de Lyſia Tribuno conqueritur, quod Paulum mortis ſupplicio eripuerit: fatetur itaq; ereptum Iudæorum genti ſceptrum, juxta vaticinium patriarchæ, Gen. 49: 10. Unde colligere jam promptum erat, adeſſe nunc tempus Meſſiæ: quod quia intellexit magna pars hominum, itaq; frequentes fuerunt circa hoc tempus ſeditiones, pluribus affectantibus honorem Meſſiæ. Tandem præſidi congnitionem defert, cum judicio de re univerſa. Hujus accuſationi magno conſenſu aſtipulantur ſenatores cum Pontifice, putantes ſibi habendã fidẽ, propter autoritatem publicam, qua Paulum opprimere ſtudent: cum lex Divina ſacroſanctam jubeat eſſe fidem publicam, & hujus abuſum damnet: Lev. 19: 15. & Deut. 1: 17. jubeatq; potentem & inopem, una juſtitiæ trutina ponderare.

V. 10. Απεκρίθη. II. Pars cap. Reſponſio Apoſtoli qua objecta crimina diluit. Præſes ſine affectu utranq; partem benignè audit; nec ex præſcripto Senatus Ieroſolymitani judicat, intelligens adverſarios hos eſſe, non æquos judices, ſed affectibus ac præjudicio obnoxios. Sicut cum hodie Papiſtæ ſibi poteſtatem ſumunt, definiendi litem, inter Romanæ Religionis ſocios; & adverſarios Evangelicos I. Præmiſſo exordio, ſibi gratulatur Apoſtolus, quod apud Iudicem harum rerum conſcium, nec ignarum, dicere liceat. II. Per inficiationem depellit objecta maleficia, docens falſa eſſe quæ dicuntur, nec pro-

bari ab adversarijs. Argumentum tale est: Qui nuper in urbem venit. 2. ut oraret, 3. Non disputavit; 4. qui seditionis socios, non habuit, ullo in loco; non potuit esse seditionis causa: cum ad id requiratur tempus, verborum suasio, socij, concursus: &c. Nihil autem horum de Paulo probare possunt: falsa igitur est accusatio.

V. 14. ὁμολογῶ, III. Fidem suam ingenuè fatetur & ab hæresi vindicat. 1. Non negat se Christianum esse, sed ostendit se ejusdem Dei servum esse, quem colunt illi. 2. Fidei normam sibi proponit, cum illis eandem, legem scilicet & Prophetas. 3. Simul cum ipsis expectat resurrectionem mortuorum; & judicium venturum.

V. 16. ἐν τούτῳ. 4. Hæc fides ipsum sollicitum perpetuo tenet, servatq; in sanctitate ac innocentia vitæ, monente conscientia & Deo judice; ut in his quæ ad Deum & homines sanctus & innocens, in judicio consistere possit. Hæc fides non ad maleficia & seditiones impellit, sed ab his ac similibus malis immunes servat sectatores suos. Male igitur accusatur religio.

V. 17. Δὶ ἐτῶν. IV. Narratione exponit quid Ierosolymis egerit, quæ fuerit adventus causa; vidilicet, ut Eleemosynas perferret Ierosolymam pauperibus sanctis, quas in Ecclesijs Macedoniæ & Græciæ collegit, ut patet ex 2. Cor. c.8.& 9. Bene igitur de gente Judaica, nō male est meritus. Oblationes quoq; tulit, sacris faciendis in templo, & ut voto se exolveret: quod est indicium, cum non apud exteros docuisse adversus legem, aut templum, neq; etiam Ierosolymis; sed potius studiose servasse ea quæ sunt legis, quæq; ad honorē sacrorum, & templi spectarent, & ad gentis suæ utilitatem. Doctrinam de Christo expresse

non

non tradit; quia negocio officit, propter vehementiam adversariorum; sed nunc prudenter reticet, & reservat eam tempori & loco commodiori; cum postea Felicem per occasionem datam de ea informat, sicut dicetur.

V. 19. Τίνες δὲ. V. Veram causam tumultus profert: Iudæi scilicet, venientes ex Asia, seditionis autores erant, ut supra dictum est; qui concitata in ipsum multitudine, eum comprehenderunt. Deinde, ostendit hanc actionem ad Pontificem & Seniores non spectare, sed ad ipsos tumultus hujus autores, qui sibi male conscij, comparere non audent; nec habent de quo ipsum accusent. Tertio Pontificem & actores causæ urget, ut proferant & probent, si quid iniquitatis invenerunt in ipso, cum staret in concilio Ierosolymitano. Hoc enim vult vox Græca στάντος, stante scilicet me in concilio ipsorum.

V. 21. Ἢ περὶ. Quarto, si quid habet adversum me Senatus, unicum est, quod fassus sim credere me resurrectionem mortuorum: quæ vox forte Saducæos offendit.

V. 22. Ἀκούσας. III. Pars capitis quid Præses egerit circa negocium hoc Pauli. 1. Rejecit eos in adventum Tribuni, ne quid negligatur eorum, quæ publicam tranquillitatem concernunt, & imperium, de quibus maxime erat sollicitus: & quia ut seditiosus accusatur, quæ res Cæsarem attingit & remp. Itaq; studiose se de his excusat Apostolus, etiam cap. 25: 8. Et Festus provocantem lubens ad Cæsarem mittit. ibidem, v. 12.

V. 23. Διαταξάμενος. 2. Non audet propter rei magnitudinem, captivum dimittere, sed liberiore custodia eum servat, innocentiam perspiciens, & cum sit civis Romanus.

V. 24. Μετὰ δὲ 3. Præses antea de fide Christiana edoctus, cupit pleniora à Paulo audire, huj⁹ doctrinæ magistro. Uxor Drusilla, sicut refert Iosephus lib. 20. antiq. c. 5. Agrippæ Tetrarchæ soror, nupsit Azizo Emesenorum Regi circumciso. Felix autem procurator cum venisset in provinciam pulcritudine mulieris captus, opera Simonis magi, pellexit mulierem, ut relicto marito priore sibi nuberet: à qua persuasus, & de fide Christiana edoctus, pleniora à Paulo Christianorũ Apostolo discere cupiebat; nõ quod fidem receperit, sed ut judex in provincia supremus, habeat rei notitiam. Dicit enim Iosephus Drusillam, calcata religione patria, nupsisse Felici; Et pellicere uxorem alterius, avaritiæ servire, captivum ditinere innocentem, non sunt Christianæ pœnitentiæ indicia. Addit insuper Iosephus, ipsum à Iudæis coram Nerone cæsare, injuriarum actione fuisse gravatum, & pene damnatum: nisi eum Cæsar Pallantis fratris precibus donasset. l. 20. c. 7. Hunc Pallantem Claudi cæsaris libertum fuisse tradit Suetonius, eiq; à rationibus, & ideo in maximo precio fuisse, etiam supra consules, in Claud. c. 28. Patet itaq; hunc Felicem servili conditione natum, libidine Claudij libertum factum, & tantis postea honoribus auctum. unde non mirum est, servilis ingenij reliquias in homine mansisse, in libidine avaritia, iniquitate.

V. 25. Διαλεγομένου. Paulus postquam fidei Christianæ normam exposuit, de nova obedientia agit, & virtutibus ac pœnitentia ab operibus malis, de vindicta Divina & judicio extremo. Hæc res Felicem terruit, agnoscentem secum vitia cum justitia & castitate pugnatia, damnante ipsum conscientia; itaq; Paulo abire jusso, concionatore scilicet

licet molesto, aures à doctrina salutari avertit & in errore persistit. Hæ sunt in infidelibus *cogitationes, se mutuo accusantes & defendentes*; de quibus Paulus, Rom. 2: 15. Herodes à Iohanne reprehensus, odium erga monitorem concepit; & quæsita occasione, eum capitis supplicio affecit: Matt. 14: 3.

V. 26. Ἅμα. Officio & potestate abutitur Felix, qui afflictum & innocentem carcere diuturno præmit, ut munera extorqueat: & quia conscientia præsidis reum absolvit; itaq; eum sæpius in conspectum & colloquium vocat, ne desit occasio, si quid largiri possit aut velit, ut ex custodia liberetur. Nihil autem largientem, vinctum successori relinquit, favorem seu gratiam captans Iudæorum, quos antea offendit; ne officio dignitateq; dejectum, accusent coram Cæsare quod tamen non effugit, ut dictum est. Offensionem hanc fuisse Iosephus indicat quod sub specie sedandæ seditionis, milites immiserit, & multis Iudæorum per tumultum cæsis, ædes divitum deprædatus sit. Ionatan Pontificem sicariorum insidijs objectum interfecerit: unde sicariorum manus initium & incrementum cepit, quorum insidijs magnus civium numerus absumptus est.

CAP. XXV.

PEractis his quæ Cæsarææ gesta fuerunt, sub Felice præside, nunc agit historicus de ijs, quæ sub successore Festo ibidem acta sunt, duobus capitibus sequentibus. Hujus cap. Quatvor sunt partes. I. Quid Festus Ierosolymis egerit, & quid Senioribus Paulum acusantibus responderit.

V. 1. Φῆστος οὖν. Ierosolymam pergit, novus præses, provinciæ metropolim: ubi mox adsunt inimici Pauli, docentes circa provinciam, & civilia negocia omnia recte habere, modo in ordinem redigatur Paulus captivus, pacis turbator & hæreticus. cujus causam putant optime peragi posse Ierosolymis; ubi nuper concursus factus est: cujus culpam sine dubio in ipsum referunt.

V. 3. Αἰτούμενοι χάριν. Id est, ut in gratiam eorum, captivum Ieresolymam perducat judicandum. Dubitant enim de causæ exitu, ne custodia liberatus, doctrina sua noceat dignitati Pontificum & Sacerdotum; quo tendebat doctrina de lege ceremoniali abolenda. Id Christo objiciunt, de destructione templi, Matt. 26:61. Ioh. 1:19. Et Stephano, sup. c. 6: 13. Si enim abolendus est pontificatus, fiet id cum maximo dispendio & motu status Politici: Itaq; facile Sacerdotibus consentiunt seniores, de hoc statu solliciti. Tota autem consultatio huc tendit, ut Paulum, quem justa accusatione opprimere nequeunt, insidijs adoriantur & tollant. Mirum est cum, ut ait Iosephus, tota Iudæa, maximè vero Ierosolyma, sicarijs & prædonibus repleta vexaretur, his neglectis, de Pauli unius nece tantopere laborent: Sed hæc est potestas tenebrarum, ut ait Salvator in horto; Diabolus homicida est; Ioh. 8. Festus civili prudentia, odium & vehementiam perspiciens futurorum judicum; si Ierosolymam perducatur: maluit Paulum Cæsaraæ servare, neq; tamen judicium eis denegare, quin liceat adversus ipsum jure agere: *si quod est in viro crimen*, ubi ostendit se dubitare, an sit criminis alicujus reus, forte antea Cæsaraæ admonitus erat, de accusatione coram Felice. Deo dirigente id factum

esse

eſſe, non eſt dubium, qui Paulum ſervare voluit, ut etiam Romæ prædicaret Chriſtum, ad Dei gloriam & ſalutem credentium. Niſi enim Divinitus fuiſſet ſervatus, facile fuiſſet inimicis tantæ autoritatis, perſuadere Feſto, aut Felici ut ipſis traderetur Paulus crucifigendus; quemadmodum & Chriſtus, Pilato judice, his artibus morti traditus fuit.

V. 6. Διατρίψας II. Pars cap. Examen cauſæ Pauli ſub Felice; qui ſine mora reum judicio ſiſtit, ut accuſatoribus ſatisfaciat, flagitantibus judicium ſine mora, quadam vindictæ cupiditate inſatiabili. Notatur actorum vehementia, qui præter morem judiciorum, reum circumſiſtunt, ut territum perturbent & obruant; cum in judiciis uſu venerit, unum uni opponere. 2. capita accuſationis gravia ſunt & multa. 3. Impudentia actorum in eo conſpicitur, cum non pudet viros maximæ autoritatis, ea afferre quæ probare nequunt.

V. 8. Απολογουμένου. Ex reſponſione Pauli apparet, capita accuſationis fuiſſe eadem, quæ antea, cap. præcedente, coram Felice; de quibus ſufficienter ſe purgat Paulus, Aggravant verò cauſam rei, docentes ſicut antea, tendere hæc facta Pauli adverſus Cæſarem: adhuc enim in memoria hæret, quantum pondus habuerit verbum hoc apud Pilatum, cum dicunt; *Si dimittis eum, non es amicus Cæſaris.* Ioh. 19: 12. Paulus crimen bonis rationibus repellit. & factum negat: neq; enim difficile id erat, cum ipſi nihil probant.

V. 9. ὁ Φῆστος. Feſtus civili aſtutia inclinat in voluntatem actorum, ut gratiam captet mox in initio ſuæ gubernationis, eorum, quos ei Cæſar regendos tradidit. Paulo

lo itaq; optionem dat, si velit judicari Ierosolymis, ne in ipsum iniquus esse videatur: seq; huic judicio quoq; præesse velle promittit, ut simul petitioni eorum satisfaciat, & incolumitati Pauli, sua præsentia consulat.

V. 10. Ἑστὼς δὲ. Responsio Pauli, qua 1. Ostendit à tribunali Cæsaris ad Ierosolymitanos, non esse provocationem. Ttribunal Cæsaris dicebatur, quia sedes erat præsidum provinciæ, qui supremi judicii potestatem Cæsaris nomine tenebant: ad quos in provincia suprema erat provocatio. 2. Innocentiam suam prætendit satis nunc probatam, primo Ierosolymis, deinde coram Felice: & nunc tertio coram Festo. 3. Conscientiam præsidis appellat, cui hæc nota sunt: (sicut fatetrr ipse, infra v. 18. coram Rege Agrippa;) tacitè innuens, debere præsidem juxta ea quæ novit justa judicare, & non gratificari iniqua petentibus, cum ejus periculo.

V. 11. Ἐι μὲν. 4. Quia non opus est ulteriore cognitione aut judicio; si enim convictus est ullius maleficij, quo mortem promeruit, ipse se supplicio subjicit, ne opus sit supplicij causa ire Jerosolymam. 5. Ostendit non esse in potestate præsidis, judiciorum ordinem pervertere, à supremo magistratu constitutum, & hoc modo hominem innocentem, supplicio afficiendum, tradere: non defuturum, innuens qui hanc præsidis injuriam ad Cæsarem deferat. 6. Timuit Apostolus, ne præsidi rationes adductæ non sufficiant, & donetur inimicis; insidias quoq; metuens; itaq; Cæsarem appellat, quam appellationem etiam præses admittit. Sic Festus præses qui modo justissimus apparuit, mox injustus declaratur: noluit Paulum non auditum, aut convictum, inimicis donare; jam verò eun-

eundem innocentem eorum insidijs exponere tentat, ad captandum favorem eorum, propter autoritatem qua pollent in gente sibi subjecta. Caruit homo gentilis Sp. sancto, & fide, itaq; quæ ad speciem antea virtus videbatur, levi impulsu in manifestam iniquitatem desinit: sicut supra in Felice eadem inconstantia apparuit. Attamen metu Cæsaris; & ut se his difficultatibus explicet, appellationem recipit; suæ securitati consulens apud Cæsarem, & subjectos suæ potestati cives, idq; cum hominis innocentis molestia.

V. 13. Ἡμερῶν. III. Pars, in qua præses in conscientia anxius, quid fieri oporteat ambigens, causam captivi Agrippæ Regi exponit; cujus judicium item requirit, ut hominis gratia valentis, autoritate & judicio fuffultus, declinet indignationem Cæsaris, si quid in hoc negocio statuet, minus convenienter aut juste, nuper factus provinciæ præses. Bernice soror erat Agrippæ ac Drusillæ, Herodis patrui quondam uxor, eoq; demortuo vidua, ac propter fratris consuetudinem suspecta, Polemoni Ciliciæ Regi nupsit, Ioseph. ant. l. 20. cap. 5. Quid Sp. sanctus de hujusmodi incestis commixtionibus statuat, vide Lev. 18. & 20. Agrippa Rex, non ita pridem tetrachiæ honoribus auctus, Festum itidem novum procuratorem salutat, ut de reipub. Iudaicæ statu & gubernatione consilia invicem communicent: qua de causa etiam Iudæorum adversus Paulum querimonias refert.

V. 15. Περὶ ȣ. Narrat 1. iniquam petitionem Iudæorum; suam deinde responsionem, quam licet antea his verbis non exprimat Euangelista, à priore tamen non multum dissidet Addidisse verò aliquid videtur Festus, ad sui ex-

cusationem, sicut fert consuetudo hominum, sua dicta factaq; amplificandi, cumq; dictante conscientia, justum esse sciat, neminem, nisi auditum & convictum, ad supplicium tradi debere; tamen nisi provocasset Paulus, voluit eum præses periculo insidijsq; Iudæorum obijcere: sicut magistratus & judices impij, sæpe potentiorum causis favendo, innoxios poenis afficiunt, vel in difficultates inextricabiles conijciunt.

V. 18. Περὶ οὗ. De Pauli innocentia testatur præses, nihil mali scilicet in ipso deprehendisse se; intellige adversus Cæsarem aut rempublicam. Quæstiones verò religionis, & an Iesus quem prædicabat Paulus, vivus sit, an mortuus, parum referre putat, & ne dignas quidem eas, ut ad præsidem referantur, velut superstitiosas, quæ ad gubernationem provinciæ nihil conferant. Ut vel hinc appareat, quam parvi faciat religionem Christianam homo Romanus: Sine dubio & prædicationem Apostoli, & Pontificum quæstiones pro stultitia habuit; sicut Paulus de gentibus loquitur, 1. Cor. 1: 23. Itaq; Apostolum ad Cæsarem provocantem, Agrippæ Regis judicio submittit.

V. 23. Τῇ οὖν. IV. Pars in qua incipit actio causæ Pauli coram Agrippa: describitur autem in hoc cap. oratio Præsidis ad Regem & Senatum, de causa Apostoli. Et 1. Pompa Regis describitur, quam quo in precio habeat Sp. sanctus, vox φαντασίας docet: & est tacita castigatio quorundam Regum, qui fastu & insolentia in subjectos ducti, majore apparatu, ac cultu non necessario subditis graves sunt, ad terrorem incutiendum, quibus amorem potius & clementiam declarare oportuit. Assessores fuerunt tribuni militum & primores civitatis.

V. 24.

V. 24. κ φησιν. Oratio præſidis 1. vehementiam ac multitudinem adverſariorum Pauli demonſtrat, eorumq; potentiam: tota ſcilicet multitudo, majores cum minoribus. Deinde crimen haud leve obijciunt: mortis videlicet ſupplicio dignum. 2. Reum ſuo judicio Feſtus abſolvit. 3. Quia ad Auguſtum provocat Paulus; ab Agrippa harũ rerũ gnaro, & aſſeſſoribus ſcire cupit præſes, quid ad Cæſarẽ de cauſa Pauli ſcribere conveniat: neq; enim decet æquum judicem, vitam & fortunas hominis in tantum diſcrimen adducere, ſine juſta ac evidenti cauſa.

C A P. XXVI.

CՕntinet hoc caput apologeticam orationem Pauli coram Agrippa & Feſto, qua ſe purgat adverſus Iudæos inimicos de criminibus objectis. Continet oratio Exordium cum narratione ſimplici rerum geſtarum & vitæ actæ in Iudaiſmo & poſt converſionem. Deinde brevem exceptionem ad verba & interpellationem Feſti & Agrippæ, quam ſequitur judicium Regis & præſidis.

V. 1. Ἀγρίππας. I. Pars capitis in qua Paulus accepta dicendi poteſtate, longa oratione ſe purgat. Primo, Exordio ſibi gratulatur, quod coram Rege detur dicendi venia, quem ob ſcientiam religionis & rerum Iudaicarum, commendat, ſibiq; reddit benevolum, & attentum; dum ut ſe audiat rogat, tacite innuens Regum & magnatum officium eſſe oppreſſos & afflictos audire.

V. 4. Τὴν μὲν οὖν. Narratione exponit vitam ſuam actam á juventute uſq; ad præſentem diem. Sex partibus abſolvitur, 1. Educationem & ſtudia juvenilia exponit, nota judæis, cum quibus educatus fuit. Sectâ Phariſæus erat,

quæ putatur perfectissima. Expectat cum omnibus Judæis Messiam, promissum Patribus. Reticet vero rem auditoribus vel odiosam vel incredibilem, donec validiore ratione fidem faciat, videlicet, revelatione Divina; infra v. 13.

V. 8. Τί ἄπιστον. Insinuat tamen Christum esse Messiam & resurrexisse, nec mirari quemquam debere, si Deus mortuos resuscitat, quod credunt etiam Pharisæi. Argumentis hîc gravibus Iudæos perstringit Apostolus, 1. noverunt honestam ejus educationem sine crimine, 2. in ea secta quam ipsi maxime probant. 3. in spe quæ nititur promissionibus Divinis ad patres nostros. 4. Spe sibi & illis communi: quam omnes tribus cum desiderio & precibus assiduis expectant; quæ fides antiqua, à patribus usque deducta est. Hanc tamen arripiunt adversus eum, accusationis causam, calumnias nectentes. Objectioni itaq; respondet, non esse contra fidem & religionem, si dicat Christum resurrexisse, cum & illi resurrectionem mortuorum credant, & potentiam Dei non ignorent.

V. 9. Ἐγὼ μὲν. 2. Pars apologiæ, in qua docet se non minus pertinacem fuisse, quam sunt hodie adversarij, in persequendis Christianis & fide Christi: fuisse tamen cœlesti revelatione revocatum, & conversum ad fidem quam antea persequebatur. Nomen Iesu adversarijs odiosum, insinuando nunc profert, cum de persequutione agitur, quam novit eos maximè probare. Fatetur se quovis violentiæ & tyrannidis genere adversus eos insanijsse, domi forisq;, usq; ad vincula, cruciatus & mortem; & ut blasphemantes desererent veritatem agnitam coegisse cum æternæ salutis dispendio multorum. Et quia id egit ex manda-

dato & poteſtate Pontificum, non poterint adverſarij negare vera eſſe quæ commemorat, quæ Ieroſolymis geſta eſſe nemo ignorat: ſicut præſidi reſpondet, infra: v. 25. Sic Pontifex, collegæ omnes, Eccleſia docens, concilio coacto, re deliberata, cum autoritate, & ex cathedra definiens ac præcipiens, errat graviſſime, damnando Chriſtum, doctrinam Chriſtianã & Apoſtolos: cujus generis exempla plura adducta jam ſunt, in hac hiſtoria Apoſtolica.

V. 12. ἐν οἷς κ. 3. Pars narrationis, in qua cauſam converſionis ſuæ exponit, modumq; quo repente cœleſti fulgore, voceq; Chriſti, inſania reprimitur, & error demonſtratur; qua narratione Apoſtolus Pontificum adverſariorum communem errorem perſtringit, qui eadem inſania perciti, euntem autoritate ſua & literis armarunt. Majoris evidentiæ cauſa locum, circumſtantias, tempus, teſtes adducit, Regem compellat, ut attentos faciat: miraculum deſcribit, vocemq; cœlitus delatam, Chriſti quem perſequebatur; quem ſuo conatu non magis lædet, quam cuſpidem acutam haſtæ aut gladij, ſi pedibus impetat, aut contra calcitret; nihil damni inferens, plurimum vero accipiens.

V. 15. Ἐγὼ δὲ. Ieſum ipſum de cœlo loquentem nomẽ edentem, oratione introducit, ut odioſi apud adverſarios nominis invidiam, á ſe, in Deum ipſum ſeu Ieſum tranferret; inſigni artificio, ut & majeſtatem hominis Chriſti de cœlo loquentis, Divinam quoq; potentiam aſſerat, ſuamq; & Pontificum temeritatem ſimul arguat, qui adverſus Deum ſtolide pugnare non verentur. Quo argumento ferocientes adverſus Deum Pontifices, repreſſit Gamaliel, ſup. cap. 5: 34. Sic Paulus Chriſtum reſurexiſſe, in cœlis regna-

re, ſuis etiam fidelibus in terris defenſorem adeſſe demonſtrat.

V. 16. Ἀλλά. 4. Pars narrationis, in qua vocationem & miſſionem ſuam, ad prædicandum Evangelium exponit: prædicabit verò quæ vidit & quæ Deus revelabit, non placita ſua & inventa hominum. Ponitur in miniſterio quod ei per manus tradidit Dominus ſcilicet, miſſione ac vocatione immediata, id enim ſignificat vox προχειρίσασθαι.

V. 17. ἐξαιρούμενος. Deinde promiſſionem addit liberationis & protectionis ab injuria impiorum: ibit quo ipſum miſerit Dominus. ſup. c. 13: 2 & 47. &c. cap. 16. 7.

V. 18. Ἀνοῖξαι. Tertio officium præſcribit; dare ſcilicet ſcientiā beneficiorū Chriſti & conſilij Divini de ſalvandis hominibus, de pœnitentia ab operibus malis, ut de poteſtate diaboli liberati, convertantur ad Deum, atq; remiſſione peccatorum accepta, hæredes fiant ſalutis acquiſitæ per Chriſtum, in fide ipſius. Quibus verbis ſumam Evangelij Apoſtolo Chriſtus tradidit: unde efficacia miniſterij, & verbi predicati cognoſcitur, ad ſalutem hominum: ſicut Zacharias miniſterium Baptiſtæ, totidem fere verbis deſcribit; Luc. 1: 76.

V. 19. Ὅθεν. 5. Pars narrationis, obedientia Apoſtoli, qui vocationē Divinam alacriter ſequutus, juſſa exequitur: prædicat quæ ipſi revelata fuerunt, debita cū alacritate ſtatim Damaſci, poſtea Ieroſolymis, Iudæis & gentilibus. Prædicat verò nō ſeditionem adverſus Cæſarem, aut turbas in repub. neq; adverſus templum & ſacra Iudaica, ſed ut ad Deum converſi, recipiſcant à prioribus operibus malis, & pia opera faciant, ad Dei gloriam. Sic re omni coram Rege expoſita, oſtendit Apoſtolus innocentiam ſuam.

V. 21. Ἕνεκα. 6. Conqueritur de iniquitate Iudæorum quod cum adversus eos nihil deliquerit, neq; in rempub. ipsum tamen comprehensum trucidare impie tentabant. Deprædicat justitiam Divinam, qui quod promisit etiam præstitit, & ipsum protegendo, ex varijs periculis eripuit; ut adhuc incolumis, sicut cepit, testetur de passione & meritis Christi, ea quæ Prophetæ de ipso prædixerunt; Christum scilicet pati debere, & primum ex mortuis resurgere, ut vitæ autorem, & causam resurrectionis omnium in extremo die. Iuxta vaticinium Esa. 53. Davidis & prophetarum.

V. 24. Ταῦτα. II. Pars capitis continet Præsidis & Agrippæ de Pauli apologia judicium, cum accusatione Apostoli ad utrumq; ; quam sequitur sententia judicum; de summa rei. 1. Festus nuper in judæam Roma missus, homo Ethnicus, rerum omnium ignarus, Pauli orationem non intelligit; Prophetarum oracula & Christum ignorat, in quibus Pauli sermo fundatur: qui quia à religione gentilium totus dissidet, à præside pro insania reputatur, qui talia in scriptis sapientum suorũ nunquam vidit. vide de his judicium Apostoli, 1. Cor. 1: 23.

V. 25. ὁ δὲ. Paulus contra excipit, modestè & constanter veritatem asserit: & 1. ad Regis testimoniũ se refert, cui hæc probe nota sunt; homini scilicet, Iudaicæ religioni dedito, & in hac gente educato. Erat enim Herodis illius filius, qui Iacobum occidit, & Petrum in gratiam Iudæorum captum, interficere constituit: sup. cap. 12. 2. Ostendit hæc quæ de morte & resurrectione Christi desseruit, de Apostolorum missione ad prædicandum, omnibus nota

esse

esse: seq; ideo de his constanter & majori cum confidentia loqui.

V. 27. Πιστεύεις. Nunc ad Regem conversus, ad Prophetas ipsum revocat, quorum autoritas ipsi & omnibus Judæis est sacrosancta. Agrippa hypocrita Festum Romanum veritus, fidem Iudaicam palam profiteri non audet, quo videatur magis favere Romanis; itaq; pro eo cunctante respondet Apostolus: ipse vero maluit ad alia dubiam responsionem proferre, significans se Pauli sermonem penitus non improbare, nec fidem Christianam simpliciter rejicere, nec Prophetas contemnere; ut Romanis, Christianis quoq;, Iudæis etiam simul se accommodet, politica calliditate.

V. 29. ὁ δὲ Παῦλος. Paulus ex insigni desiderio salutis & conversionis eorum optat, ut in fide Christi doctrinam ipsius recipiant, eiq; fiant similes auditores omnes, Deum precatus, ut suæ orationi virtutem largiatur, ad omnium præsentium conversionem.

V. 30. καὶ ταῦτα. Ultimo loco sequitur sententia judicum: surgunt, secedunt, consultant, reum absolvunt, judicantes eum nihil morte dignum admisisse; cum tamen unanimi sententia statuerent Iudæi, ipsum nequaquam vivere oportere: sup. cap. 22; 22. Patet hinc stupenda cæcitas & induratio Iudæorum, & adversus Christianam fidem odium insanabile: cum Paulum tot diversis judicijs innocentem declaratum, tamen ad necem magno furore poscunt. Hæc causa fuit, cur ad Cæsarem omnino mittendum putant, quia vident alias non quieturam gentem Iudaicam: alias Paulus jam absolutus, provocationis eventum non urget, nec etiam adversus iter distinatum excipit

pit, nec ire recusat, ut juxta Divinam dispositionem, etiam Romæ Euangelium prædicet, sup. 23: 11.

CAP. XXVII.

EXplicatis his quæ Ierosolymis, postea quæ Cæsareæ coram præsidib⁹ acta sunt: sequitur sectio altera posterioris membri, in secunda parte historiæ Apostolicæ, sicut notatum fuit supra, ad initium capitis decimitertij; ubi incipiunt peregrinatio, labores, & afflictio Pauli. Duo agit historicus in sequentibus: 1. iter Apostoli à Cæsareæ littore Romam describit. 2. quid Romæ actum sit, usq; ad finem. Quatvor sunt partes hujus capitis. In I. describitur navigatio ad quendam portum in Creta insula, cum exhortatione Apostoli ad navigationis socios.

V. 1. ὡς δὲ ἐκρίθη. Exitus actionis adversus Paulum, tandem hic fuit, ut cum alijs captivis Romam navigio mitteretur, & sisteretur Cæsari. præfuit captivis centurjo Julius, cum cohorte; causa navigationis hæc erat.

V. 2. ἐπιβάντες. Adrumetis civitas fuit maritima Africæ. Aristarchus fidelis erat, cujus meminit sup. cap. 19: 29. & 20: 4. natione Macedo Thessalonicæ civitatis. Sidon civitas Phœneciæ, tum temporis opulenta, à Tyro septem milliaribus distans, tribui Asser contermina. Conditor hujus Zidon, à quo etiam nomen traxit, Pater hujus erat Canan nepos Noe. Ex his extiterunt generationes Cananæorum, terræ Canaan inhabitatores, Gen. 10. Hic cum fidelibus conversatur Paulus permittente centurione, sicut ordinaverat Festus, considerans innocentiam ejus, ne præter meritum affligeretur.

V. 4. κακεῖ. Iam non satis favente vento cursum re-

ctum tenere non valentes, legunt Asiæ littora, Cyprumq; & Pamphiliam prætervecti, Myram petunt Lyciæ civitatem, cujus mentionem facit inter Lyciæ marittimas etiam Strabo lib. 14. Hinc postea tendentes, cursu difficili Cretæ portum quendam obtinent; Gnidus externum Asiæ promontorium Cretam spectans. Cretæ loca quæ memorat australia Africam spectant. Navigatio hactenus difficilis erat, autumnalis scilicet: imminente jam verò hyeme, etiam periculosa futura erat; testantibus etiam hodie Græcis, periculosam esse, & procellis ventorumq; continua varietate, inter Alexandriam Græciæq; littora navigationem maximè autumni hyemisq; temporibus.

V. 9. ἱκανῦ δὲ. Exhortatio Pauli ad navigationis socios, qua suadet ne se amplius mari committant, considerantes tempus & imminentia pericula: præterijt enim jam jejunium autumnale, in lege præscriptum: Lev. 16: 29. quod die 10. septimi mensis clebrandum erat. Septimus Hebræorum mensis est Thisri, initio computationis facto à Nisan, qui est Hebræis primus, Latinis Aprilis. Itaq; mense octobri contigit hæc navigatio. Patet ex his, quam diu Apostolus captivitate vitæq; periculis fuerit afflictus; qui circa festum Pentecostis Ierosolymis captus erat. Non persuadet Apostolus Centurioni, prævaluit enim nautarum consilium, qui videbantur habere experientiam majorem: major tamen apparet in Pauli consilio prudentia, qui non fidit industriæ nautarum, sed causas metitur, & hyemis incommoda, Et dum consilio locus est, ut sibi caveant, putat non nimium esse committendum fortunæ.

12. Ἀνάθετο. II. Pars navigatio infelix, cum jactura navis & mercium, & salutis desperatione. Rationem consi-

lij ſui afferunt, incommoditatem portus ad hyemandum: Petitur Itaq: Phœnix portus commodior, in occidua parte Certæ inſulæ, unde, cum Africus & Corus venti ſecundi aſpirant, commodior eſt in Italiam navigatio, etiam major ad hyemandum commoditas, ſi cogat neceſſitas.

V 13 ὑποπνεύσαντος. Nautæ ſecūdos ventos, quos ſperabant, aſſequuti, curſum dirigunt in Italiam, magna ſpe perveniendi ad metam propoſitam: ſed nondum prætervecti Cretam, adverſum Euroaquilonem repente ſentiunt; flatibusq; & tempeſtatibus abrepti, amittunt Phoenicem. Petunt itaq; Claudā inſulam, Cretæ ab occidua parte vicinam; Canda Plinio dicta eſt: ſed hac etiam fruſtrati, fluctibus in apertum mare feruntur: timentibus autem illis, ne vi venti & fluctuum frangeretur navis; conſtringunt eam rudentibus. Iam ad Africæ littora propiores, urgente vento, ſyrtes metuunt, arenoſa ſcilicet & limoſa vada, in mare prominentia, naufragijs infamia: χαλάζοντες τὸ κεῦος. Quale vas hoc fuerit, non exprimitur, patet vero ex circumſtantijs fuiſſe aliquid, quod navi adhærens impediret, ne citius lata fluctibus, in ſyrtes incideret: anchoras dependentes pleriq; putant intelligi Bedæ ſententiam ſequuti.

V. 19. Καὶ τῇ τρίτῃ. Iam ad id quod priſcis nautis ultimum erat in tempeſtate remedium, perventum fuit, projiciuntur ea quæ onerant, ut navis emergens fluctus melius repelleret. Sole & ſyderibus non apparentibus, curſus ad propoſitū portum dirigi nō potuit: nam tū temporis magnetis uſus ignorabatur; dirigebant verò curſum ſtellæ majores, præcipue cynoſura, cauda ſcilicet minoris urſæ, quæ eſt polo proxima. Itaq; cum tempeſtate abrepti, neſci-

ſcirent quo tenderent, ſi in ſyrtes aut loca aſpera pellerentur; nulla ſpes ſalutis apparebat.

V 21 Πόλλης δὲ. III. Pars cap. in qua Apoſtolus juxta factam ſibi revelationem comites navigationis confirmat, & de eventu vaticinatur. 1. Eos leniter taxat, quod ſano ejus conſilio locum non dederint, quod tamen eventus comprobavit, docuitq; fuiſſe omnibus ſalutare. 2. Conſolatur, docens periculoſam hanc navigationem, naufragium allaturam quidem, non tamen interitum hominum. 3. Rationem vaticinij addit, ex facta ſibi raveiatione. 4. Deum propter Apoſtolum parcere etiam ſocijs: ne quid vitæ ipſorum noceat naufragium. 5. Iterum eos conſolatur, ex certitudine revelationum Divinarum, quæ non fallunt. 6. Naufragij locum deſignat, inſulam ſcilicet, in quam impingent. Facta eſt Paulo hæc revelatio, ut agnoſcerent eum Dei omnipotentis ſervum eſſe, ejus qui terram & maria haberet in poteſtate, ut fides verbo ipſius habeatur, ab his qui ſuperius ſpreto ſalutari ejus conſilio, ex Creta ſolvunt, cum omnium maximo incom̃odo. Eventus autem docuit, voluiſſe Deum fidẽ haberi viro bono, iñocenti, Dei miniſtro; ſenſu communi & mediocri experientia prædito, quippe in iteneribus frequenti, terra mariq;: qui tutiora ſuaſit, ſyncero animo; cum nautæ cupidi celeriter iter conficere, lucri cauſa, ſuaderent periculoſam omnibus navigationem, cum rerum omnium diſcrimine. Sic quantacunq; fuerit experientia in his, candor tamen in conſilio defuit. Sprevit Achab conſilium Micha. 3. Reg. 22. Iſralitæ conſilium Sammuelis 1. Sam. 8. Sic Paulus cum impijs ingentibus periculis objicitur & deſperat de vita; ſed

va-

vacillantem Deus erigit visione, & robustum facit; ut & ipse cæteris animum addat.

V. 27. Ὡς δὲ, Cursum continuat ac periculum describit: media scilicet nocte, videntur appropinquare terræ, quod est periculum maximum, tenebris prospectum auferrentibus quassante salo. Adria est mare Italiæ proximum, cujus pars est sinus Venetianus. Projectis itaq; anchoris jactantur fluctibus, metuuntq; ne ruptis funibus, in saxa ferantur: itaq, cum desiderio, diei lucem expectant.

V. 30. Τῶν δὲ. Nautarum perfidiâ augetur periculum, qui si aufugissent minor erat in reliquis gubernandi aut enatandi industria: neq; hi illis subvenire laborantibus postea potuissent; nec Paulus, licet de Divino auxilio certus, licita media reijcere voluit, nã & his Deus sæpius utitur ad auxilium afflictorum. Post verò amisa scapha, iterum oritur periculum majus: hac enim retenta facilior ex navi in terram datur transitus, quam in tabulis aut fragmentis navium.

V. 33. Ἄχει. IV. Pars cap. in qua nautæ cum cæteris, Pauli monitis inducti, cibum capiunt, navemq; onere levatam littori impingunt, & in terram evadunt incolumes. Non est possibile secundum naturam hominem vivere posse sine cibo, per dies quatvordecim: sed ut fit in tempestatibus & procellis, periculi magnitudine terrentur, ut diu famem non sentiant, de vita solliciti, & de eventu anxij, pluribusq; diebus, non paratur cibus, ut simul pascantur, more solito; sed urgente fame, pro se quisq; sumit pauxilum quid, ne vires deficiant. Suadet itaq; Paulus, ut cibo sumpto corpus reficiant; spectat hoc ad salutem eorum, ut robustiores mari se committant; labore enim opus est

& viribus ad enatandum. Huic argumento alterum superaddit, juxta factam apparitionem, neminem scilicet periturum, ut anxietate sublata, fastidium tollatur.

V. 37. Ἦμεν. Ex numero hominum intelligitur, quanta fuerit jactura, quantus dolor, si omnes perijssent: Dei quoq; bonitas perspicitur, qui unius Pauli causa, tot animas servare voluit. Tale quid ostendit colloquium cum Abrahamo, de exidio Sodomæ, Gen. 18.

V. 38. Κορεσθέντες. Cibo sumpto, jam ad opus alacres, navim exonerant; situm litoris considerant, anchoras tollunt, vela pandunt, ad litus tendunt. Laxant gubernaculorum juncturas, cum nullus sit in posterum usus, sive quod maluerint transversam navem terræ impingere. Habuerunt veteres gubernacula duo, ex utroq; latere retro prominentia.

V. 41. Περιπεσόντες. Locum bimarem dicit, cum scilicet terram in mare prominentem sinus maris utrinq; cingit.

V. 42. Τῶν δὲ. Militum impietas & consilium præceps atq; cruentum describitur, de necandis captivis, ac ne Paulo quidem parcunt, qui consilijs precibus & vaticinio ipsis plurimum profuit, cui vitam debent, cujus innocentia multis probata fuit: profectum id erat ex dura legum animadversione, in eos qui captivos dimittunt, docuit idem, factum custodis carceris Philipensium, sup. cap. 16: 27. Majus periculum Apostolũ hic excipit, superato periculo maris: quod tamen favore ac studio erga ipsum, avertit salutari ac prudenti consilio centurio; ut & servet eos incolumes, & ne effugiant cavet: ut enim ducum major est experientia, sic in repentinis casibus major industria. Sic omnes

mnes

mnes in terram incolumes perveniunt, juxta promissionem Divinam quæ fallere nescit: tantoq; est eorum liberatio illustrior, quo plura conspirasse apparent pericula in miserorum interitum.

CAP. XXVIII.

PRior pars capitis, agit de his quæ gesta sunt in Melita insula, & de itinere Apostoli, Romam usq;.

V. 1. Καὶ διασωθέντες. Melita insula, quæ hodie Malta dicitur, à septentrione Siciliam, ab austro Tripolim Numidiæ habet. Punica lingva utuntur incolæ. Possident hanc insulam milites Rhodij, unde fugati vi Turcica, hanc insulam habitandam acceperunt à Carolo quinto imperatore, circa annum Christi 1522. Commendatur barbarornm erga eos humanitas qualis in Christianis sæpe vix invenitur, qui prædæ intenti, naufragos sæpe rebus omnibus amissis spoliant.

V. 3. Συστρέψαντος. Duo miracula in primo accessu facta describuntur. 1. viperam, cujus morsus semper est lethalis, Paulus illæsus in ignem excutit. Servat Deus ministrum suum, juxta promissionem, Mar. 16. 18. *Serpentes tollent* &c. ad confirmationem fidei quam prædicabant. Ad miraculi illustrationem, judicium barbarorum addit; qui ex hypothesi posita, judicium divinum comprobant, siquidem inter captivos censetur Apostolus. Si enim maleficus est, juste viperæ morsu perit, qui vim fluctuũ effugit: quo magis obstupescunt viso miraculo, & contra, non solum innocentem declarant, sed Divinam virtutem ei tribuunt, qui naturam rerum mutare potest. Sic Deæ ultricis conscientia tenebantur Ethnici, quam δίκην hîc appel-

pellant, suo more, occultorum flagitiorum vindicem. Sic Aristoteles dicit, Deum semper comitem habere justitiæ præsidem, quam δίκην nominant.

V. 7. Ἐν δὲ τοῖς. Alterum miraculum, editum in homine morbis confecto; pater is erat præsidis, seu potius viri principis seu primarij in insula, sive hic natus sit Publius, sive hæc prædia à Romanis dono acceperit emeritve: cujus benignitatem collaudat Apostolus, quod naufragos benigne foverit.

V 8. Ἐγένετο. Miraculum ipsum, quo sanatur æger duplici morbo afflictus: sanatur autem oratione & manuum impositione, ritu usitato Apostolis, sic enim Salvator ordinavit, Mar. 16: 18. *Super ægros manus imponent; & bene habebunt.* Orat autem in conspectu præsentium, ut intelligant, non sua virtute ipsum miracula facere, sed aliena, atq; sic paulatim incredulos in Christi cognitionem adducat, factaq; sua ad Dei gloriam dirigat; qui est præcipuus omnium miraculorum finis. Marc. 16: 20. dicitur Dominus cooperari, & sermonem confirmare sequentibus signis. Ioh. 20: 30.

V. 9. Τούτου οὖν. 3. Summatim commemorat miracula plurima in languidos facta, dum hyemem agunt in insula: plurimos autem conversos fuisse, aut saltem initia fidei hausisse verisimile est, ex honore & beneficijs Paulo exhibitis; erat namq; hic fidei fructus: certum est enim Paulum officium non neglexisse, prædicandi fidem gentibus. Verbum autem Dei frustra non prædicatur. Esa. 55: 10.

V. 11. Μετὰ δὲ. Hyemavit Apostolus cum Aristarcho, & Julio centurione ac militibus, in insula; peracta vero hyeme, Romam pergunt. Castor & Pollux fratres Helenæ, in-

inter ſydera relati, ſydus geminorum in Zodaico conſtituunt: quo nomine ignis fatuus inſignitur, qui nocturno tempore interdum geminus, anteñis navium adhæret, fauſto ut putarunt omine; itaq; hæc numina hac ſpecie apparere opinati ſunt ac navigationem proſperam efficere, juxta vanitates gentilium. Syracuſa Siciliæ acropolis, Regum ſedes, priſcis temporibus; portus inſignis, Græciam ſpectans. Rhegium civitas Calabriæ in freto Siculo. Puteolos ſive Puteoli, civitas in litore Campaniæ, ultra Neapolim, Romam verſus; á puteis aut fontibus aquæ calidæ denominata. Fratres Chriſtiani Paulum hîc detinent, ſive antea cognitum, ſive famæ celebritate moti: prædicavit in vicina Græcia; & in Illyrico. Rom. 15: 19. quo frequens erat commigratio hominum his locis degentium.

V. 15. Καγκᾶθλω. Sic cum jam Romam perlatum eſſet Euangelium, Chriſtiani Paulo obviam veniunt; præcurrit enim ſine dubio fama naufragij, & miraculorum factorum in inſula Melita Veniunt autem ut honorem exhibeant & conſolentur Apoſtolum naufragio ac vinculis afflictum, & officia humanitatis exhibeant: quæ fratrum benignitas Apoſtolum plurimum recreat. Veniunt ad Appij forum, quod eſt oppidum Appij Claudi nomini dicatum, qui viam hanc pario lapide ſtravit: ultra milliaria ſedecim Brunducium excurrentem. Hinc Romam verſus non procul, adhuc hodie viſuntur tres tabernæ, hoſpitibus recipiendis extructæ, propter frequentes commigrationes, inter Romam Capuam & Brunduſium. Creſcit confidentia Paulo conſpectis fratribus quorum ope & fidelibus conſilijs aut miniſterio ſe indigere ſenſit, qui jam captivus adducitur; maxime ſi diuturna futura ſit captivitas: habet

qui condoleant, intercedant, patrocinentur, consulant, necessaria suppeditent, causæ faveant.

V. 16. ὅτι δὲ. II. Pars, de his quæ Romæ acta sunt; 1. ut sit acceptus ab aulicis: traditus est præfecto prætorio & custodiæ. 2. Bene habitus in custodia libera, sed in vinculis. 3. Additus etiam miles custos, qui ipsum observaret in hospitio. Proficiscitur hæc humanitas ex Epistola Festi præsidis, testantis de innocentia Pauli; Iulij quoq; centurionis, referentis vaticinia & miracula visa in itinere.

V. 17. Ἐγένετο. Deinde, Oratio Pauli ad Iudæos describitur gemina: in prima, breviter commemorat causam suam. Et 1. Occupatione se purgat à calumnia Judæorum, si forte superveniant, traducentes eum ut religionis turbatorem & pacis publicæ: 2. conqueritur de Judæis quod innocentem tradiderint Romanis. 3. Ostendit se examinatum esse in judicio, nec ullius criminis convictum. 4. Absolutum quoq; à Judicibus, nisi reclamassent tanta cum vehementia adversarij.

V. 19. Ἀντιλεγόντων. 5. Causam provocationis affert, importunitatem actorum, damnantium eum, quem judices absolvunt. Horum omnium testes esse potuerunt Aristarchus & Julius, cum militibus Cæsarianis; qui actioni interfuerunt. Insidias verò aliasq; injurias reticet, nec odiose exagitat inimicorum facta; contentus se purgare à suspicione criminis, & odij erga gentem suam, ac venisse se Romam ostendit, ad sui defensionem & excusationem, non ut quenquam deferat aut accuset.

V. 20. Διὰ ταύτην. Concludit, & in conclusione insinuat, accusationis fuisse prætextum adductum ab adversarijs: veram autem causam fuisse spem Israelis; hoc est, quia

ab

ab ipsis de persona & officio Messiæ dissentit, & hanc esse veram captivitatis & vinculorum causam.

V. 21. Οἱ δὲ πρ☉. Responsio Judæorum, in qua 1. docent purgatione apud eos opus non esse, quia nihil mali de eo est dictum vel scriptum ad eos. 2. Quia verò audiunt maximam hominum partem, se Christianorum sectæ opponere, eiq; contradicere, cupiunt à Paulo celeberimo hujus religionis doctore, & Christianorum Apostolo, audire fundamenta & rationes hujus religionis, quibus probetur Christum esse Messiam, & quale ejus officium.

V. 23. Ταξάμενοι. Altera Pauli ad Iudæos oratio, qua, die constituta, in hospitio, Iudæis Christum esse Messiam promissum ostendit; principia desumit ex Mose & Prophetis: 1. Formam & qualitatem regni Messiæ in his terris describit, demonstratq; ex veteris testamenti vaticinijs, Christum non fore Regem terrenum; sed passione & morte sua instauraturum regnum spirituale; sicut expresse docet Esa. cap. 53: 10. & sequentibus. 2. Iesum esse Messiam promissum, ex Mose & Prophetis ostendit: magna cum diligentia, à mane usq; ad vesperam orationem continuans. Sic Christus discipulis euntibus Emaus, incipiens à Mose, & ex prophetis omnibus, ostendit oportere pati Christum, & ita intrare in gloriam suam: hæc etiam luculenter & prolixe demonstrantur, decem primis capitibus Epist. ad Hebræos.

V. 24. Καὶ οἱ μὲν. Paulus non frustra prædicat; etsi n. quidam increduli fidem non recipiunt, tamen in quibusdam efficax est ejus sermo ad conversionem: prædixit id ita fore salvator, parabola agri & sementis; Luc. 8. Est & hæc operatio prædicationis Euangelicæ, ut dissentiones pa-

pariat; juxta illud, Matth. 10: 34. non veni mittere pacem, ſed gladium. Nec eſt hæc operatio prædicationis per ſe, ſed per contumaciam incredulorum, amantium magis tenebras quam lucem. Ioh. 3. Reprehendit eos Apoſtolus, & caſtigat, 1. verbis Eſa. prophetæ, qui cap. 6. *vidit gloriam Dei*, (ut loquitur Iohannes Euangeliſta cap. 12: 41. cum hũc Eſa. locum adducit) Hoc eſt, cum ei per Sp. ſanctum appareret imago Meſſiæ & gloria novi teſtamenti, ac Euangelij de Chriſto; ejuſq; ſucceſſus; ubi ſimul prædicit hanc populi Iudaici incredulitatem, non tamen omnium, ſed maximæ partis, ut vix pars decima ſit receptura fidem, & hoc eſt *ſemen quod Deus* genti Iudaicæ *reliquit, alias facti fuiſſent ut Sodoma & Gomorra*: ſicut Paulus axplicat illud Eſa. 1: 9. & 10: 22. in Epiſt. Rom. 9: 19. & cap. 11: 5. Idem eſt Davidis de illis triſte vaticinium, Pſ. 69: 24. *Fiat menſa eorum laqueus,, in captionem, ſcandalum & retributionem*. Rom 11: 9: Et illud de lapide angulari Pſ. 118. Quæ verò ſit cauſa talis excæcationis aut indurationis, Apoſtolus etiam hic exprimit, quia ἐκάμμυσαν, compreſſerunt oculus ſuos. καμμύω oculos claudo vel comprimo. Matth. 13: 14. Eſt igitur hæc averſio voluntaria, quæ eos in judicio Dei reddit inexcuſabiles: temporales etiam calamitates & vaſtitatem inobedientibus propheta prædicit, ibidem, v. 11. Spiritus ſancti hoc eſſe vaticinium, Apoſtolus indicat; & eventus comprobat: nam hæc omnia in gente Iudaica completa eſſe, tempus & experientia docuit. Ac ne quis putet Deum intendere hanc gentis Iudaicæ excæcationem & interitum, addita ſunt in textu verba: *Ut convertantur & ſanem eos*, quibus intentio & voluntas Dei exprimitur, qui omnium hominum ſautem expetit; juxta illud Ezech. 33.

viva

vivo ego nolo mortem peccatoris, &c. Causa igitur interitus eorum, est spontanea aversio & pertinacia, & cum videre & audire possent, ac oblatam Euangelij gratiam recipere, sensus omnes claudunt, sicut ad orationem Pauli, supra cap. 13: 45. & cap. 22: 22. insuper etiam contradicunt & blasphemant. Si quærat aliquis, quæ ipsis sit talis contumaciæ causa, impellens ad hanc malitiam, in tanta claritate lucis Euangelij, ac testimoniorum doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ, ac miraculorum, factorum á Christo & sanctis Apostolis ad doctrinæ confirmationem? Inveniet esse studia carnalia, & mentem mala consuetudine & impijs atq; erroneis conceptionibus gravatam. Et hoc est de quo Christus conqueritur Ioh. 3. *Lux venit in mundum, sed homines magis amant tenebras quam lucem.* Fallax erat conceptus carnalis promissionum acceptarum de regno terreno, & dominio orbis; quem reprehendit Baptista: Matt. 3: 9. Ne dicatis; *Patrem habemus Abraham*: Et Christus similitudine de vinea, Matt. 21: 33. cui adijciens vaticinium Davidis & Esaiæ, de lapide angulari, concludit: *Ideo dico vobis; Auferetur à vobis regnum Dei, &c.* Item de cœna magna; & ingratitudine hospitum. Luc. 14. Et Ioh. 12: 43. *Amarunt gloriam hominum plus quam gloriam Dei.* Et hoc est quod discipuli, communi opinione imbuti, philosophantur, *de restitutione regni Israelis,* Luc. 24: 21. Et Act. 1: 6. quæ fuit causa contentionis de primatu. Matt. 18: 1. *Quis est maximus in regno Cælorum?* Et hinc orta est petitio filiorum Zebedæi: Matt. 20: 20. Et vanus metus Pontificum: Ioh. 11: 47.

V. 28. Γνωςὸν. 2. Minatur traslationem prædicationis Euangelicæ, à Iudæis ad gentes: nam & de ea prædixit

Moyses, Deut. 32: 21. & Esa. 65: 1. Quorum verba adducit Apostolus Paulus, Rom. 10: 19. Esa. 60. *Gentes in lumine tuo ambulabunt, &c.* Missum est autem gentibus, Euangelium, cum Petrus ad Cornelium mittitur, sup. cap. 10 & Paulus à Deo per Ananiam ordinatur, ad prædicandum gentibus; sup. cap. 9: 15. & cap. 13. cum ad hoc opus segregatur & mittitur, una cum Barnaba, mandante Deo: de quo suo ministerio gloriatur Eph. 3. & Col. 1: 25.

V. 29. Καὶ ταῦτα. Transijt hæc concio Pauli in corda auditorum, & conscientias concutit, adeò ut prestringente sensus eorum claritate & vi argumentorum Pauli, haud secum ipsi consentiant, nescientes quid velint statuere de doctrina hac. Multam quoq; habuisse inter se mutuam disceptationem, de vero sensu oraculorum Divinorum, ex textu liquet; utrunq; enim textus designat. Hic adsunt oppugnatores ac defensores, ut intelligamus Deum ductu & operatione Sp. sancti corda inclinare, saltem quorundam, non repugnantium, ut doctrina Evangelij defensoribus non careat.

V. 30. Ἔμεινε. Claudit Evangelista historiam, brevibus indicans quid Romæ egerit Apostolus. Mansit in hospitio liber, proprijs sumptibus, 3. toto biennio. 4. ab amicorum, aliorumq; compellare volentium, consvetudine non prohibitus, 5. cum licentia & optata libertate prædicandi Evangeliū Christi. Sic quod Satan & impij moliuntur, ad impedimentum doctrinæ cœlestis, & interitum Pauli, dirigente Deo, cedit ad ulteriorem propagationem Evangelij ad gentes remotas, numeroq; hominum ac potentia valentes. Primus itaq; Paulus Romanam Ecclesiam plantavit: & multa cum confidentia, toto biennio docuit Evan-

Evangelium; oritur hæc confidentia Apoſtoli ex Divina vocatione. ſup. c. 23; 11. cui lubens obtemperat: Hoc biennio exacto liberatur ex cuſtodia, ſicut ipſe indicat, poſtquam multos ex Cæſaris aula ad fidem convertit. Phil. 4: 22. & c. 2: 24. *confido in Domino, quoniam & ipſe veniam ad vos cito.* Et ad Philemonem v. 22. *Simul parate mihi hoſpitium:* &c. An vero in Hiſphaniam poſtea pervenerit, & partes occidentis, nihil certi hiſtoriæ afferunt: ſtudium certe fuit, ut patet ex Epiſtola ad Romanos, cap. 15: 24. *Cum in Hiſpaniam ibo, veniam ad vos.* Euſebius putat Creſcentem in Galliam miſſum, cujus meminit Apoſtolus in ultima ad Timoth. lib. 2. hiſt c. 21. Et, *Fama eſt, inquit, redditá doctrinæ ratione, ad prædicationis eſſe miniſterium reverſum; ac deinde cum ſecundo in eandem urbem veniſſet, ſub eodem imperatore martyrio conſummatum: ubi cum vinculis detineretur, poſteriorem Epiſtolam ad Timotheum compoſuit.*



ERRATA TYPOGRAPHICA.

Pag.	linea		lege	Pag.	linea		lege
3.	2.	*Intermiſſis*	*Intermiſtis*	264.	27.	*ac*	*an cæcitate.*
14.	16.	*ranſijt*	*tranſijt*	303.	10.	*proprius*	*propius*
15.	13	*noticiã*	*notitiam*	313.	20.	*permiſit*	*promiſit.*
17.	4.	*familiaritis*	*familiaritatis*	316.	20.	*permiſſionẽ*	*promiſſionẽ*
38.	29.	*amos*	*amor*	341.	9.	*uſu*	*uſui*
48	24.	*æna*	*æterna*	352.	11.	*os*	*eos*
83.	26.	*modo*	*modo in*	416	23.	*præditione*	*prædicatione*
88.	2.	*fuitur*	*fruitur*	429	21.	*angelos*	*angelos malos*
94.	8.	*peſerebãt*	*præferebant*	437.	27.	*permanet*	*permaneat*
140.	9.	*operione*	*operatione*	443.	16.	*miſſo*	*miſſos*
154.	23.	*acuſultat.*	*auſcultatione*	451.	20.	*Deo*	*de Deo*
155.	4.	*innoſcat*	*innoteſcat*	459.	28.	*adultores*	*adultiores*
158.	5	*obviũ*	*obviam*	479.	6	*ne*	*nec*
183	18.	*eſt*	*eſſe*	497.	26.	*privato*	*privatio*
187.	3.	*repridos*	*reperimendos*	501.	27.	*ut cũ*	*cum*
190.	1.	*externis*	*extremis*	527.	29.	*affectu*	*affectu ac*
196.	30.	*cum*	*eam*	539.	7.	*contra*	*cum contra*
253.	16.	*rerum*	*reum*	544.	2.	*judiciũ*	*indicium*

Superflua, tranſpoſita, aliaq; leviora æquus lector ipſe corrigat.

